Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Johann Buxtorf

# Synagoga Judaica; hoc est, Schola Judaeorum : In Qua Nativitas, Institutio, Religio, Vita, Mors, Sepulturaq[ue] ipsorum e libris eorundem; A M. Iohanne Buxdorfio literarum Hebraearum in inclyta Academia Basiliensi Professore, graphice descripta est

Hanoviae: Antonius, 1604

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn79137839X**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn79137839X/phys_0001
DFG



Cic – 654.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn79137839X/phys_0002
DFG

TAGOGA IVDAICA;
hoc est,

# SCHOLA IVDÆORVM, IN QVA NATIVITAS, Institutio, Religio, Vita, Mors, Sepulturaq; ipsorum è libris eorundem;

A

*M. IOHANNE BVXDORFIO literarum Hebræarum in inclyta Academia Basiliensi Professore, graphice descripta est.*

ADDITA EST MOX PER EVNDEM IVDÆI CVM CHRISTIANO DISPVTATIO de Messia nostro.

*QVÆ VTRAQVE GERMANICÆ nunc Latinè reddita sunt operâ & studio*

M. HERMANNI GERMBERGII.

Accessit *Ludouici Carreti* EPISTOLA, de conuersione eius ad Christum, per eundem ex Hebræo Latinè conuersa.

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCIV.

740.

Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn79137839X/phys_0006
DFG

# PIISSIMIS, DOCTISSIMIS ORNATISSIMISQ; viris, Dn. *Iohanni Iacobo Grynæo* Dn. *Amando Polano, à Polansdorf*, Doctoribus eximiis: item, Dn. *Beato Helio*, & Dn. *Iohanni Buxdorfio*, Magistris; cum Theologiam sacram, tum artes & linguas liberales, tam in templis quam scholis Basilienſibus dexterrime profitentibus, amicis & fautoribus singularibus,

S. P. D.

QVANQVAM *Deus optimus tergq; maximus populos omnes beneficiis innumeris & ineffabilib. ditauerit; populum tamen Israeliticum, hoc est, a patriarcha Iacobo, Abrahami nepote, descendentem, beneficiis multo longeque plurib. ornauit. Etenim praterid, quod profligatis ob illarum scelera flagitiaque gentibus compluribus, terras earũdem fertilissimas ei dederit hæreditariè possidendas, etiam de voluntate eius per Mosen & alios pleniſſimè instruxit,*

docens eum, qua ratione viuens in hoc mundo, mundi futuri particeps aliquando fieri posset. quo beneficio gẽtes certè nullas alias affecit. Itaq; quanto plura beneficia populus hic à Deo benignissimo consecutus erat, tanto gratiorẽ se erga illũ gerere debuisset. Iste verò beneficiis Dei maximis pinguefactus cõtra stimulum calcitrauit, Deique sui benignissimi prorsus oblitus est. Deus igitur ingratitudinem tantam inultam relinquere non sustinens, beneficiis omnibus, quibus locupletauerat, iterum priuauit; in primis autem mentium cœcitate percussit adeò magna, vt rerum diuinarum nihil intelligens eas dem in fabulas aniles conuerterit. Id quod si quis ei contigisse credere non possit, vt credat facilime adducetur, si posteritatem eius seculo nostro viuẽtem considerabit. Quid enim religio illius tota praeter fabulas impiissimas est? Quod si Deus hanc perinde vt maiores eius cœcitate ineffabili non percussisset, libro Mosis primo inspecto facile vidisset, Adamo primo nostrum

omnium

omnium patri ab initio creationis coniugem non aliam fuisse quam Euam matrem viuentium omnium à Deo ipso datam & donatam. Quoniam vero Deus ob veritatem cõtemptam mortalibus errores immittere solet vehementes; ideo cum Iudæi temporis etiam nostri veritatis cognitionem perinde vt & maiores ipsorum nihili fecissent, ideo Deus puniuit eos sic, vt interim dum veritatẽ huius rei ex inspectione literarũ S. ꝓcipere debuerint, idq; facilime potuerint, isti viâ hâc neglectâ viam longe aliam fuerint ingressi. Igitur instinctu Satanæ infernalis excogitarũt, quod vxor Adami prima Lilis quadam fuerit, mulier rixosa, quæ Adamo ipsi morem gerere noluerit, quam inobedientiam cum ipse aegerrimè ferens eam grauiter reprehenderit, ipsa ab eo aufugerit; de quo cum postea Adamus apud Deum conquestus cupiuerit, vt ille eam ad ipsum reduceret, Deus angelos tres nomina mirabilia habentes mox ablegarit: qui eam super mari, & eo quidem in loco,

vbi postea Pharao cum suis summergendus esset, assecuti ei significauerint, rediret ad maritum. quod si faceret, bene ipsam habituram; si non faceret, fore, vt è liberis eius quotidie centum morerentur. Sed quid ego fabulam istam non minus mendacem, quam friuolam & anilem tam multis continuo? Ex vngue leonem agnoscere facile est. Quod si quis autem credere non vellet aut posset, Iudaeos magis ac magis non modo sapientia cœlesti, sed & ratione naturali tam valde priuatos esse, vt stultissimi prorsus euaserint, is si quae de Behemos, de Leuiathane, de leone quodam sylua Elana, quem Romanus Imperator aliquis videre cupiuerit; quae de auibus bar Iuchne & Ziz magnitudinis incredibilis, quae de rana, serpente, coruo, de gallo gallinaceo, quem Deo pro peccatis ipsorum sic offerunt, vt ipsimet retinentes, eum vel assatum vel elixum vorent, firmissime credunt, intellexerit; eos ad insaniam plane redactos esse nequaquam.

quam dubitabit amplius. Quid dicam de eo, quod mortuos in exilio sub terra per cauernulas quasdam siue fossulas in terram promissam perreptare credant; vt ibi post aduentum Messiæ eorum potu ciboque lautissimo ad libitum satientur? Quis vnquam putaret cadauer mortuum, molequè terræ adobrutum de loco in locum conferre se posse? Et quis hoc credentem insanum; quin insanissimum esse non crederet? Talis autem Iudæorum nostrorum fides est. Eos igitur insanos esse necesse est. Necesse etiam est, eos à Deo sic reiectos esse, vt nisi resipiscant, in æternum salui futuri non sint. Si enim pœnitentiam agant, & ad Dominum Deum eorum confugiant, veniam eos consecuturos esse non dubito. Non autem resipiscent, quantum ego quidē opinor, nisi ipsis fidei religionisve ipsorū turpitudine demōstrata, præpudore mēdacio repudiato veritatis amicos se tandē profiteātur. Itaq; rectissime tu, mi Buxdorfi, feciſti, quod reli-

gionem, vitamque Iudaicam adeo totam, coloribus eius viuis descripseris. Atq; vt id facere pergas; in primis autem de Iudæis euulges ea, quæ te euulgaturum in hoc opere tuo pollicitus es; ea causa est, cur nomini tuo laborem hunc meum tanquam μνημόσυνον promissionum tuarum tibi futurum, dicare voluerim. Vos autem cæteros, reuerendissime Dn. Doctor Iohannes Iacobe Grynęe, amandissime Dn. D. Amande Polane, colēdissime Dn. Beate Heli, domino Buxdorfio, amico meo veteri suauissimo, amicos veteres suauissimos adiungere volui; vt vos non solum ei istius faciendi auctores & instigatores essetis; sed & ipsi quoq; talia quædam in lucem emitteretis, per quæ Iudæi commoti veritatem nobiscum tandem aliquando complecterētur. Iam vero tametsi Iudæus Christum propter Christum, nō propter nos, vel aliud quicquā quodcunq; sit, amplecti deberet: quia tamen plane futurum esse reor, vt Iudæus ob vitā nostram scandalosissimam Christianissmum

*smum non facile amplexurus sit, cogitans fieri posse, vt* Incidat in Scyllam cupiens vitare Charybdin: *igitur ego vos ob honorem Dei & salutem vestram precor & obtestor, vt quantum possitis ad morum Christianorum malorum reformationem incumbatis. Quin enim vos hac in re quamplurimum præstaturi sitis, mihi dubiũ non est. Etenim cum viri iusti vel vnius ad Deum directa precatio obtinere sæpenumero possit quod petit; quomodo vos tanquam alteri Moses, Eliæ, Danieles à Deo non obtineretis id quod ad gloriam eius pertineret: qui auctoritate quoque non parua apud homines ordinum superiorum valeatis, & ita reformationem rerum multarum per eos impetrare possitis? Ad hoc incitare vos etiam debet præmium illud, quod à Domino consequemini maximum, si Iudæum vel vnum ad creatorem eius conuerteritis. Scitis enim melius me, quantopere Spiritus Dei per apostolum Iacobum extollat eum, qui animã extra viam, id est, Christum, erran-*

)( 5

tem, in viã reduxerit. Quæ igitur causæ præcipuæ sint, cur vobis, piissimi, doctissimi, ornatissimique viri laborem hunc meum dicare voluerim: perspicitis. quam erga vos beneuolam animi mei affectionem si vobis gratam fuisse perspexero, nihil mihi iucundius accidere poterit. Bene Valete. Datæ Hanoniæ, Calendis Augusti, anno 1604.

VV. dignitatum Reuerendarum
studiosissimus,

M. HERMANNVS GERMBERGIVS amicus vester ille vetus.

PRÆFA-

# PRÆFATIO AD LECTOREM Christianũ Buxdorfiana.

MERITO, Lector Christiane, summa cum diligentia magnam Iudæorum ingratitudinem, inobedientiam, pertinaciamque, ob quæ semper à Mose cæterisque prophetis vehementer reprehensi culpatique fuerunt, cum animis nostris consideramus & ponderamus. Merito itidem horribiles illas comminationes & execrationes, quibus eos Deus iudicio suo iusto grauare vellet, nisi secundum mandata eius vitam transigerent, vt nimirum nobis Dei eiusdem gratia beneficiisq; animo grato fruendum, & in id incumbendum esse, ne nos iis ingratitudine nostra indignos facientes iisdem priuemus ipsi, moneamur.

De ingratitudine populi Iudaici Moses vaticinatus est sic: *Et impinguatus est Israel, & recalcitrauit (impinguatus es, incrassatus es, operuisti) & dereliquit Deum qui fecit eum, ac despexit Deum salutem suam.* Deut. 32. 15. More nimirum prophetico hoc dictum est, quasi iam tum factum fuisset id, quod de populo Iudaico narratur, post annos multos eidem primum euenturum. Contigit autem tum primum, cum Iosua eum

in terram promissam introduxisset: quē-admodum prophetę cum alii omnes, tum
Hos.13. verò Hoseas verbis propemodum iisdem testati sunt. De ingratitudine eius, populus idem per prophetam Ieremiam hunc
Ier.11,10. in modum reprehensus est: *Reuersi sunt ad iniquitates Patrum suorum priorum, qui renuerunt obtemperare verbis meis: imo abierunt post Deos alienos, vt seruirent eis. Dissipauerunt domus Israel & domus Iehuda pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum*, &c. De pertinacia ipsorum cōque-
Ierem. 7. 25.26. stus est Deus verbis his: *A die qua egressi sunt patres vestri è terra Ægypti vsque ad diem hanc, misi ad vos omnes seruos meos prophetas per diem surgendo mane, & mittendo. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam: sed indurauerunt ceruicem suam, & peius egerunt quam patres eorum.* Populus hic idem tandem adeo pertinax esse cœpit, vt prophetarum qui eum ad vitæ actæ emendationem hortati fuerunt; & ob peccata ipsius reprehenderunt, amplius audire neminem dignatus sit, sed persecutus trucidauerit, lapidauerit, supplicio mortis affecerit omnes; prout
Nehem. 9.25.26. in libro Ezræ secundo scriptum memoriæque proditum est verbis his: *Ceperunt praterea vrbes munitas, atq; humum pinguē, & possederunt domos plenas omni bono, cisternas excisas, vineas, & olineta, & arbores fructiferas quamplurimas: comederuntque,*

*ac saturati sunt, atque impinguati, & deliciis affluxerunt, propter bonitatem tuam magnam. Irritauerunt itaque, & rebellauerunt contra te, ac proiecerunt legem tuã post corpus suum. Prophetas quoque tuos occiderunt, qui testificabantur contra eos, vt conuerterent eos ad te: & fecerunt conuitia magna.* Apud prophetam Ieremiam quoque scriptum reperitur: *Vt quid litigatis contra me? Omnes vos praeuaricati estis cõtra me, dixit Iehouah. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Deuorauit gladius vester Prophetas vestros tanquam leo vastator.* Itaque cum populus hic se prorsus incorrigibilem exhiberet, tandem pœnis illis omnibus, quas ei Moses per spiritum Dei comminatus erat, affectus est. Deus enim puniuit eum, tum quo ad corpus eius, tum quoad bona; peste, bello, annonæ caritate, fame, tempestate, morbis, dissidio intestino, discordiâ. Tandem aliquando eum è terra eius, lacte nec non melle manante, prorsus eiecit, captiuumque in terram abduci curauit alienam. Ita tribus Israeliticæ decem cum rege ipsorum Hosea per Salmanasserem, Assyriorum regem, è terra Canaane in Assyriacam captiui fuerunt abducti, vt in libro Regum secundo legere est. Cumque paulò post tribus illæ duæ, Iuda nimirum & Beniaminis, vitam moresque ipsarum post varias Dei increpationes emendare non vellent; fecit Deus idem, vt per Nebucad-

Ierem. 2. 29. 30.

2. Reg. 17.

Rezarem, Babyloniæ regem, Babylonem abducerentur, vrbs Hierosolymæa vastaretur, templum ipsum incensum in cineres redigeretur: prout similiter in libro
2. Reg. 25. Regum secundo perscriptum est. Tribus nihilominus hæ ambę post annos septuaginta decursos è Babylonia rursum liberatæ fuerũt, quod Deus tribũ Iudaadhuc aliquandiu saluam nec non incolumem conseruare volebat, & hoc quidem ad tempus vsque id, quo secundum promissiones Dei *Messiæ* ille è tribu eadem, & in terra quidem promissa, in mundum nasceretur. Hæ verò tribus aliis paulo post non multo meliores euaserunt. Semper enim ad ingenium redeuntes, maiores ipsarum imitatæ fuerunt, prout prophetæ posteriores, Haggæus, Zacharias, Malachias, super illis conquesti fuerunt; & Malachias quidem sacerdos in primis, vitam illarum impiam incusans, reiectionem populo toti finalem minatus est.

Punitus autem fuit populus hic non solum quoad corpus, aliaque externa fortunæ bona; sed etiam quoad animos ipsos. Etenim phrenitide, cœcitate, rabie cordis Iudæi castigati fuerunt adeò, vt in meridie quoque ipso perinde palpauerint, vt cœcus in tenebris palpare consueuit; quemadmodum illis euenturum Moses similiter minitatus erat.
Deut. 28.

Ia-

In verbo itaque Dei tam cœci facti fuerunt, prout vates Esaias super illis conqueritur, vt sapientiæ suæ ipsorum prudentiæque carnali sese totos addixerint, mandata Dei ipsius dereliquerint, doctrinas nouas, leges item, nec non statuta constituerint, & secundum ea multo magis, quam secundum mandata Dei ipsa vitam moderati fuerint; id quod Esaias iterum testatur: recti item nihil amplius vel docuerint vel etiam docere nouerint: quippe qui verbum Dei reiecissent, prout apud Prophetam Ieremiam legere est. Atqui cum Deus ad eos Prophetas tandem nullos amplius amandaret, prophetiæque inter eos planè defecissent, tum demum in peruersam reprobamque mentem, formidabilemque cœcitatem traditi fuerunt, & à Dei mandatis omnino defeciuerunt, & fundamentum salutis eorum propriæ non amplius super verbo Dei superstruxerunt; sed illimet ipsi traditiones & expositiones super eodem verbo Dei adinuenere tales, per quas verbum idem sacrosanctum Dei in fabulas meras conuerterunt, idemq; miserabiliter contra omnem rationem exaudientes fallaciter exponere nō dubitauerunt. Aduersus hæc Christus vehementer concionatus, eos ob adinuentiones ipsorum duriter reprehendit. Apostolus aūt Paulus doctrinā de fide Iudæorū fabulas ani-

Iesaiæ 42.

Iesaiæ 29.

Ieremiæ 8.

1. Tim. 1. 4. 6.

les & minimè spirituales, nec non loquacitatem inutilem vocitauit.

In epistola ad Titum Iudæos locutuleios, infrugiferos & seductores, qui domos totas euertant, & res nihili doceant, esse testatur. Titum quoq; ipsum monet, Cretensibus indicet, vt in fide sani, fabulas Iudaicas, humanaque præcepta pretii nullius æstimanda esse cogitent.

Vt autem Germanis tandem quoque nobis innotescat, an Iudæi vitam agant adeo sanctam; legemque Mosaicam tam strenuè, zeloque cum tanto, de quanto gloriantur ipsi, præstét, obseruent; ideoque soli, sapiens, sanctus, purus, iustus Dei populus sint, prout gestibus externis ostentant, indidemque gloriam quandam aucupantur; ea causa fuit, vt ego fidem & religionem istorum, (fabulis prout Apostoli sancti locuti sunt) tanquam lardo quodam infarctam, vnà cum tota eorum vita & conuersatione è libris ipsorum propriis plenè veréque declarare, & cuilibet ob oculos constituere aggressus sim. Hoc autem primò præcipueque feci, vt nos per incredulitatem Iudæorum ingentem, indurationemque non minorem nobis terribilem Dei iram, & seueritatem erga eos meditandam proponamus, indidemque ad considerationem bonitatis nec non

misc-

misericordiæ eius erga nos inenarrabilis moneamur, proque illis ad gratitudinem debitam seriò commoueamur; & id ea quidem de causa, ne & nobis lumen cognitæ perspectæque veritatis ob ingratitudinem nostram rursus extinguatur; sicque in tenebras eas, in quibus antè, quam nos Deus per misericordiam eius ad cognitionem verbi diuini salutarem vocauit, sedimus, denuo coniiciamur & præcipitemur. Secundo feci, vt indurati nec non excœcati Iudæi in seipsos tandem aliquando descendentes, incredulitatem ipsorum grauem intelligere discerent; ipsosque coram mundo vniuerso pudefactos illius, magis quam belluinæ, in diuina scriptura insipientiæ, fabularum item anilium, quibus Deus magna ex parte blasphematur, verbumque eius salutare contra rationem humanam prorsus omnem execrabilem in modum peruertitur, pudere incipiat; quippe qui tam impudenter, irrationabiliterque de Deo omnipotente, deque verbo eiusdem salutari & loqui & scribere non verecantur: vtque cogitent tandem, quod ad lapidem illum offensionis in Sione positum, & ad petram scandali grauiter offenderint, indidemq; humi prostrati, fracti, illaqueati & captiuati sint: quod eis denique Deus spiritum somni profundissimi immiserit, oculos eorum ita clauserit, vt ipsis pro-

pietia quælibet, Scripturaq; sacra adeò tota nihil aliud sit, quam epistola quædam obsignata, vel liber aliquis clausus: quodque sapientia sapientium ipsorum nunc tandem pessum ierit; intelligentia item prudentium inter eos excæcata sit; prout illis idipsum per vatem Esaiam prædictum fuisse norint. Deus autem misericors misereatur eorum clementer, & conuertat eos: nos autem firmiter immobiliterq; in vera eius cognitione conseruet: quod nos in ea vitam æternam consecuturos esse speremus, prout Christus ipse nos consolans testatus est, dicens: *Hæc est autem vita æterna, vt te solum cognoscant esse Deum verũ, & quem misisti, Iesum Christum.* Ei laus, honor & gloria tribuatur in secula seculorum; Amen.

Ioh. 17. 3.

---

## MICHEAS CAP. IV. ℣. 1. 2.

*ET erit, in nouissimo dierum erit mons domus Iehouæ præparatus in vertice montium, & altior erit collibus, confluentq; ad eum populi. Et ibunt gentes multæ: dicentque, Venite, & ascendamus ad montem Iehouæ, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Nam de Siion egredietur Lex, & verbum Iehouæ de Ierusalaim.*

Lutherus è verbis Micheæ hæc super Iudæis memoriæ reliquit. *Ita nimirum*

*sese*

seseres habet; hinc rixæ illæ, hoc ipsum scilicet est quod Iudæos insanos facit atque stultos; hoc ipsum est quod eos dē ad sensum adeò damnabilem adigit, vt loca scripturæ omnia tam turpiter interpretari cogantur. Non volunt quippe, nec ferre quoque possunt, vt nos gentiles ipsis coram Deo pares simus, Messiasq; tam nostrum quam ipsorum solatium gaudiumq; sit. Citius quam paterentur, inquam, vt nos gentiles, qui per illos sine intermissione conspuimur, maledicimur, diris deuouemur, conuiciis proscindimur & laceramur, partem aliquam de Messia communem cum ipsis haberemus, coheredes & fratres ipsorum vocaremur, Messias vel decem crucifixuri essent; Deumque adeo ipsum, siquidem id fieri posset, vnà cum angelis & creaturis aliis omnibus supplicio mortis afficerent: ab eoque faciendo minimè absterrerentur; tametsi inferna vel mille subeunda forent. Adeo incomprehensibilis asperaque superbia est in sanguine illo nobili Patrum & circumcisorū illorum sanctorum: qui Messiam tantummodo soli habere, dominique terrarū salutari volunt. Goiim execrabiles illi serui duntaxat esse debent: desiderium que, hoc est, aurum & argentum ipsorum Iudæis dare, seque nō aliter quàm bestias miserabiles mactandos illis permittere aliquando cogentur. Citius quàm opinionē hanc missam faciant, prudentes scientesque quin in æternum damnentur recusaturi non sint.

## LECTORI S.

TAmetsi, Lector aquissime, erratorũ, quæ subiicere decreuimus, quædam momenti non admodũ magni sint, quædã etiam in maxima exemplariũ parte correcta fuerint prius, quã excuderentur omnia: ea tamẽ omnia siue leuia, siue nõ, siue in plerisq; exẽplarib. correcta sint, siue non, ordine subdemus. Quia deinde interim, dũ Indicem confecimus præter errata illa inuenimus non pauca, quæ nobis melius scribi potuisse viderentur: igitur de illis post erratorũ indicationẽ te quoq; certiorẽ faciemus. Bene Vale.

## ERRATA.

PAgina 4. ℣. 10. lege quod Deus operationes. 8,9. quibus Deus elohe kedem, i. Deus æternitatis, &c. 11,32. virtutemq;. 15, 11. cœcumq;. 20,22, eundem. 26,13. f. pro meo, suo legendũ est. 27,5. sit. 31,3. Simeon. 40, 4. eũ agnoscere. 42,3 & 4. eos à facie sua reiecturus. Postremo. ib. 9. f. sanem. ib. 11. minitatus erat. 43. 5. fundarint, & mox 7. fecerint. 44,20. sine parenthesios conclusione. 50,9. ad metuendum. 51,24. agerentur, lex ipsa, &c. 51,27. inter eos. 57,32. sectione. 61,30. amplificandã faceret. 75,24. in libro Ben Sira, inquam. 77,13. schedula, membrana, vel, &c. 79,25. eximiè. 81,31. parãtur. 82,2. holosericisq;. 83,12. vnum. 90,15. cur illi. 95,26. conuiuii. 104,24. tandẽ proclamans.

mās; sine signo parēthesis priore. 119.13, 14. *sic eū male.* 120,24. *cōsuetudines de.* 171,2. *excuso est) ap.* 171,20, Velāmalschinim. 176, 19. Vmistachauim *vna voce.* 181,25. *tamē compatitur* sublato *Deus.* 188,5, & 6. *intuens in id.* 202,2. *recitauit* Chachamim *ibi.* 5. *quæ vt tum.* 210,7. *de hoc disputet* Mar Zutra. 212, ℣. *antepenultimus à præcedente separari non debuisset.* 225,4, 1. *Quando è schola &c.* 229,3. *efflueret, quia indidem. Ibidem.* ℣. 14, *doctissimi in.* diuisim. 232,17, *post Samuel deest distinctio.* 236,2, *l. pentateuchum. Ibid.* ℣. 6, *l. ipsarum.* 236,28. Keter. 238,8. *panno est, cui* chasan *&c.* 240, ℣. *pen. lege, & et* 241,10. *attingentes.* 245,1. *necessarium est.* 249,24. *nugas agēdo.* 250,15. *si qua fœmina.* 252,23. *nigun. Ibidem.* ℣. *antep.* satagentes, 257, 4. *contra hoc malum.* 270,9. *post* decursū *distinctio tollēda.* 273. ℣. *antepē. l.* tephillin *sunt, per quæ, &c.* 274,10. *clausa.* 276, 15. *bonum.* 277. *in marg. lineæ* 5. perach. 282,7. *pyxis.* 273,1. *pyxidiculam. & ita mox* ℣. 5. *pyxidiculamque.* 285,20. *halitū,* 294,9. *queat.* 312,12, & 13. *annorum & mensium.* 320,3. *inidoneæ.* 321,25. *tum & ipsi denuo.* 334,3. desub. *coniunctim.* 339,29. *f. Calix auri Babel est in, &c.* 355, 8. *summum tertium.* 365,10. *adornant. In tab.* 372, ℣. *pē. nouæ quilibet primus antiquitus, &c.* 396,24. *tuburcinantur.* 418 23. *Iubilæi, qui* 419. ℣. *pen. diutissime.*

456. *& oua edunt*. 469, 8. VOX *mini-me*, delenda. 478. ℣. *penul. Quando sponsa virgo est, tum vitrum oris angusti; quando vidua est, tum vitrum oris lati sumit; at alibi, ceu Wormaciæ, vns*; &c. 503, 11. distinctio post *absterget*, ponenda non fuisset. 508, 1. *Iudaicę quamoptimum*. 514, 14. filios Seth. 520, 1. *Va nobis, aiet, va nobis. Paruuli, &c.* 526. ℣. *penult. sed*. 539, 24. *auem*, pro *autem*. 541, 17. *indigesta*. 542, 1. *spectatu*. 546, 21. pore. *Ibidem* ℣. 22. coruscationes. 572, 26. granum. 601, 7. *iture*, vel *itoque*. 608, 5. *trinum*. ibidem ℣. 7. *enim*. quæ vtraque preli vitio eò trigerunt: 617, 18. post *ait*, distinctio locum non habet. 618, 17. *Iudęa*. 619, 29, 30. *insomnes*. Ibidem ℣. penultimo post *expediret*, distinctio siue comma poni debuisset. 628, 15. *Sarę*. 632, 20. distinctio post *vno*, tollenda, vel eidem præponenda est. Ibid ℣. 23. *additę*. ibid ℣ penúlt. *quod ait*, disiunctim. 636, 4. *in diebus*. ibidem ℣. 19, & 20. *tempus aduentus eius per literas, &c.* vocibus illis tribus *significatum quoque est*, sublatis legendum. 641, 26. *hoc ad*. 642, 2. *iam deinde*. 644. *surdi audiant*.

---

OBSERVATA QVÆDAM post impressionem alia.

PAgina 39. ℣. 10. *eam* me scripsisse malem. quanquam *eas* illud fidei & superstitio-

ſtitionis habita ratione retineri poſſit. 85,21. *canã* mallem, quam *albam*. 112,26. *craſſum* pro *groſſum*. 113,12. *reuerentia* vel *verecundatione*, pro *pudore* 114,10. *vterque*. quanquã intelligendo *id quod eũ eſſe diximus*, retineri queat. 123,10 & 12. pro *expergiſci facere*, legere poteris ſimpliciter *expergefacere*. 174. *honoris Deo exhibẽdi gratia fiũt*. 176,19. poſt iuuare poteſt, Maledictus eſto, vel ſimile quid intellige. 230,24. & 25. *Minhagim*, *libris item templariis & oratoriis*. 258. ℣. *penult* poſt non ſit, adde *ita cogitare non debet*. 279,27. pro *inferno* mallem *eo*, quod *inferno* præceſſerit; 281.8. Quoniam vir iſte cuius hic fit mẽtio non ſat recte valuit, itaque ſcribi debuit; *maritus eius, peſte gallica vel ſcabie aliqua infectus, ei grauiter, &c.* 304,12. & locis adhuc aliis quibuſdam pro *capitalibus* mallem me *principalibus* poſuiſſe: eo non obſtante, quod ingenium capitale pro ſingulari vſurpatum videatur. 328,4. *craſſe contuſi*, mallem. 352,10. pro *coactus fuerit*, melius ſcripſiſſem, *neceſſe habuerit*. 356,24. *tabernacula quædã*, poſita diſtinctione non poſt tabernacula, ſed poſt quædam: nũc mallẽ. 381. ℣. *penult homines* malim, quã *hominẽ*, ℣ *eoſdẽ* mox ſubdatur. 409,1. Mallẽ *Bini in locũ tẽpli ſecretum ſecedũt*. 459. ℣. penult. *lege filiũ quempiam*. 487,28. forte pro *nomẽ* ſcribẽdum mihi fuiſſet, *Semen* 509,29. pro *bis* legẽdum *ter*. 527,20. pro *præcedẽtẽ* legeretur forte meli⁹ *præcedẽtiũ*. 530. ℣. 31.

poteſt etiam legi *ablegabit*. 536, 29. *f.* Liſaſan. 538, 2. Vellem me poſt *eius* poſuiſſe, *aiētes*. 539, 22. *zizis* dixi in caſu gignendi, quod quia nunc lectoribus plerisq; de zizis, i. palliolis Iudaicis ab initio libri ſæpiꝰ memoratis, mentionē fieri putaturis, obſcurius futurū vereor; ideo mallem me *ziz*, ſcripſiſſe. 539. ℣. vltimo *crura* progenua mallem. 551, 3. Mallem diuiſim *nihilo minus*. Senſus enim eſt; fœdus circumciſionis gratiæ diuinæ erga Iudæos ſignū fuiſſe non minus quam legem ipſam. 614 13. pro *presbyteri* fortaſſe malit aliquis *Sacerdotis*. quod & ipſe iam præfero. 618 19. *Aquiba* Gallorū more idem eſt Rabbi, qui ſemper in præcedentibus per Buxdorfium noſtrum Akibha ſcribi ſolitus eſt. 623, 4. vellem ſcripſiſſe me, *dictionum harum* רבל אשר בר *in ſentētiis his:* Gaudeant cæli, & exultet terra, & plenitudo eius: Geſtiat ager, & omnia quæ ſunt in eo: *occurrentium inueni.*

SYN-

# SYNAGOGÆ IVDAICAE

## CAPVT I.

## DE ARTICVLIS FIDEI Iudaicæ, executione mandatorum Dei, causa denique superstitionis ipsorum.

QVEMADMODVM dominus Deus per prophetam Iesaiam de populi Iudaici hypocrisi, induratione & ignoratia locutus est hunc in modum: *Propterea quod appropinquauit populus iste ore suo, & labiis suis honorauerunt me: cor autem eius elongauit se à me: fuitque timor eorum quo timuerunt me mandatum hominum edoctum. Propterea*, inquam, *ecce ego addam, vt mira faciam in populo isto: mira*, inquam, *& miraculum: peribit q; sapientia sapientium eius, & intelligentia intelligentium eius abscondet se se:* Itare ipsa id ei contigisse deprehendimus. Etenim in opinioso ipsorum cultu præter hypocrisin & falsitatem nihil est: inter Rabbanim siue scribatū itidem Iesaiæ 29. 13. & 14.

ipsorum intelligentissimos quosque præter ignorantiam & insipientiam grádem, in cognitione præsertim Dei, verbique eiusdem interpretatione, ne tãtillum quidem inuenias. In populo vero Iudæorum toto, præter horrendam indurationem & obstinationem in conuersatione & actione eius quacunque nihil obseruare queas. Eo tamen non obstante, pro populo Dei electo illo venditare se non erubescunt. Tales etiam, qui pro verbo Dei purè propagando valde zelentur, videri volunt; quippe qui perfecta fide in Deum credãt, eidemque soli recta veraq; confessione præ populis aliis omnibus adhæreant: prout eis Apostolus Paulus testimonium perhibuit, quod Dei causa zelétur quidem, zelus autẽ ipsorum talis, zelus imperitiæ sit. Inde scilicet est, quod Iudæi in diem vsque hodiernum firmiter super cultu ipsorum superstitioso propugnent, profitentes se fidei bene fundatæ indubitatęque erga Deum omnipotentẽ, qui & cælum & terram creauit, qui vnus, vnius itidem eiusdemq; essentiæ sit, quique Deos coram se alienos nullos planè patiatur, esse. Rom. 10. 2.

Fides autem Iudæorum *ikkarim* seu articulos tredecim in sese cõplexa est: qui secundum breuitatẽ, & prout in *tephillos* siue libris precationum ipsorum descripti sunt, hunc in modum se habent.

1. Cre-

1. Credo, *beamunah schelemah* hoc est, vera perfectaque fide, quod Deus creator, gubernator & sustentator creaturarū sit omnium; quod idem ipse operatus sit omnia, operetur adhuc, & in æternum operaturus sit.

2. Credo perfecta fide, quod Deus creator vnus sit, quodq; vnitas talis, qualis in eo est, in alio nemine reperiatur: qui solus Deus noster fuerit, sit adhuc, & in æternum Deus noster permansurus sit.

3 Credo perfecta fide, quod Deus creator non corporeus, proprietatibus corporeis nullis præditus sit: quod essentia denique corporea eidem nulla comparari possit.

4. Credo perfecta fide, quod Deus creator & primus & nouissimus sit, quod ante illum nihil fuerit, quod ille postremus in æternum permansurus sit.

5. Credo perfecta fide, quod ille solus adorandus sit, quodq; nullus præter eum rectè adorari possit.

6. Credo perfecta fide, quod omne, quodcumque prophetæ docuerunt & loquuti fuerunt, veritas syncera sit.

7. Credo perfecta fide, quod doctrina prophetiaque Mosis vera sit, quod idem ille & pater & caput sapientium fuerit omnium, quotquot ei coætanei fuerunt, quotquot ante ipsum vixerunt, quotquot

denique post ipsum temporibus futuris & extaturi & victuri sint.

8. Credo perfecta fide, quod lex tota, perinde vt ea hodierno tempore in manibus nostris est, ita per Deum ipsummet Mosi tradita sit.

9. Credo perfecta fide, quod lex eadem hæc nunquam mutanda, quodque lex alia nulla nobis à Deo nostro danda sit.

10. Credo perfecta fide, quod operationes & cogitationes hominum & nôrit, & intelligat, prout in propheta scriptum est: *Qui formauit simul cor eorum, considerans omnia opera eorum.* Psal. 33.15

11. Credo perfecta fide, quòd Deus omnibus opera ipsorum recompensaturus sit; omnibus, inquam, quotquot mandata eius executi fuerint: econtra verò puniturus sit omnes, quotquot interdicta eius transgressi fuerint.

12. Credo perfecta fide, quod Messias ille venturus adhuc sit. Et quamuis ille aduêtum suum diu differat; nihilominus tamen eum venturum sperabo, eum dieb. singulis tamdiu dum tandem veniat, expectaturus.

13. Credo perfecta fide, quòd expergefactio mortuorum futura sit; tempore scilicet illo, quod Deo creatori videbitur oportunum: cuius Dei creatoris nomen valde benedicatur celebreturq; in secula seculorum, Amen.

Hæc

Hæc articulorum fidei Iudaicæ tredecim, prout iidem in libro precationum eorum quotidianarum breuiter summarieq; comprehensi nec nō annotati sunt, summa est: in qua fide miserabiles isti cœciq; Iudæi miserabiliter magno cum gemitu, magna cum anxietate, magna cum dubitatione & eiulatione morientes dispereunt. Vt autem melius intelligatur, quidnam præcipue sibi cum tali fide velint, articulos illos fidei ipsorum aliquanto dilucidius declarabo. Et primo quidē sciendum est, quod fides illa Iudaica, Mosaicaque religio, quemadmodum Iudæi scribunt, super articulis his semper fundata, primum vero per doctissimum illum *Rabbi Mosche bar Maimon* (qui anno post conditum mundum 4964. secundum cōputandi rationem Iudæis vsitatam; sed anno Christi 1104. vitam cum morte cōmutauit) scripto comprehensa, & in ordinem hunc ipsum redacta fuerit; quodque deinde seuere mandatum sit, vt exinde temporibus perpetuis Iudei omnes fidem hanc ordine confitentes secundum eam solam & viuendum & moriendum esse statuerent. Hinc factum est, vt articuli isti copiosē explicati fuerint, indidemque liber aliquis grandis cōscriptus sit, è quo articuli iidem vberius, quam prius cōmemoratum fuit, excerpti, in magnum illum *Esrim vearba* librum, Hebræave

Biblia Venetiis per Danielem Bombergum operâ Felicis Pratensis anno Christi 1517. excusa, ad calcẽ expressi fuerint; vbi eum in modum, quem nunc subiecturus sum, declarati reperiuntur.

Articulus ergo primus de Deo est, qui creaturarum creator est omnium, *illáh haillos*, id est, causa causarum, ens entium; quod omne, quodcunque & superius in cælo, & inferius in terra reperitur, per eũ creatum sit, in eoque subsistat; quod idem omne secundum voluntatem eius simplicem condiderit; quod idipsum omne rursus secundum beneplacitum eius in nihilum rediturum sit. Quamuis autẽ quodlibet ab eo factum in nihilum rediturum sit, quod tamen essentia eius non interitura, diminutionem item mutationemque sui nullã planè passura sit; ideo quod essentia eius *mezius gemurah*, hoc est, perfecta subsistensque sit; quæ nullius indiga, nullius vel opis vel adiectionis opus habeat. quod idem lux illa æterna, fortitudo, & vita sit, quod eius sit regnum rerumque moderatio omnium: quod idem vere vnus, & rex celeberrimus sit. qui articulus super verbis his: *Ego Iehouah Deus tuus*, &c. fundatus est. Exod. 20.2.

Articulus secundus de vna eadẽq; Dei essentia vel natura est; quod ipse videlicet *echad vmeiuchad*, hoc est, vnius essentiæ sit: quodq; nihil vel intra vel extra mundum.

dum constet, quod ipsi, quantum ad vnitatem & identitatem hanc attinet, conferri queat. Ille, non est vt ens vel commune vel singulare, quod genera sub se plura complectatur; neque *keechad hammurcabh*, prout ens aliquod cõpositum, quod iccirco in partes aliquot iterum diuidi possit: neque vt *guph paschut*, hoc est, corpus simplex; quod numero sui vnum quidẽ est, sed vel augeri vel minui potest: at vnus est in essentia quadam numeris omnibus & absoluta & perfecta; cui iccirco essentia alia nulla, quod ad vnitatem talem attinet, comparari queat. Articulus hic fundatus est super verbis sequẽtibus his: *Audi Israel, Iehouah Deus noster, Iehouah vnus est*, &c. Deut. 6. 4.

Articulus tertius est, quod Deo *middas hagguph*, id est, proprietates corporeas, vel quicquam eorum, quod corpori accidat ita, vt ab eo rursum separari possit, quale est, ire, stare, loqui, tacere, sedere, currere, aliaq; id genꝰ cõplura, attribuere fas nõ sit. Hinc etiam fit, vt quotiescunq; scriptura sacra res eidem corporeas assignat, illud *al derech haabharah*, hyperbolicè, & *kilsohon benè haadam*, secundum morem loquẽdi hominibus vsitatum fieri intelligendum sit: eum in finem, vt natura diuina per homines tanto melius & intelligi & comprehendi possit. Articulus hic super verbis his: *Non enim vidistis vllã* Deut. 4. 15.

*imaginem vllius simulachri*, &c. fundatus est.

Articulus quartus intellectum tã simplicem habet, vt intelligi per se facilime possit: quod nimirum Deus *Kadmon*, primus vel æternus sit: illud autem quodcũque præter Deum est, temporarium sit, & in tempore esse cæperit. Articuli huius fundamentum est super verbis his, quibus *elohe kedem*; id est, Deus, Deus æternitatis, id est, æternus esse declaratur: item super his: *Ego primus & nouissimus; & praeter me non est Deus.*

Deut. 33. 27. Iesaiæ 44. 6.

Articulus quintus est, quod Deus vnus adorandus sit, quod ei soli seruiendum, quod eum sublimiter extollere, laudare & celebrare oporteat; quod Deum alium planè nullum ratione tali honorare liceat, siue honorandus ille angelus aliquis sanctus, siue astrum, siue aliud quodcunq; ex elementis quatuor compositum sit: quod illud totum creatura eius sit, terminis certis circumscripta, ideoque finita: ipse verò solus creator sit, qui vt principium non habeat, ita fine quoque careat: quòd creaturę omnes necessitati subiectę obnoxiæque arbitrii ipsarum non sint; eaq; re à Deo solo, qui solus arbitrii eius sit, adeo dependere necesse habeant, vt eũ nihil ita impedire valeat, quin quicquid velit, efficere queat: item, quod *melitzim*, id est, procuratores aut mediatores inter

& Deum

& Deum ipsum, & homines constituere fas non sit vllos. id quod nobis documento vtilissimo esse debet, vt idololatria nimirum longissimè à nobis remota Deo vero soli seruiamus; ad quod etiam faciẽdum nos *thorah*, hoc est, scriptura sancta prorsus vniuersa accuratè velut extimulare solet.

Articulus sextus est, quod Deus secundum bonitatẽ eius merumq; beneplacitum, aliquos saltem è genere hominum toto selegerit, quorum intellectum animumque præ intellectu animoque cæterorum omnium purgauerit, spiritu futura prædicendi donauerit, perspicaciam eorum ad voluntatem eius, creatoris ipsorũ, sic astrinxerit, vt per eos locutus sit ipse, viamque mortalibus, in qua incedere eos, si saluari vellent, oporteret, monstrauerit.

Articulus septimus est, quod Moses inter prophetas illos sublimissimus excellentissimusq; fuerit, quod idem gradum sapientiæ, perfectionisque humanæ, honoris atque dignitatis adeptus sit adeo sublimem, vt parangelis habitus fuerit. Vnde vaticinia ipsius vnius vaticiniis vatum cæterorum in rebus compluribus excelluisse deprehendantur: primò, quod Deus cum prophetis aliis locutus fuerit per angelum quendam, qui inter ipsum, Deum scilicet, & hos, prophetas nimi-

rum, mediator fuerit: cum Mose vero ore proprio à facie ad faciem, vel multo familiarissime locutus est.

Secundo, quod vates cæteri omnes vel per somnium quoddam nocturnum, vel somnum quendam profundum diurnum, in quo & membra eorum omnia, & corpora tota sic obstupefacta fuerunt, vt animus eorundem solus memoriaque sola vires eius retinuerit, vaticinari soliti fuerunt.

Num. 12. 6.7.8. Moses autem prophetias taliter non accepit, sed ita, vt de ipso perscriptum legitur:

*Si fuerit Propheta vobis, ego Iehouah in visione apparebo illi, in somnio loquar cum eo.*

*Non sic seruus meus Moseh, qui in tota domo mea fidelis est. Ore ad os loquar cum eo.*

Vnde apparet, quod Moses prophetias de die accipere consueuerit, quoties ante *Cherubim* stetit, prout scriptum habetur:

Exodi 25.22. Ex eo loco (nempe *propitiatorio*) *inter duos Cherubim, quod est super arcam, testimonium, loquar tecum; quæcunque præcipiam tibi* dicenda *filiis Israel.*

Tertio, quando spiritus prophetiæ super prophetas alios siue per somnium, siue per visionem, siue per angelum quendam venit, viribus ipsorum velut exui consueuerunt, adeo, vt perterrefacti

facti cohorruerint tremuerintque, sicque factum fuerit, vt anima ipsorum difficulter in illis remanserit; prout de Daniele propheta memoriæ proditum est; qui, *Caterùm vidi ego Daniel* (inquit) *solus visionem illam: viri autem, qui erant mecum, non viderunt hanc visionem, sed terror magnus irruit super eos, ita vt fugerent, vt abderent sese.* Dan. 10. 7. 8. 9.

*Itaque ego relictus sum solus, & vidi visionem magnam hanc, neque remansit in me vlla fortitudo, & vis mea mutata est in me in corruptionem, nec retinui fortitudinem vllam.*

*Et audiui vocem verborum eius.*

*Quum autem audissem vocem verborum eius, fui soporatus super faciem meam, & facies mea ad terram*, &c. Mosen vero trepidatio nulla, anxietas nulla inuasit, quotiescunque prophetias accipere solitus est: Vnde scriptura quoque dicit, quod Deus cum Mose de facie ad faciem collocutus perinde fuerit, atque aliquis cum amico suo colloqui consueuit; familiariter nimirũ, & sic, vt tremore nullo fuerit correptus. Exod. 33. 11.

Quarto, prophetæ alii facultate sua ipsorum, & quomodo & quando voluerunt, prophetare non potuerunt; sed tum tantummodo, quando Deus id eos facere iussit non solum, sed & faciendi donum virtutemque concessit.

vnde contigit etiam non raro, vt ipsi Deum inuocantes rogarint, vt illis spiritum prophetandi communicare dignaretur: qui iidem sæpius etiam per tempus aliquod non prophetarunt: interdum quoque id facere penitus desierunt. Ea quoque de causa exhilarationē quandam per fidium sonum, prout fecit Elisa, expetiuerunt, vt ita & spiritum, & intellectum excitarent. Moses autem prophetare potuit quotiescunque & voluit & opus illi esse consueuit. Vnde scriptum est: *Expectate vos hîc, vt audiam ego, quid dominus vobis præcipere velit.. Et loquebatur dominus cum Mose dicens*, &c. Et has ob causas Moses prophetis præstantior fuit omnibus; idque adeo, vt ei propheta nullus vnquam comparari solitus sit.

2. Reg 3.

Leuit. 26.2.

Articulus octauus est de lege, quæ Mosi ex ore Dei data fuerit sic, vt hodie adhuc apud ipsos reperitur. Quomodo verò lex Mosi per Deum data sit, & an Deus eam Mosi scriptam tradiderit, aut Moses eandem ex ore Dei dictantis exceperit nec ne, amplius scire necesse esse non videtur. Attamen si ex ore Dei processit, necesse est, eam totam esse veram: nullūque discrimen est inter verba, quæ in lege scripta sunt, omnia: verbi gratia: *Ego sum dominus Deus tuus*, &c. *Et Thimna cōcubina*

erat Eliphæ Esauo prognati. Item, *Liberi Chami satu editi sunt Chusus, Mizraimus, Putus & Canaanus.* &c. Et, *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est*; & si qua id genus plura sint alia. Omnia enim hæc aliaque similia, verbum Dei & sanctum sunt & verum. Simili modo expositio legis diuinæ *mippi haggebhurah*, ex ore Dei processit. Sic omnia quæcunque circa *lulabh* aliaque id genus complura tempore festi tabernaculorum obseruari solent, vt sunt, cornuum inflatio, *zizim*, *tephillin*; de quibus vt vt in lege Mosis scripta expressum non reperiatur quicquam; obseruantur tamen non aliter quam Deus Mosi, & Moses deinde nobis declarauit, oretenusque demõstrauit. Moses autem, Deo id attestante, fidelis fuit in domo eius vniuersa. Et Moses ipse: *In hoc*, inquit, *scietis, quod Iehouah miserit me, vt facerem omnia opera hæc, & quod non de corde meo.* Num. 12. 7. Num. 16. 28.

Articulus nonus de mutatione legis est: quod lex Mosis in æternum non mutanda, neque lex alia vlla secundum eam danda sit; quod eidem nihil addi, nihil itidem adimi debeat: ideoque vel in scriptura, vt ad eam punctus vnus vel litera vna addatur, econtrave ab ea detrahatur: vel in expositione lex eadem augenda diminuendave nequaquam sit. Vnde futurum quoque sit, vt templum Dei sanctum & vrbs Hierosolymorum rursus ædificã-

da, sacrificia cærimoniæque Mosaicæ legis omnes restaurandæ, Iudæique adeo ipsi in terram ipsorum, vt ibidem vel in æternum legem Mosis obseruent, tãdem aliquando reducendi sint.

Articulus decimus secundum intellectum eius simplicem è litteris sacris notus est satis.

Articulus vndecimus de operum & bonorum & malorum recompensatione est. Recompensatio operum bonorum est *olam habbha*, mundus nimirum futurus, & vita æterna: punitio operum malorum, animarum econtra deletio & perditio æterna est. Vnde scriptum extat: *Nunc autem si remittas peccatum eorum: aut si non, dele me, precor, de libro tuo quem scripsisti: Et dixit Iehouah ad Moseh, Qui peccauit mihi, delebo illum è libro meo*, &c. Exod. 32. 32. 33.

Articulus duodecimus est de *Messia* adhuc venturo: cuius aduentus pro certo credendus sit, quantumuis ad veniendum diu moretur: cui ad veniendum nemo terminum quenquam certum præscribere audere debeat; quin è *pesukim* siue scripturis tempus, quo venturus esse videatur, explorandum non esse volunt. Hinc etiam *chachamim* & Rabbini sublimiter docti dicere soliti fuerunt: *tippach ruchan schel mechasschebhe kitzin*, quod est, vtinam dissiliat spiritus eorum, qui temporis rationem subducunt. In *Messia* ve-

rō fiduciam collocādam esse docuerunt, eundem item amandum, laudibus extollendum, & expectando expetendum vt citò veniat; quemadmodum prophetæ omnes, quotquot post Mosen ad Malachiam prophetarum omnium postremū vsque factitare soliti sint: cùm econtra, quisquis de aduentu dubitet, *hu mathzibh thorah cullah*, is legem vniuersam falsitatis mendaciique coarguat (imo, te miserum cœcunque Iudæum lex tota falsitatis mendaciique reum facit, qui dubitans eum nondum venisse, sed venturū esse credas, cum venerit iamdudum) in qua de ipso plana claráque promissio perscripta sit, in *parscha* præsertim *Bilham*, hoc est, capitulo libri Mosis quarti vigesimo quarto, & in *Parscha nitzabhim*, hoc est, capitulis libri Mosis quinti vigesimonono trigesimoque sequente, aliisque nō nullis.

Articulus tertius decimus de resuscitatione mortuorum est; de quo hoc in loco nihil loquendum videtur. Quisquis igitur fundamenta hæc perfectè credit; is numero Israelitarum accenserur. Et hunc talem esse aiunt, qui amandus sit, cuius quemlibet misereri, & cui omne id, quodcunque Deus creator proximo suo fratriq; ex amore vero, fraternitate atque amicitia non ficta faciendum mandarit, facere deceat. Hunc etiam reputant pro-

tali, vt quanuis peccata committeret, quę in mundo causa naturalium cupiditatum malarum & malitiarum nobis innatarum sint, omnia; ideoque secundum qualitatem meritumque peccatorum eius in mundo eodem puniatur: nihilominus tamen vitæ particeps futurus sit æternæ, peccatoribus Israeliticis annumerandus. Quisquis autem fundamentum articulumve horum omnium vel vnicum euertat, eique fidem non adhibeat; eum ad rempublicam Israëliticam non pertinere affirmant: quod talis Deo abnegato velut Epicureus aliquis abhorrendus sit: quippe qui, quod rectè beneque plantatum est, eradicet; ideoque dignus existat, qui repellatur, abiiciatur, aboleatur funditus. Etenim de tali loquitur scriptura, *Nonne*, inquiens, *odio habentes te, Iehoua, odi? & insurgentium in te tædet me?* Psal. 139. 21.

Ita hactenus sensum genuinum fidei Iudaicæ è *Rabbi Mosche bar Maimon*, qui vulgo apud Iudaicos scriptores abbreuiatè verboque curtato *Rambam* & scriptus & appellatus reperitur; paulo copiosius explicare volui: vt inde tanto melius videre quis & cognoscere possit, quorsum fides huiusmodi Iudaica directa esse videatur. Cuius articulos quisquis è libris ipsorum diligentius examinabit, is facilè deprehendet, quod *Rambam* iste, quando illos taliter ordinauit, propositaque nomi-

nominis Iudaici salutisque eius amissione, confessionem eorum cuilibet seuerè iniunxit; oculos aliò intentos non habuerit, nisi vt fidem Christianam apud Iudæos euerteret, falsam eam exosámque redderet, ab ea denique suscipienda populares eius absterreret. Ita articuli illi de creatore vno eoque incorporeo & æterno Deo spectant eò tantum, vt doctrinam Christianam & de trinitate & persona Christi condemnantes contemptibilem reddant: quasi vero nos Christiani trinitatem statuentes, Deos tres faciamus, Christusque non Deus, aut natura diuina præditus esse possit, cum non ab æterno, sed in tempore quodam certo corpus humanum assumere dignatus sit: vnde, cum sequatur, eum Deum verum non esse, adorandus quoque non sit: quod adoratio Dei solius propria sit, prout articulus fidei Iudaicæ quintus habet: id quod & inde concludatur, quia Deus solus cordium scrutator sit, qualis ipse Christus non sit, articulo fidei ipsorum vndecimo illud affirmante. Sic articuli sextus, septimus, octauus, nonus doctrinæ Christi, totique adeo fœderi nouo è diametro repugnat: innuentes nimirum, quod Christus verus propheta doctorque diuinus non fuerit: quippe qui doctrinam eius ex ore Dei cõtra quam Moses, acceptam non habuerit; ideoque contra legem Mosis, quæ immu-

tabilis manere debeat, docendo concionatus, eandemque multis in partibus immutare veritus non sit.

Quod si deinde verum est, hominem propter integritatem vitæ, executionem mandatorum Dei, opera denique bona, vitam æternam promereri posse, perinde vt econtra propter impietatem operaque eius mala pœnarum æternarū reus fit; ad quid, oro te rogoq;, passio Christi & mors eiusdē nobis vtilia esse possunt? Tēporis non multum decursum est, cum Iudæus quidam mihi dicere non dubitaret, nemini opus est, vt pro peccatis meis satisfaciat; quod vulpem quamlibet pellem propriam excoriatori porrigere deglubendam, piloſque proprios euellendos eiusdem potestati relinquere oporteret. Articulus itaq; decimus, quo Christū redemptorē nostrū esse profitemur nos, doctrinæ huic contrarius est. Eodem vero, vt nempe fidem Christianorum & suspectam & contemptibilem reddant, Iudæi, præter Rambam istū cęteri, literis imbuti in scriptis libriſque ipsorum spectant omnibus: inter quos in primis est *Rabbi Ioseph Albu*; Hispanus, qui anno Christi 1425. libellum quendam conscripsit, cui ipse *sepher ikkarim* titulum fecit. In libro isto strenue pro fide Iudæorum pugnat, *sortemque vikkuach* siue disputationem contra fidē Christianorum instituit. Fidem vero Iudæo,

dæorum fundamentis superstruit præcipue tribus. Et primo quidem super *metzias hasschem*, hoc est, super vna illa essentia vnius Dei, quo & trinitatem & Christi abnegat deitatem: Secundo super *thorah Moschè min hasschamaim*, hoc est, super lege Mosis, quæ e cælis à Deo ipsomet, ex ore scilicet ipsius, delata fuerit: quo & doctrinam Christi, & nouum reiicit testamentum: ita consequenter innuens, quod Christus propheta falsus, atque ita Messias non fuerit: prout in punctis duobus hisce, illo nimirum de trinitate, hoc de persona Christi, pugna nec non discrepantia præcipua inter Iudæos & Christianos est. Tertio fidem Iudaicam super *sachar veoneschi*, hoc est, æterno operum bonorum præmio, æternoque operũ malorum supplicio ponit; contemnens ea ratione passionem mortemque Christi, super hominum peccatis per eundem vtraque tolerata.

Eodem quoque referendus est liber iste & fœdus & turpis *Nizzachon*, per *Rabbi Lipmannum* in lucem editus, qui certo talis est, vt dubium non sit, quin eum ex ore diaboli dictantis exceptũ anno Christi 1459. literis consignarit. Hunc scilicet iste in fraudem historiæ Euangelistarum quatuor composuit; è quo Sebastianus Munsterus, meus antecessor ante tempus aliquod linguæ sanctæ in vniuersitate hac

professor, multa desumpta in Euangelio Matthæi refutauit.

Cum itaque Iudæi sic indurati nec non excœcati in id incubuerunt, vt fidē Christianorum abnegarent, falsitatisque coarguerent; illimet in superstitionem, eamque tam magnam incurrerunt, vt fidem in Deum verum amiserint pene totam, neque quid credere debeant, sciant ipsi. Quamuis enim de firma perfectaque fide in Deum, qui creator & cæli & terræ, vnus, vnius eiusdemque naturæ, æternus & in æternum permansurus sit, superbissime se iactent; fides tamen eiusmodi fides recta nominari certe non potest: cum Deum illum, in quem se credere tam animose prætendunt, ratione tali non cognoscant, quali in verbo suo sese manifestauit ipse. Iam vero verbū, quod est Moses & prophetæ (quanquam nonnihil obscurius, quam testamentum nouum) nobis eundum Deum patefaciunt: ostendētes nimirum, quod intuitu quidem essentiæ, vnus; intuitu vero personarum trinus sit; Deus nempe pater, filius, Spiritus sanctus: Iudæi vero cum in Deum talem non credant, ipse vero Deus genuinus verusque sit, qui & cælum & terram creauerit; sed eum potius abnegantes scandalizentur; sequitur profecto, quod in Deum illū verum non credant, sed in magna potius illius ignoratione, idololatriæ pleni, ver-

ni, versentur. Quod iidem quoq; dicunt, omne id, quodcũque Moses nec non prophetæ scripserunt, credere se verum esse: eorundemque verbis neque quicquam addendum, neque quicquam adimendum: Mosen itidem grandem quendam præcellentemque vatem fuisse; hoc totum & verum est, & ab illis recte dictum: male vero ab iisdem & intellectum & creditum affirmare non dubitamus. Primo enim non modò non credunt omne id, quodcunque in libris & Mosis & prophetarum scriptum est, sed & *chachamim* suorum, cæterorumque sapientium Rabbinorum super legem nec non reliquum Dei verbum expositiones Mosi prophetisque præferre solent: imo, quod *chachamim* siue Rabbinorũ horũ quam Mosis verborum ratio maior habenda sit, aperte contendere minime verentur. Porro traditiones, statuta, ordinationes maiorũm suorum non pro *tosephos* vel additamentis ad legem Dei factis habent, sed pro lege ipsissima, quam Moses ex ore Dei ipsius acceptam alios ore quoque docuerit; literis autem eandem minime consignarit; & id hac de causa, ne eam gentiles non aliter ac ipsi discentes, executioni perfectæ mandarent; prout ipsi putant; quod sine declaratione tali lex Mosis neque intelligi neque præstari possit: quemadmodum ego hac de re mox copiosius

locuturus sum. Quod isti præterea sibi persuadent, legem conditione tali diuinitus promulgatam esse, vt in ea nihil eius parte vlla tempore vllo mutandum sit, in eo simul à scopo deuiant non parũ. Lex enim cęremonialis aduẽturum Christum significauit: qui cum per aduentum suum in mundum legi isti finem imposuerit, mox deinde tẽplum sanctum quoque ipsum humi prostratum, & vrbs Hierosolyma cum sacris omnibus deuastata est, Iudæi ex ipsorum terra profligati, & inter gentes vbicunque locorum dissemināti degunt; vt intelligerent tandem iam tum pastorem vnum & ouile vnum esse factum: cum gentiles quoque ipsi, secundum prophetiarum excellentium earundemque complurium ad fidei in Deum omnipotentem cæli terræque factorem, communionem veniissent, thesauriq; verbi diuini, quod Iudæis omnium primis concreditum fuerat, illius eximii participes facti fuissent. Similiter errant grauissime quoque in eo, quod Mosen pro propheta tam præstante reputãt, vt Christum ei non solum vllatenus comparari non posse opinati sint, sed & falsum doctorem fuisse blasphement. Experientia nanque conuincit, quod hac in parte Iudæi multi in conscientiis ipsorũ de mendacio conuincantur. Recte credunt & illud, quod in Mose nec non in prophetis

aliis

aliis *Messias* promissus fuerit. Intellectus autem ipsorum peruersissimus est, quod non solum credere non velint, quod ille ante annos venerit ad eos quàplurimos, sed & in quem finem ad ipsos mittendus fuerit, & ad quid illis fructuosus & vtilis esse debuerit; ignorant. De eo nanque credunt illi solum hoc, quod eos non aliter quam Moses aliquis & Aaron ex hoc corporali terrenaq; *galus*, exilio captiuitatisque pistrino liberare, rursusque in terram ipsorum introducere debeat: idque eum in finem, ne diutius vinum absynthinum inter *goiim* istos bibere cogantur, sed dulci lacte, bonoque melle sese in terra ipsorum oblectandi & satiandi facultatem nanciscantur. Captiuitatis autē spiritualis istius sub peccatis ratione nullā prorsus inire cōsueuerunt. Pro peccatis enim suis in cute propria pœnitendo satisfacturos, vitamque æternam obseruatione mandatorum Dei, & operibus bonis facile sese promerituros esse, sibi persuadent. Etenim *goi Kadosch*, gens sancta sunt, scilicet.

Iuxta articulum fidei ipsorum vndecimum, credūt, quod quisquis multas *mitzuos*, siue opera bona facit; is mercedem magnam consequatur in mundo illo altero. Legitur in ipsorum Talmudo; *Col Israel iesch lo chelez leolam hab bha*: hoc est, Omnes filii Israelis partem obtinent Tract. Sanhedrin, cap. 11.

in mundo illo altero, venturo: quemad-
Iesa.60.21. modum scriptum legitur: *Populusque tuus omnes erunt iusti, in seculum hæreditate accipient terram*; eritque *virgultum plantationis meæ opus manuum mearum, vt glorificer*. Eo tamen non obstante, alius parte, quam alius, habebit maiorem. Is nempe, qui opera bona fecerit plura, partem consequetur maiorem. Impii, qui nulla *charathah* siue pœnitentia super peccatis ipsorum afficientur, per spatium mensium duodecim in inferno vel purgatorio patientur: quo tempore præterito partem suam consequentur & ipsi, sed eam minime tam magnam, quam *zaddikim* siue iusti isti in vita æterna. Qui vero cunque Deum prorsus abnegant, nomenque sanctum illius debilitant (id autem faciunt isti, quotquot à fide Iudæorum deficientes Christianismum profitentur) his iterum crescit *milah* siue præputium, quo facto, denuo præputiati sunt perinde ac si nunquam Iudæi facti siue circumcisi fuissent, & in inferno permanēt in æternum. Filius etiam à patre moriente relictus, per annum integrum precatiunculam quandam *kaddisch* appellatam dicere tenetur. Etenim per precatiunculæ istius recitationem pater ille vita functus è purgatorio redimitur; talisque pater bene animatus cum gaudio moritur ingenti: sciens nimirum, quod per filii superstitis preces

ex in-

ex inferno liberandus sit. Eodem quoque modo mulier proba maritum suum per orationem redimere potest. Fit etiam nõ nunquam, vt maritus & vxor probitate pares nõ sint, ideoq; alter altero in mundo illo futuro altius euehẽdus esse videatur. id quod si accidat, Deus eorum miseretur; amborumque hunc non minus quã illum eleuat in cælum simul. Vt dicam summatim, Iudæi in vita æterna partem consequentur omnes, & in cælum venient omnes: sed vnus alio præcellentior apparebit. Perinde enim vt in hoc mundo rex aut dux cum magna suorum multitudine in ciuitatem quandam ingressus hospitio suscipitur & tractatur, sed modo lõge dissimilimo; ita quoque fiet Iudæis in mundo illo venturo.

In articulo de resurrectione mortuorum Iudæi viuentes re vera mortui sunt. Primum enim dicunt, futurum esse, vt Israelitæ soli ex morte in vitam reuocentur; Christiani vero, populiq; alii omnes, non resurgant. Hinc legitur in *Rabbi Bechai* libro illo, quem ipse *kad hakkemach* appellat, hunc in modum: *Arba maalos pratios leiisrael bilbhad, velo bischear hammos*, &c. Honorem quadruplicẽ, & singularia, eademque præclara, Israelitæ habent dona, quibus populi alii destituuntur omnes: regionem nimirum Canaanẽ, legem, prophetias, mortuorum resuscita- Pag. 8.

tionem. Hæc omnia & repetit & punctorum eorum singulum singulatim in expositione capitulorum decimioctaui & trigesimitertii libri Mosis quinti copiose demonstrat. Vbi ad confirmationem puncti postremi inter alia testimonia testimonium vatis Esaiæ adducens ait, quod

Iesa. 26. 14. Esaias de *Vmos haolam* id est, Christianis aliisque præter hos populis prophetizauit dicendo: *Mortui* sunt, *non viuent*, *mortui* sunt, *non resurgent*. De Israelitis autem

Ibid. v. 19. dicit idem sic: *Viuent mortui tui*, cum *cadauere meo resurgent: Expergiscimini, & laudate habitatores pulueris: quia vt ros olerum ros tuus, & terra mortuos proiiciet.* E magno quoque Talmudo recensetur idem ibidem,

Tract. Rosch hasschanah, seu de nouo anno, cap. 1. quod in die iudicii illius magni, genera mortuorum tria resuscitanda sint; quorum vnum futurum sit Israelitarum probissimorũ: alterum Israelitarum improbissimorũ nec non impiissimorum, tertium deniq; Israelitarum *benonim* vel mediocrium: qui non minus bene quam male operati fuerint. Probos illos euestigio ad vitam æternam inscriptum obsignatumque: improbos autem in gehinnam siue ignem infernalem abiectum iri dicit: quemadmodum scriptum sit, quod

Dan 12. multi sub terra cubantes dormientesque euigilaturi sint, & eorum quidem illi ad vitam æternam: hi vero ad ignominiam & dedecus æternum. Ex his discimus, inquit

quit *Rabbi* iste, quod impii de populo Dei Israelitico etiam ipsi resurrecturi sint; sed quod resurrectio ipsorum ipsis in exitium æternum cessura sit; cum futurum sit, vt in inferno & animis & corporib. affligantur, &c. Benoniim seu mediocres peccatores isti per spatium *chadaschim* siue mensium tantummodo duodecim, pro peccatis ipsorum in inferno torquebuntur: quibus mensibus duodecim elapsis corpora eorum consumentur, ventusque cineres eorum diffiando disperget subtus plantas pedum iustorum, &c. In Talmudo vero punctus hic è prophetæ Zachariæ capite tertiodecimo probatur, Zach. 13. vbi scripta leguntur verba hæc: *Erit in tota hac terra, dicit Dominus, partes duæ in ea succidentur* ac *deficient*: *tertia autem relinquetur in ea. Adducamque tertiam* illam partem *per ignem, & conflabo eos sicut conflatur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum: ipse invocabit nomen meum, & ego exaudiam eum; dicamque: Populus meus ipse est, & ipse dicet, Iehouah Deus meus est.* &c. De iisdem loquitur scriptura sacra (1. nimirum Sam. 2. 6.) hunc in modum: *Iehouah mortificat & vivificat, descendere facit ad inferos, & ascendere facit.* *Rabbi* quoque *Dauid Kimchi* super Psalmum Dauidis primum commentans scribit, quod *reschaiim* vel impii isti resurrecturi non sint. *Ella tobhad naphscham im haggu-*

*phan beiom miſah*, id eſt, Sed anima eorum vna cum corpore in die mortis, vel, quãdo corpus morietur, peribit. Eodem quoque ſenſu ſuper dextum vigeſimumque Eſaiæ prophetæ caput commentatus eſt idem: *Techias hammeſim latzaddikim velo lareſchaiim*, id eſt, Reſuſcitatio mortuorum ſolis debetur iuſtis & piis, impiis verò minime. *Rabbi Saadiah* ſuper locum Danielis prophetæ paulo ſuperius allegatum ſcribit, quod vocula illa *multi* numerum tantummodo quendam certum deſignet; intelligendaque idcirco ſit de probis duntaxat Iſraelitis, qui ſoli partẽ in vita habeant æterna. Qui vero non euigilant, eos aſſerit eſſe illos, qui dominum deſeruerint, ab eoque defecerint; qui propter id in cameram inferni infimam venturi, ibidemque ad iguominiam perpetuam remanſuri ſint. In ſententiam prorſus eandem è *Rabbi Higgaon*, ſcribit *Aben* quoque *Ezra* in ſuo *Peruſch* vel expoſitione loci Danielis prophetæ citati; quod vt multi euigilaturi; ſic eõtra multi euigilaturi non ſint: & quod euigilaturos vita maneat æterna; non euigilaturos ignominia nunquam ceſſatura vel finem habitura. Huius autem ſenſus iudicio (dicit *Aben Ezra*) meo, talis eſt; quod Iudæi iſti probi, quotquot in *galus*, vel exilio mortui fuerunt, iterum reſuſcitati victuri ſint, quandocunque *Meſſias* aut libera-

berator ille aduenerit. De illis enim loquitur scriptura sic: *Iuxta dies arboris erunt dies populi mei*: intellige, quemadmodum arbor vitæ, perinde vt in lingua Chaldaica explicatum est; vel vt arbor, quæ per annos centenos aliquot durans non perit: ita quoque populus meus non peribit. Ii enim, qui tempore Messiæ resuscitabuntur, tam diu victuri sunt, quam diu patriarchæ ab Adamo ad Noam vsque vixere: prout *Aben Ezra* super locum ex Esaia propheta superius allegatum cõmentatus est. Atque tum tẽporis iidem exhilarabunt sese, lætosque præstabunt, magnum illum piscem *Leuiathanem*, nec non auem illam magnam *ziz* appellatam, magnum denique bouem illum *behemoth*; de quibus seorsim in capite quodam singulari à nobis dicetur: esuri. Eo autem facto, denuo morietur iidẽ; tum reuicturi, quãdo mortui postremi erunt resuscitandi, tandemque in vitam penetraturi æternam: vbi neque edetur, neque bibetur quicquam, sed splendoris gloriæque diuinæ vsus concederetur, &c. Iesa. 65. 22.

In libri Mosis primi capite quadragesimo septimo de Israele vel Iacobo legitur, quod is, vbi tempus mortis eius appropinquasset, filium suum Ioseph illum ad se vocatum rogarit, ne eum in Ægypto humare, sed indidem elatum in Canaane patribus eius aggregare vellet. Gen. 47. 29.

Super hoc *Rabbi Salomon Iarchi*, scribit, quod Israel in Ægypto humari noluerit, tres ob causas. prima est, quod per spiritū propheticum viderit, fore, vt ex terra Ægyptiaca tandem aliquando pediculi nascerentur, prout in libri Mosis secundi capite octauo scriptum est. Secunda est, quod Israelitæ, qui extra terram Canaanem morerentur, reuicturi vel è morte resurrecturi non essent, nisi per dolorem ingentem è volutatione per profundas absconditasque terræ cauernas facienda perceptum. Tertia est, ne Ægyptii, ad idolomaniam valde propensi, idolum, quod adorarent, cum ipsis constituerent. Vt totum hoc melius adhuc intelligatur, quicquid in libro *Tanchum* (qui liber pentateuchi Mosis expositio est) hac de re copiosius perscriptū reperitur, huc apponere non grauabor. *Rabbi* causa *Rabbi Chelbo*: Qua de causa, inquit, patriarchæ, tam vehementer, vt in terra Canaane tumularentur, expetiuerunt? sibique respondens ait, id eos fecisse propter hoc, quod ii, q in terra Canaane illa mortui tumulatiq; fuerint, in die Messiæ primi omnium reuicturi sint. *Rabbi* quoque *Hananiah* dicit: quod quisquis extra terrā Canaanem mortuus sepultusque fuerit, ei mortes duæ sint oppetendæ; quod è loco vatis Ieremiæ percipi queat hoc sequēte: *Tu autē Pashur, & omnes habitatores domus tua.*

Exod. 8.

Ierem. 20. 6.

*tua ibitis in captiuitatẽ, & Babel ingredieris ibiq; morieris, & ibi sepelieris*, &c. Tunc dicebat ad illum *Rabbi Simon*, quod si hoc ita se habet, sequetur, quod *Tzaddikim* siue iusti perituri sint omnes, quotquot eorum extra terrã Canaanẽ fuerint humati? Minime vero gentium. Deus autem facit illis *mechillos*, hoc est, rimas spelunculasq; sub terra profundas, per quas, in *eretz Israel*, id est, in terram & promissam, & sanctam vsq; permeare possint; in quam quũ peruenerint, inspirabit eis Deus halitum vitalẽ, vt resurgãt; quẽadmodũ literis mãdatũ legim°: *Ecce, ego aperio tumulos vestros, & educã vos è tumulis vestris, populus mi, & adducã in terrã Israel.* Tũc *Rabbi Simeõ ben Leui* scriptura, dicebat, loquitur expresse, quod quã primũ in terrã ipsorũ redierint, Deus animas corporibus eorũ redditurus sit, perinde vt scriptũ est: *Sic dixit Deus Iehouah creator cœlorũ, & extẽdens eos, expandens terram & germina eius, dans flatũ populo, qui est super eam, & spiritũ ambulantibus per eã.* Hoc secundũ doctrinam Iudaicã de mortuis Iudæis q̃ in terræ rimis spelunculisq; volutantur, super eadẽ nõ viuentes, accipiendũ est. De volutatione talis modi accipi quoq; debet q̃d in *Targũ* Chaldaice ad cap. 8 Salom. cãtico cantic. interpretatione legitur sic: Salomon ꝓpheta sic ait: Quãdo mortui tui reuiuiscẽt, mõs oliuarũ diffindetur, & Israelitæ; quotquot vita-

Ezech. 37.12.

Isa. 42.5.

functi fuerint, exibũt ex eodem: iusti quoque ipsi, qui in *galus* vel exilio, carcere, vel in terris peregrinis è vita emigrauerint, per cauernas foraminaque subterranea peruenientes eodem, prodibunt. Ex his igitur facile est perspicere, quã magni Iudæorum interfit, vt in terram ipsorum reuertantur, ibidemque tanquam Iudæi probi vitam cum morte commutent: vt nimirum à molesta ista, subter tot aquis profundis & montibus asperis, voluntatione facienda immunes esse possint. Ego quoque ipse ex ore Iudæorum perspexi, quod ob causam eandem hanc interdum quidam eorum & pii & opulenti in *aretz Iisrael*, siue terram Canaanem se conferant; vt corpora videlicet ipsorum post mortem requiete perfruantur.

Hæc est *æmunah schelemah*, hoc est, perfecta, firma, beneque fundata ista Iudæorum fides, super qua tam pertinaciter perseuerantes salutem ipsorum, quanquã gemitu cum magno magnaq; cum desperatione, fundare solent. Quilibet autem ex hoc coniicere perspicereque potest, quã pulchre, quamque fundamentaliter fidẽ ipsorum super Mose cæteriſq; prophetis superstruxerint: quo item sensu scriptura sacra Iudæi miserabiles isti vti consuêrint.

Iam, qualis ipsorum fides est, talia quoque sunt opera, quæ secundum mandata diuina

diuina feciſſe videri volunt. Sapientes enim Rabbini ſublimiter hîc incedentes, populo Iudęorũ ſimplici perſuadẽt, quod ipſi populus ille circũciſus, electus & ſanctus Dei ſint, qui mandata eius illa decem voce decalogi comprehẽnſa non ſolum, ſed & legẽ Moſis vniuerſam facilime valeant præſtare. Itaq; miſerum nec non inſipidum nõ modo Moſen illum, ſed & Deũ ipſum dicere, legẽ Moſis totã in *mitzuos* ſiue præcepta ſexcenta nec non triginta partiri, eademq; rurſus in iuſſiones & prohibitiones ſubdiſtinguere auſi fuerunt. Mandatorũ iubentium ducenta quadraginta octo faciunt; tot nimirũ, quot (ſecundum anatomẽ Rabbinicã) homo mẽbra in corpore ſuo diuinitus adeptus eſt: Mandatorum vero ꝓhibentium trecenta ſexaginta quinque imaginati ſunt, quot nimirum dies annum cõficiunt; vel (vt eſt in libro *Brandſpiegel* appellato, & Cracouiæ, Polonorum lingua quidem Germanica, typis vero Iudaicis vel Hebraicis ante annos quinq; primũ excuſo) quot venæ in corpore humano deprehẽduntur, eſſe, ſecundũ anatomẽ eandẽ, qua eos ſuperius vſos eſſe ſcripſimus. Itaq; ſi mẽbrũ hominis vnũquodq; vnoquoque die mandatorum Dei iubẽtium exequatur vnum, vnũ ecõtra mandatorũ ꝓhibentium omittat, inde fiet, vt lex Moſis vniuerſa, & nõ modo decalogus vulgo dictus, annis ſingulis &

in æternũ quam optime per eos præstita fuisse dicẽda sit. Hîc sancta illa *thorah* siue lex *schemurahbecol vearuchah* valde bene & ordinata & obseruata est. Hîc ego ꝓpheꝛę Esaię autor sum, vt eũ querela eiꝰ, qua terram totã cum incolis eiusdẽ ꝓfanatã esse, quippe qui legẽ Dei deserant, mandataq; illius immutent, fœdusq; eius abiiciant ęternum, conqueritur, pedẽ referens retrocedat. Sanctus profecto Stephanus denuo lapidaretur, si rursum de Iudęis conqueri, cosq; de pietate ipsorũ ficta simulataq; coarguere vellet; *Duri ceruice*, dicẽs, *& incircũcisi cordẽ & auribus vos semper ſpiritui S. vos obiicitis: ſic vt patres veſtri ita & vos. quẽ prophetarũ nõ sũt ꝓsecuti patres veſtri trucidarũt inq̃, eos, q pranũciarũt aduẽtũ Iuſti illius, cuiꝰ vos nũc proditores & occiſores fuiſtis. Qui accepiſtis legẽ per diſpoſitionẽ Angelorũ, nec ſeruaſtis.* Esaiæ 34.5.

Brandſpegeliũ cap. 13. 25.

*Chachamim* vero siue *Rabini* Iudęorum sapientissimi dicere pergunt, quod viri tantummodo soli sexcenta illa tredecimq; *mitzuos* siue mandata obseruare teneantur: Mulieres aũt ad obseruanda illa obligatæ non sint, vtpote q̃ ad mandata illa, quæ quid prohibeant, exequenda obstrictæ tantũmodo sint. Aiunt etiã, quod mandata quædã sint, quæ certis tantũ tẽporib. quibusdã exeq̃ eas oporteat, & non sẽper quotiescũq; etiam velint. Quod itidẽ alia quędam sint, quib. mulieres in vniuersũ subditæ non sint: vt sunt circũcisio,

munus

munus sacerdotum & Leuitarum, primogenitorũ quoq;, aliorũq; his enumeratis similiũ. Interdũ quoq; mandata quædam causa maritorũ suorũ executioni mãdare non possint: q̃ maritis morẽ gerendũ esse nõ ignorent: q̃ ipsis imperandi potestatẽ habeant: sæpe autem ad res alias quam ad mandatorũ Dei obseruationẽ alio vocẽt, & id quidẽ cogẽdo nõnunquam. Quod si quis præterea diligentius, ad quid mulieres hac in re teneãtur, inquirat, inueniet, illas è mandatis Dei prohibitoriis adeo multis sexaginta quatuor vt præstent obnoxias esse; è mandatis verò iussoriis trigintasex. Hũc in modum mulieres Iudaicæ per sapientes earum *Rabenos* in obseruatione legis diuinę subleuatę sunt: cõsiderato, q̃ illis ocii tantum nõ semper suppetat, vt ei rei vacare queant: quippe quæ domi manentes culinam curare, indusia similiaq; lauare, liberos educare, quidque mariti ipsarum sæpius ab illis efflagitent, præstare cogantur. Quę quamuis ita sint: sũma tamẽ mandatorũ Dei superius enumerata illis sufficiens visa non est. Etenim *chachamim* siue *Rabeni* qdã ꝓfunde sapientes, mãdatis modo dictis septẽ adhucdũ adiicere nõ dubitarũt; vnde factũ est, vt sũma mãdatorũ illorũ ad sexcẽta & viginti excreuerit; quã voces Hebręæ decalogũ cõstituẽtes conficiũt: q̃ summã quoq; vox Hebr. *keter* Germanis coronã designãs re-

præsentat. Etenim, cum literis (vocalibus non annumeratis) constet tribus, *Caph, tau, resch*, numerum illum per eam confici manifestũ est. Certe, si quis esset, qui mandata Dei exequi posset omnia, merito corona mundi totius reputandus esset. Per opus autẽ est, vt mandata præstẽtur. Mũdus enim subsisterenon potest, nisi solo mandatorum obseruatorum beneficio. prout *chachamim* nos è loco Ieremię prophetæ quasi tribulis percusso docuerunt sequente: *Im lo beriſi chykkos, aretz, veſchamaiim lo ſamti*: qd est; Nisi securitas mea lex esset, terram & cœlum ego nõ feciſſem, Sic enim locus ille prophetæ Iudaico, i.e. suillo more in libro quem Brandspigelium vocitant, peruersus est. Profecto Iudæum scripturam sacram tam decet exponere, quam porcum syluestrem vineam ligone colere. Sapientes autem isti dicere volunt: nisi lex (quam hic *Beris*, id est, fœdus appellant) esset, ego cælum & terram non creassem: subsistitq; adhuc totum quicquid est, propter diuinæ legis obseruationem. Et quicunque *mitzuos* illas siue præcepta illa obseruant omnia, illi Dei ipsiusmet capiti coronam imponunt: Deus autem capiti coronatorum eius coronas imponit septem, facitque vt cubicula septem, quæ sunt in *gan eden*, hoc est, in horto paradisi, tanquam hæreditatem adeant; tueturq; illos

Ierem. 33.25.

à se-

à septem cubiculis infernalib. ideo quod & cælos septem & terras obtinuerint septem. Hinc legitur in Talmudi tractatu *Ioma*, quod *Rabbi Eliezer* dicat sic: Mũdus vnius *tzaddic*, id est, iusti ergò conditus est. Et in libro Mosis primo scriptum est: *Videbatque Deus, quod bonum esset.* Gen. 1.31. Quid autem est bonum illud? *tzaddik* siue iustus ille bonus appellatur. prout rursus est scriptum; *Laudate Iustum illũ, quoniam* Ies. 3.10. *bonus est.* Quod quidem si ita est, sequitur necessario, per dictũ illud Mosis paulo superius allegatum, *videbatq; Deus*, &c. *tzaddik* siue iustum vnũ, Adamum, quippe præter quem nullus adhuc esset in mũdo, fuisse. *Rabbi Chaia bar Abba*, dicit, quod mũdus super *tzaddik* siue iusto duntaxat vno totus subsistat: illudque causa *Rabbi Iochanan*, qui idem è *pasuk Mischle* vel prouerbio Salomonis, *tzaddik iesod olam*, hoc est, *Iustus fundamentum est mũdi*; Prouerb. dicentis, se didicisse profitetur, ita fecit. 10.25.

*Chachamim* siue sapientissimi isti Iudęi præterea scribũt, quod vena corporis humani quælibet incitet hominem, ne faciat id, quod ei prohibitũ est; vnde si quis inueniatur, qui tali venæ incitationi, non obtẽperans iussum nõ faciat, de eo cæteri dicant, quod venã nullã bonam in se habeat: mẽbra item omnia incitẽt hominẽ, vt quicquid ei iniunctum sit, exequatur. Et ita mãdata illa legis prohibitoria tre-

centa sexaginta quinque obseruantur & implentur, scilicet. O Iudææ miserabilis, vbinam in te venam bonam vel vnicam, quinimò vel guttulam sanguinis boni quispiam reperiat!

Prouerb. 7.2. Rex Salomon in Prouerbiis, *Serua*, ait, *præceptum siue mandatum meum, vt viuas*; intellige, si venæ te tuæ membraque tua ad bonum incitabunt, viues in æternum. Et *Dauid Hammelech* in psalmorum suorum quodam: *Custodit* (ait) *ille ossa tua omnia, vt ne vnicum quidem frangatur ex illis.* Si quis nempe mandata Dei seruauerit, ossa huius non frangentur.

Psal. 34. 21.

Ita miseri, cæci, insipientes deniq; Iudæi, in mentem traditi sunt eo vsq; reprobam, vt quid fides operaue bona sint, intelligere neque velint, neque possint; sed curriculum eorum currere pergentes in statu ipsorum insipientissimo persistant.

Soph. 3.4 Propheta Sophonias non frustra locutus est de illis, *Prophetæ*, inquiens, *eius contemptibiles, viri prauaricationum, sacerdotes eius polluerunt sanctitatẽ, transgressi sunt legem.* Profecto pudere eos tandẽ aliquando deberet ruditatis eorũ tam crassiæ, qua verbum Dei dilacerant, nõ aliter, quàm si intellectus puri humanive scintillam ne mimimam quidẽ in se reliquam habeãt. Etenim in confirmatione declarationeq; fidei ipsorũ, fundamẽto nulli superstructę, & in scripturæ sacrosanctæ expositione exhi-

exhibent se tales, vt scripturam S. eandem in manib. amplius habere nõ videãtur, & quasi de illa ante annos aliquot millenos aliquid per somnium quoddã vidissent, post quod cõprehendendũ palpent nõ aliter, quam cœcus palpãdo parietẽ attingere conetur. Ego vero hoc in loco de fide Iudæorũ, vel superstitione eorũ poti⁹ horrenda plura non dicã: considerato, quod ea in libri huius locis cõsequentib. copiosius quam vel par sit, vel ipsi per me fieri velint, explicaturus sim. De causis autem cœcitatis & indurationis ipsorũ horribilis, qua circa verbi diuini intellectum percussi sunt, hîc aliquid addẽdum esse duxi.

Ex historia testamenti veteris apparet, Iudæos tam pertinaces semper fuisse, vt cuicunque rei animos semel dedidissent, ei tam tenaciter adhærere consuẽrint, vt ab eadem rursus auelli non potuerint: vnde accidit quoque, vt eos Moses cæteriq; vates quam acerrimè reprehẽderint; quæ causa fuit, vt ab illis tam peruicacib. & obstinatis magna ex parte supplicio mortis affecti sint: propterquod facinus ipsorum in fœdere nouo prophetarũ occisores nõ raro vocati fuerunt. Itaq; cũ Deus eos in populũ peculiarẽ elegisset, fœdus cũ illis pepigisset, fœdus illud per signũ quoddã externũ tanquãsigillũ, circũcisionẽ nimirũ ꝓputii carnis eorũ cõfirmauisset, è manib. hostiũ eorũ liberauisset, in terrã fin-

gularem quandam, bonitate terras alias omnes superantem, in manu forti brachioq; extenso introduxisset, illis verbum eius & legē, secundum quæ viuere, Deum agnoscere, agnitum celebrare & laudare tum, cum mundus totus in idololatriam summersus Deum verum, & cæli & terræ creatorē, non nouit, deberent, per Mosen dedisset; illi superbire, animosi nec nō inflati esse, lasciuire, præq; populis aliis extollere se, proque Dei populo & sancto & electo se solos superciliose iactitare, de circumcisione & lege Dei cristas erigere cęperunt: cūq; iam terrā promissā occupauissent, tēplū sanctum adepti fuissent, sacrificiaque sua immolauissent, &c. de terra sua, ciuitate, templo, sacrificiis, totoque cultu gloriari non dubitauerunt. quod si quis eos eam ob rem reprehendendo perstringere ausus est, dicens: quod Abrahami liberi non essent, quod Deus eos deleturus & profligaturus esset: quod & mentes & aures haberēt incircūcisas, ideoque eos Deus è terra ipsorū rursus eiectos inter gentes passim dissemināturus esset; hunc pseudoprophetā & mēdacē esse, mortemq; per manus ipsorum illatam obire oportuit. Et ita pertinaciter in opinione ipsorum permanserunt, fœdus externum, legem nudam simpliciter & iuxta literam; opera item externa, cæremonias & exercitationes legis sacrifi-

crificiorumq; mordicus retinuerũt; idq; faciendo non modo prophetas, sed Deum quoque ipsum lacessere & prouocare veriti non sunt; deque eo, num recta Dei cognitio, timor & veneratio in cordibus ipsorũ, nec ne, esset, solliciti nequaquam fuerunt. Quæ omnia cùm sic patrauissent, Deus tandem sceleribus illorum vehementer offensus, eos populum peccatis obnoxium, populum iniquitatis magnæ, semẽ malum, filios noxios, qui dominum deseruissent, qui sanctum in Israele blasphemauissent, qui retrocederent, qui capita dura, cordaque obstinata, ceruicem ferream, frontem æream haberent, qui ab vtero matris ipso transgressores fuissent, qui à sanctis patriarchis originem suam non duxissent, sed potius à Cananæis, quod pater ipsorum ex Ammonitis, mater ex Hethitis, originem duxisset: qui populi reiecti diriſque deuoti fuerunt omnes, vt è libris Mosaicis apparet, appellauit. Minitatus est ipsis, quod eos è terra ipsorum expulsurus, & in terram neque ipsismet, neque patribus ipsorum cognitam abacturus, ibidemque erga illos clementia nulla vsurus esset: item, quod illos ex hæreditate ipsorum exturbaturus, eosque seruos inimicorum ipsorum constituturus esset, & id in terra quidem, quam non nouissent: quod domum illam, quæ de nomine eius nominata esset, super qua

Iesa. 1. 4.
Iesa. 48. 4. Ezech. 2. 4.
Ezech. 16.
Ier. 16. 13.
Ier. 17. 4.

tantopere confiderent, eumq; locum, quē
Psal. 78. 60. patrib. ipsorum dedisset, perinde tractaturus esset, atq; Silo tractasset, eosq; à facie sua reiecturus esset. Postremo omniū
Esaiæ 6. 10. vatē Iesaiam allocutus, *Impingua*, inquit, *cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & cōuertatur, & sanet eum.* Ad eundē modum Deus idem Iudæis iisdē diu ante per Mo-
Deut. 28. 15. 28. 29. sen minitatus, *Si non* (aiens) *obedieris voci Iehouæ Dei tui, vt custodias faciendo omnia præcepta eius, & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie, veniet super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Percutiet te Iehouah amentia, & cœcitate, & stupore cordis, palpabis q; in meridie, quemadmodū palpat cœcus in caligine, neq; secundabis vias tuas: & eris tantummodo oppressus & direptus omnibus diebus, nec erit seruator.*

Itaq; causa cœcitatis & indurationis Iudæorum fundamētalis & prima est, iudicium Dei iustū, & pœna peccatis ipsorum cōuenienter debita, qua secundū comminationes Dei affecti fuerunt, quod voci eius nō obtēperarint, quod labiis eum coluerint, & sic ore ad eum appropinquauerint, corde vero ab ipso quā lōgissimè abfuerint, eiq; doctrina tali, quæ nihil aliud
Esaiæ 29. 13. quā hominū mandata fuit, prout Esaias propheta de illis cōquestus est, seruierint. Ex quo colligi facile est, quod à verbo Dei cito discesserint, seq; super sapiētia, erudi-

tione sua ipsorum propria, super sublimi *chachamim* siue doctorum suorum intelligentissimorũ, qui post Ezram prophetam Scribæ nuncupati fuerunt, perspicacitate fundarũt, horumq; interpretationes, ordinationes, leges & mandata lõge pluris, quam doctrinam prophetarum fecerunt: aduersum quod ipsũ prophetę pugnarũt & luctati quidẽ sunt, parũ vero apud illos obtinere potuerunt. Quæ iam sunt mandata illa, q̃ pluris quam mandata Dei fecerũt; & propter quæ mandata Dei transgredi nõ dubitarunt? Id nempe nos Christianos docet Christus ipse in fœdere nouo; quando Iudæi eum (nẽpe Christũ) reprehendere volebant obid, quod discipuli illius secundũ mandata Iudaica se gerere non vellent. Fuerunt autem manuum, poculorum, hydriarum, vasorum æreorũ, mensarum, aliarumq; similium innumerabilium lotionũ plus quam nugacium; propter quas mandata Dei annihilauerunt, solasq; *chachamim* maiorumq; suorum adinuẽtiones adimplere conati sunt. Itaque cum adinuẽtiones illæ, quas Christus ibi nobis ob oculos constituit, aliæq; quas digito quasi intento significauit, die adhuc hodierno inter Iudæos vsitatę sint, ab iisdemq; accuratione cum magna obseruẽtur, in iure ipsorum canonico & cõstitutionibus de rebus spiritualibus vitaq; proba descriptæ, quarumq; partem in libro hoc detegere decreui; volo hîc vlteri-

Marc. 7. Matth. 15.

ex quonam fundamento, quibusque de causis fuerint adducti vt adinuentiones tales humanas mandatis Dei ipsius prætulerint, idque die ne hodierno quidem facere intermittant: ficque in superstitionem horribilem, in qua versantur, inque peruersum scripturæ sacræ intellectum incurrisse videantur, in medium afferre.

Legitur in *Hakdamah* vel præfatione doctissimi viri *Rabbi Moschè mikkotzi* (hic librum quendam & expositionem super trecentis & tredecim mandatis Dei composuit, eundemque *sepher mitzuos gadol*, id est, librum mandatorum magnum appellatum, ann. Christi 1236. Toleti (quæ vrbs Hispaniensis est) in schola Iudaica, tunc tēporis duodecies mille Iudęorū numero florentissima, quēadmodum scribit illemet ipse, in mandato prohibitorio cētesimo duodecimo, publicè proposuit) hunc in modum: Lex scripta, quam Deus Mosi, Moses Israelitis de mōte Sinai dedit, & obscura & difficilis est; primo de causa hac, quod res loquatur contradictorias; secundo quod imperfecta sit, ideoq; id qđ scitu necessariū est, in sese nō omne complectatur literis exaratū: vnde opus est, vt expositio q̄dā, ex qua quis sensū rectū verumq; legis scriptę haurire, & super expositione eadē sese tanq̄ fundamento quodā firmo fūdare possit, habeatur. Quod dixi legem Mosis cōtradictia ponere, id vero exempli-

exemplis cõplurib. ostendi potest. Pro eo Exod. 12.
n. quod vno in loco legitur, *Septem diebus* 15.
*infermentata comedetis*, legitur in alio, *Sex*
*diebus* comedes infermentata. Item, pro Deut. 16.
*Septem* deinde *hebdomadas numerabis tibi*, 8. & 9.
(septem vero septimanæ vel hebdomadæ
dies tantummodo quadraginta nouem
constituunt) legitur alibi, *vsque ad posterũ* Leuit. 23.
diem *Sabbati septimi numerabitis quinqua-* 16.
*ginta dies*. Item, pro *Et sacrificabis Pesah Ie-* Deut. 16.
*houæ Deo tuo de pecudibus & bobus*, legitur 2.
alibi, *Agnus perfectus, masculus, anniculus* Exod. 12.
*erit vobis*, quem *ex ouibus, aut è capris accí-* 5.
*pietis*. Item, pro eo, quod legitur alicubi, Deut. 15.
*Omne primogenitum quod nascetur in armẽ-* 19.
*to tuo, aut in grege tuo, masculum sanctifica-*
*bis Iehouæ Deo tuo*, legitur alibi, *Veruta-* Leuit. 27.
*men primogenitum quod iure primogenitura* 26.
*offertur Iehouæ inter animalia nemo conse-*
*crabit: siue bos, siue ouis, Iehouæ est*. Item, pro
eo, quod legitur alicubi, *Die tertia descẽdet* Exod. 19.
*Iehouah in oculis totius populi super montem* 11.
*Sinai*; alio quodam in loco scriptum est,
*Vos vidistis, quod è cælo loquutus sum vobis-* Exod. 20.
*cum*. Hæc, & alia complura talia reperi- 22.
untur, quæ ex lege scripta, neque intelli-
gi neque declarari possunt scilicet. Nunc
alterum illud quod asserui, multipliciter
etiam demonstrari potest. verbi gratia:
Quis nos notas auium aliorumque ani-
malium omnium docebit? Quis item do-
cebit nos, quale sebum nobis permissum,

quale prohibitum sit? Vbi itidē scriptum inuenitur quam vel altum vel humile tabernaculū, qua deniq; figura faciendū sit? Quis itē, num circumcisio nudē administrāda sit, an verò *priah* (quid hoc verbi sit, postea capitulo, quod de circūcisione tractabit, exponetur) adiungēda sit? Quis itē significabit nobis, quomodo charta ianuis affigenda *mezuzah* dicta (de qua Deut. 6. mentio fit) scribenda sit? De hac etiam loco illi destinato post exponetur. Quis monstrabit nobis, an cadē in dextera, vel sinistra ianuæ, an in superiore vel inferiore liminis parte affigēda sit? Et quis genera ciborum edi nō prohibitorum vel ecōtra edi prohibitorum recensere possit omnia? Quis discrimen carnis aut lactis coquendi nobis ostendet? Iam, quomodo mortui, leprosiq; tractādi sint, quomodo item circa bestias vita destitutas versandum, ne polluamur abillis, quis nobis enarrabit? Naturam itē proprietatemque *masorah* siue punctorum & accentuum, literarum quoq;, quarum quædā suspensæ alteve supra voces eleuatę vel inuersę sūt, quis nos edocebit? Quis rerum harum omnium expositionē verā edisseret? Quod cum ita se habeat, sequitur irrefragabiliter, quod legis scriptæ expositionē aliam habere oporteat, ex qua res istæ iam commemoratæ aliæq; consimiles percipiantur. *Hactenus è Rabbi supra nominato.* Verum scilicet

scilicet hoc meditū est, per quod diabolus Iudæos primo omnium à vero Dei verbo abduxit, valdeq; magistraliter, qui mos eius est, ad hominum mandata cōpulit, ad eaq; tam firmiter affixit, vt nec Esaias, nec Christus, nec alius vllus eos ab illis in diē hodiernū vsq; auellere valuerit. Vbinam igitur, agedū Rabbi sapiētissime, reperitur scriptæ legis expositio recta? In Weckero de secretis? profecto non. In Rauchlochio (Reuchlino dicere debebā) de arte Cabalistica? nequaquā. In Marcolfo deniq;? multo min⁹: in sancto vero Talmudo reperiri cōcesserim. Vndenam verò nobis Talmudus est missus, vt ei nos fidei tantū adhibere debeam⁹, vt ex eo legē Mosaicā intelligi vel posse vel debere credam⁹? Moses, inquies, præceptor noster & ꝓpheta adduxit eū nobis vnà cū lege scripta de monte Sinai. Etenim, putasne tu *goi* (gētilis) insipiēs, quod, dum Moses dieb. quadraginta noctibusq; totidē supermonte Sinai fuit, anserum custodē ibidē se præbuerit? Potuisse tne Deus spatio horæ vel vni⁹ tabulas illas, quibus legē illam suam inscripsisset, Mosi porrigere, eundemq; cū tabulis eisdem à se rursum dimittere, ne præsente eo Israelitæ vitulum istū aureum tanquā Deum quendam adorassent? Equidem aliud quid esse oportet, ob quod anseres nudipedes incedunt. Deus nimirum Mosen in scholam introduxit, eidemq; tum primum legē dedit in scriptis, eandemque

Fircke seu capita Rabbi Eliezer c. 40.

illi post toto illo tam longo tempo tis spatio declarauit; mãdatorum omnium causam, modum & mẽsuram, fundamentum & intentionem in sensu vero ob oculos viuè ponens. Quo facto præcepit ei, vt ipse de monte rursum descendens oretenus Israelitis declararet omnia, prout ipse ex ore Dei percepisset: quẽadmodum scriptum est: *Præcipiebat quæ mihi Dominus eodem illo tempore, vt ego docerem vos statuta eius & iudicia*, &c. Statuta hæc atque iudicia nihil aliud fuerunt, quam recta veraque scriptę legis explicatio: estq; *thorah schebeal peh*, hoc est, lex oralis appellata: quã Moses docuit Iosuam, Iosua septuaginta duos seniores. Ab illis propagata est ratio hæc ad prophetas vltimos, Zachariam & Malachiam. Ab illis *anschekeneses haggedolah*, magnum concilũ Sanhedrinum accepit. Post hoc semper alius alii rem hanc oretenus rectęque declarauit, prout quisq; ex auia sua vel auo commemorari perceperat. Quo modo, quæso, scire potuit Moses, quando nox vel dies econtra fuit? Ad hanc quæstionem respondet *Rabbi Bechai* Exodi 34. dicens, quod quando Moses didicerit legem scriptam, tum dies; quando vero legem oralem à Deo acceperit, tum nox fuerit. quæ respõsio magistralis est. Etenim si nox fuisset, in tenebris nõ scribere potuisset. Et quia candelas nullas in monte Sinai vendibiles

Deut. 4. 14.

R. Aben Ezra, R. Salomõ, Iarchi, R. Bechai, & alii in hunc locum.

dibiles inuenire potuit, itaq; tametsi talibus ad scribendum vti voluisset, copiam earum habere nequiuisset.

Quæ vero causa fuit, cur Deus declarationem hanc oraliter solum fieri voluerit? Ad hoc respondens *Rabbi Moschemikkotzi* deinceps, Deum id voluisse, ait, ne *goim* isti populique alii declarationem illam transcriptam peruerterent, prout legem scriptam peruertissent. In die præterea illo, quo Iudæi nec non gentiles isti stabunt coram Deo, tum ille; Quinam (dicet) Israelitæ sunt illi, qui *sepher thorah*, id est, legem scriptam secum adferunt? cum etiam *Vmos* populique mundi reliqui legem scriptam secum adferãt. Tunc respondentes illi: Nos, dicent, filii Dei sumus; id quod populi respondebunt præter eos quoque alii. Tunc Deus quæret vlterius verbis his: Quis vestrum habet *Simani* oralemque legis declarationem, quæ super monte Sinai data fuit? Tum nullus, qui sciat illam præter Israelitas solos apparebit. Iam, cum & visiones & prophetiæ in Israele cessassent, Deus *chachamim*, & populi totius sapientissimos quosque, qui discipuli prophetarum fuerunt, excitauit, eũ in finẽ, vt ordinationes bonas quasque inter Israelitas instituerent, legemque recte docerent & propagarent, cum illi metipsi, tum successores eorum vsque ad diem hodiernum. Iidem

illi, vt nomen illud Dei laude dignissimum singulo mane vespereq; sole vel oriente vel ecõtra occidente benediceretur, ordinauerunt. Ordinauerũt iidẽ Benedictiones vel preces laudatorias octodecim, quibus ante omnia Deum singulo mane vespereque laudamus; & oramus, vt nobis necessaria omnia, gratiam, sapientiam, intelligentiam, ad metuendum eum è corde toto, largiatur: vt defectꝰ nostros omnes sanare, nos passim dispersos, iterum colligere, impios omnes punire, cornu ipsorum potentiamque (per hoc cornu præcipue intelligunt Christianos) frãgere; cornu piorum & iustorum (Iudæos nimirum) extollere, Hierosolymã reædificare, vt regnũ domus Dauidis reuiteſcat, facere dignetur. Iidem quoque ordinauerunt super cibis mensæ impositis orare, lunam nouam ominibus felicibus excipere, super iride tonitruq; precari. Iidem ipsi, vt in ciuitatibus singulis scholæ aperirentur: quibus magistri idonei præficerentur, vt liberi Iudæorum in lege Mosis educerentur, præceperunt. Iidem, vt hebdomadatim lex Mosis in scholis ipsorum legeretur, ne ab Israelitis obliuioni traderetur, voluerunt. Iidem, ne Israelitæ cum *goiim* populisq; præter *goiim* (per hos intelligunt Christianos) reliquis comederent biberentve; sed vt omne quodcunque isti coxissent, cane peius & angue fugerent

gerent, mandauerunt. idque ad imitationem Danielis prophetæ, de quo scriptum est, cum in animo suo firmiter proposuisse, quod sese per cibos regios polluere nollet, quemadmodum per vinum quoque quod bibere soleret rex, sese contaminare non vellet. Cum interea ciuitas Hierosolyma caperetur, tẽplum vastaretur, Iudęi profligarẽtur, & captiui abducerentur, captiuitatisq; eorum & infelicitatis finis nullus inueniretur, eccetibi, Deus *Rabbi Iuda Hannâsi* (qui humilitatis, pietatis & sanctitatis ergô *Rabbenu hakkadosch*, Magister noster ille magnus appellatus est) gratiam & beneuolentiam in oculis Imperatoris Antonini (cui valde & charus & familiaris fuit) cõciliauit tantã, vt Maiestatis eius permissu cũ Iudæorum doctissimis quibusque ex omnib. imperii locis coactis, quid agendum esse videretur; ne, dum Iudæorum infortunium magis ac magis augeretur, sapientes quoque ipsorum nec non docti viri vel interficerẽtur, vel in exilium agerentur, vel lex ipsa funditus periret, sed in populo sãlua potius cõseruari posset, deliberaret. Atq; tametsi *kabala* siue lex oralis inter eos fuit, ideo quod *thorah schebeâl peh*, legem oralẽ scripto mandare fas non esset: miserię tamẽ istius Iudæorũ magnæ, qua per mũdũ dissiparẽtur vniuersum, cõsideratione omne, quodcunq; & ante & post Christũ Dan. 1. 8.

ad tempora vsq; eius de lege orali in memoria remanserat, in librum quendam certum conscripsit. Liber hic *Mischna*, id est, lex iterata vel secunda, Græce δευτέρωσις vocatus; sex *sedarim* siue summaria, rursus in sexaginta *massichtos* siue partes inferiores siue tractatus singulares subdiuisa in sese cõplexus est. Et ita rursus huc vsq; è superius nominato *Rabbi Mikkotzi* hæc sunto recitata. In his παραδόσεις illæ siue traditiones siue ordinationes maiorum ipsorum, secundum quarum præscriptum tũ tẽporis synagoga Iudaica sese gerebat gerereq; debebat vniuersa legibus breuibus, cõclusionibus, thesib. aut aphorismis cõprehẽsę sunt. Cõtra quas adinuẽtiones ipsorũ Christus, Euangelistę, Apostoli deniq; cõcionati fuerunt. Vnde cõsequenter intelligi posse videtur, quod Esaias propheta cõtra easdẽ prædicauerit, quando doctrinas eorum mandata hominum appellare veritus nõ est. Liber autẽ hic anno Christi 219 pro absoluto cõfirmatus, & à Synagoga Iudæorum tota receptus & approbatus est adeo, vt Iudæi qui tum vixerunt, & deinde victuri forent, secundum tenorem eius semper se gerere deberent, prout & semper fecerunt, & tempore adhuc hodierno facere non cessant: quem admodũ in Chronico Hebræo *Tzemach Dauid* appellato, plenarie demonstratur. Annis post hunc aliquot decursis ali⁹ quidam

dam *Rabbi Iochanan* appellatus, & *roſch haieſchibha*, Rector Academiæ Hieroſolymitanę per annos octoginta totos ſalutatus, ſurrexit, qui *Miſchnaios* ſiue librum ſuperiorem illum auxit, eumque deinde Talmudum Hieroſolymitanum nuncupauit; qui liber tam obſcurus, tam durus, tam denique intellectu difficilis, eſt viſus, vt à paucis vſurpatus, tanti nequaquam fuerit æſtimatus, quanti *Miſchnaios* ſuperior ille: prout hodie quoq; nõ admodum magni fit. Quia vero liber iſte *Miſchnaios* appellatus in lingua Hebręa & facili & ad intelligendum (prout dictum) non ardua, ſed ſermone decurtato, ideoq; non cuiuis ſecundum neceſſitatem intelligibili, conſcriptus fuiſſe viſus eſt: ideo poſt eum *Rabbi Aſſe*, Rector & ipſe Academicus, *Miſchnaios* in ſchola explicare cœpit, tractatuſque duos annis ſingulis percurrit, & ita toto profeſſionis eius tempore, annis nimirum ſexaginta, *Miſchnaios* bis abſoluit. In ſcriptis vero tractatus ſolum triginta quinque, ſicuti *Rambam* in proœmio ſuper tractatu Iudaico *Zeraim* teſtis eſt, finiuit. Incepit autem profiteri anno Chriſti 367. Poſt eum, anno videlicet Chriſti 427. *Maremar* quidam Rector eſt factus; ad quem adiunxit ſe *Mar*, *Rabh Aſſe* filius: qui quod *Rabh Aſſe* imperfectum reliquerat, abſoluerunt: vt ita *Miſchnaios* perſpicue perfecteque ſint explicatæ. Id

Anno Chriſti 230.

vero quod hi addiderunt, *Gemara* siue Complementum fuit appellatum. Tandem *Mischnaios* & *Gemara* Talmudum integrum constituerunt. Hi autem duo ad labores suos absoluendos annos septuaginta tres impenderunt: qua ratione Talmudus anno Christi quingentesimo perfectus, obsignatus, receptus, pro authentico aguitus, & Talmudus Babylonicus appellatus est; secundum quem sese, Iudæi ad hodiernum vsque diem in negociis ipsorum tam spiritualibus quam mundanis, & ita vicissim, tam in mundanis quam spiritualibus gerunt.

Hic est vestis Iudæorum illa nobilis, thesaurus ille preciosus, qui apud eos depositus oraliterque concreditus est. Per hunc mysteria illa legis, per annos bis mille inter Iudæos occultata, tandem in lucem prodita fuerunt. Hic est recta illa veraque explicatio & *perusch* (imo *peres* prout in Malachia scriptum legitur; *peres al penehem*, stercus super nasum vestrum) ex qua res superius enumeratę, eæque cõtrouersæ dubiæque legis scriptæ, rectè distingui, distinctęque tandem plene perspici queunt: hic est illa *thora schebealphe*, lex oralis, minime minoris quam lex scripta facienda. Lex enim Mosis scripta, sine lege hac orali vt non intelligi, sic & explicari non potest. Quoniam vero materies hæc Christianis non omnibus, i-

Mal. 2.

mo

mo pauciſſimis nota eſt, præcedentibus illa, quæ in libris Iudaicis de eadem diſquirendo reperire potui, addere non grauabor.

*Aben Ezra* in procœmio ſuper pentateuchi ſeu librorum Moſis quinque explicatione ſcribit verbis his: *Zeh lanu haes ſcheſamach Moſche al thorah ſchebeal peh*, & cuid eſt, hoc nobis ſignum eſt certiſſimum, quod Moſes ſuper lege orali, Talmudo, fundatus ſit: qui Talmudus gaudium cordis, oſſiumq; refocillatio eſt. Etenim inter leges has duas diſcrimen prorſus eſt nullum; quippe quæ nobis ambæ per maiores noſtros datæ ſint. Et alibi ſcribit in ſententiam eandem his plura: Nos, inquiens, explicationem quæ naturæ proprietatiq; mandatorum legis ſcriptæ conueniat, perfectam habere non poſſumus, niſi nos ſuper illis, quæ *chachamim* Rabbinique noſtri & locuti ſunt & ſcripſere, fundemus. Sicut enim lex ſcripta nobis per maiores noſtros data eſt: ita legem quoq; oralem accepimus ab iiſdem, & inter ambas has diſcrimen plane nullum inuenire eſt. Ex hoc intellectu facilimum eſt; quod fides Iudæorum non ſuper Moſe, ſed ſuper expoſitione Rabbinorum fundata ſit; ſecundum quã ſolam Moſen intelligi oporteat, vtpoteq; certum Moſis fundamẽtum ſit: prouerbium vlterius legimus in libro *Ammudé golah*

(qui vulgo voce decurtata *Semak*, vel *sepher mitzuos katon*, Liber mandatorum paruus, appellatur; impressus Cremonæ in Italia anno secundum ephemeridem Iudaicam 316. numeri minoris post conditum mūdum, hoc est anno Christi 1556) hunc in modum: *Al tachschobh ki ikkar hattorah bichthabh, ki ad rabbah ikkarah, osah schebeal phe*, &c. hoc est, Tu non cogitabis, quod lex scripta fundamentum sit, multo enim magis lex oralis (Talmudus nimirum) fundamentum illud rectum est. Atque super lege orali fecit Deus ipse fœdus cum Israele, quēadmodum scriptum est, *ki al pi*, &c. *Quia secundum verba ista pepigi fœdus tecum & cum Israel.* Et hæc verba thesaurus Dei sunt. Præsciuit enim Deus, quod Israelitæ tempore futuro in exilium forent eiiciendi: quo facto, quia populi, ad quos eiiciendi essent, libros eorum transcribere nec non interpretari potuissent, prout circa legem scriptam versati iam tum fuerant; ergo non voluit (Deus) vt lex oralis illa scripto comprehenderetur. &c. Et quanquam temporis progressu lex oralis scriptioni mandata est: per *goim* tamen siue Christianos, prout per alios quoque, explicata non est; ideo quod & amara & difficilis est, interpretationeque intellectus acuti sublimisque indigeat, prout scriptum est: *Scripsi ei honorabilia Legis meæ*, sed *tanquam alie-*

Pag. 39.

Exod. 34. 27.

Hoseæ 8. 12.

*aliena reputata sunt.* QUOD si vero auctor libri paulo ante mentionati *Rabbi Isaac*, filius *Rabbi Ioseph* Corbeilensis oculos intellectus recte aperuisset, vidisset sine dubio, quod locus Hoseæ paulo ante citatus non de lege orali, sed de scripta loqueretur; quod item lex illa non sic quemadmodum conqueritur, per *goiim* istos siue gentiles despectui habita fuisset, sed per Israelitas ipsosmet: qui profecto legem Dei scriptam tam vehementer contempserunt, vt ipsis quasi peregrinum quiddam & sic ignotum fuerit: prout sane re ipsa tempore Iosiæ regis factum est, quo liber legis scriptæ per Mosen promulgatæ per longum temporis spatium fuit amissus: cumque eum sacerdos Hiskias rursus inuenisset, pro nouo quopiam miroque æstimatus est; prout in libro Regum secundo legere est. Sed oportet etiam, vt sententia Mosis superius allegata, *al pi haddebharim haelleh*, id est, *Secundum os horum verborum*, beneplacito Iudæorum sit idem quod, secundum verba illa, quæ tu oraliter, id est, ex ore Dei audiuisti, & accepisti; & intellectus eorum verborum secundum ipsos est, quod Deus cum Israelitis fœdus icerit, non super lege Mosis scripta, sed super explicatione orali legis scriptæ; quæ interpretatio in Talmudo comprehensa est. Hinc in libri, *Tanchuma* vocati, *Parscha* siue sectione,

2. Reg. 22.

*elle toledos Noach*, quæ incipit capitulo sexto, versiculo nono libri Mosis primi, legitur sic: *Chachamim* nostri & sapiētes viri aiunt; Deus in lege sua nō scripsit *lemaan haddebharim haelle*, neq; *baabhur*, neq; *biglal*, i.e. horū verborū gratia, sed *al pi haddebharim haelle*, hoc est, Causa vel gratia oris siue verborum oralium, quæ scilicet ore, nō scripto data sunt, *ego fœdus cū Israele feci*. Et talia verba sūt Talmudo, qui amarus & difficilis est eū discere volentib. adeo, vt tenebris assimilatus sit, prout literis
Ies. 9. 2. proditū est: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnā*, hoc est, *baale hattalmud*, vel ii, qui in Talmudo studio diligenti versantur, lumen magnum vident. Deus enim illuminat oculos eorum, datque illis vt videant in Talmudo quomodo sese in rebus permissis, aut econtra nō permissis; in puris, aut econtra non puris gerere debeant: quę in lege scripta expresse declaratæ non sunt. Pauloq; post legitur amplius, quod causa fœderis huius super lege orali facti *olā*, id est, mundus subsistat. quippe quod Deus & diē & noctem ideo creavit, vt Israelitæ *thorah schebeal peh*, hoc est, Talmudum beneficio eorū discere possent. quod adeo verum esse debet, vt quamprimum Talmudum discere desierint, & dies & nox etiam desitura, nec amplio subsistatura sint. Hinc apud pphetā
Ier. 33. 25. Ieremiam: *Si nō erit pactum meū cum die & nocte*

*nocte* (obseruatum) et si *statuta cæli & terræ nõ posui.* (Nã sic oportet vt secundum beneplacitum Iudaicum, dictum Ieremię & intelligatur & explicetur) Quale vero est pactum istud, quod & nocte & die obseruandum sit? *Zu Talmud*, illud est Talmudus iste. Ea quoq; causa est, cur Ieremias paulo ante dicat: *Sic dicit Iehouah: si irritũ* Vers. 20.
*facere potestis pactũ meum cum die, & pactum meũ cum nocte* (i.e. quando vos Talmudum nolueritis amplius discere & obseruare) *etiã pactũ meum irritũ fiet cum Dauid seruo meo.* Hinc etiam Dauid propheta dicit, *In lege Iehouæ voluntas eius, & in lege eius* (quę Psal. 1. 2.
Talmudus est scilicet) *meditatur die ac nocte.* Quid? Deus ipse etiam fœdus fecit cum Israele, quod *thorah schebealpeh*, id est, lex oralis, ex ore eius obliuioni nunquam tradi debeat, prout nec ex ore seminis eius post eum; quemadmodum scriptũ est: *Ego, dicit Dominus, pangã cũ illis fœdus hoc; Spiritus meus, qui super te venit, & verba ea, quæ ego in os tuũ indidi, ab ore tuo nunq̃ discedent, vt nec ab ore liberorũ tuorũ, ex hoc nunc & in seculũ.* Hîc scriptũ profecto non est, *abs te*, sed *ab*, vel *ex ore tuo.* Ex quo facilime colligi potest, q̃ hoc de lege orali dicatur; cui Deus & diẽ & noctem perinde atq; scholas duas vniuersales posuit atque ordinauit, vt in illis lex oralis discatur, &c. *Huc vsq; Tanchuma.* In *Rabbi* vero *Bechai Medraschim* seu cõcionib. quẽ ille li-

brũ *cad hakkemach*, cadum farinæ è 1. Reg. 17. 14. inscripsit, legitur ꝑterea sic: *ve schischah sedarim elu*. &c. h. e. partes hę sex (Talmudi nimirum) sunt lex oralis illa; & fundamentum genuinum legis scriptæ lex oralis est; cõsiderato, quod hęc sine illa neque recte exponi, neque vtiliter intelligi possit. Hinc in tractatu Talmudi *Baua meziah* legitur sic: *Haosekin bemikra, midda veenah middah*, &c. quod est, Studere & legere in Bibliis, virtus & non virtus est (virtus est parua ideoque non magni facienda) *Mischna* (id est textum Talmudicum, prout superius est narratum) discere, virtus est, salario digna, ideoq; idipsum certo acceptura: *Gemaram* (complementum textus Talmudici) memoriæ mandare, *en lecha middah gedolah mizzo*, virtus tã magna est, vt ei par alia reperiri non possit. Hæc scilicet causa est, quod Rabbini Iudaici, eorumq; viri doctissimi in Talmudo multo exercitatiores, quam in Bibliis ipsis, esse deprehendantur. Cap. 1. circa finem.

Hac ratione sat demõstratum esse mihi persuasum est, quod fides Iudæorum non super Mose seuero illo legis præcone, sed super cordium consolatore, & ossium refocillatore, & tenebroso-claro Talmudo fundata & ædificata sit: quæ res vnicuique occasio esse potest, vt mirari desinat, quod Iudæi cœcitate superstitioneq; tam terribili percussi sint. audiens nimirum,

quod

quod viam veritatis diuinæ deseruerint, semitam econtra mendacii, quam maiores ipsorum & fecerunt & triuerunt, animo petulante secuti sint. Cum ergo diabolus pater mendaciorum omnium, cum ludæis, quemadmodum cõmemoratum est, super verbo dominico ludum taxillorum lusisset, iactumque primum contra ipsos obtinuisset, in lusu illo pergere non cessauit, eisque consequentiam hanc, amabilem profecto & valde gratam, inspirauit: Cum Talmudus fundamentum verum, amussisque certa sit, secũdum quam lex scripta mensurari, dolari, exasciari, regulari secarique debeat; necesse est, vt doctrina Rabbinorum omnium in explicatione verbi diuini secundum hanc ipsam velut amussim quandam dirigatur. Et quemadmodum Talmudus adeo verus est, vt fallere non possit: ita verum esse oportet omne id, quodcunque Rabbini secundum eum velut amussim quandã scribunt, docent, loquuntur. Iam, quod consequentia hæc Rabbinis sapientib. quam maxime arriserit, quippe quod ea ad gloriam ipsorũ (cuius alias tam cupidi sunt, vt eius obtinẽdæ causa vel quiduis aggredi non dubitent, tametsi Deus cum vatibus eius omnibus ipse pro mendaciſſimo haberi deberet) amplificandam: è sermonibus ipsorum superbissimis sequentibus apparet.

*Rabbi Isaac Abhuhabh*, anno Christi 1493. mortuus in Portugallia scribit in libro eius *Menoras hammaor* verbis his: *Col mah scheameru Rabbosenu bemedraschos*, &c. hoc est, Omni, quodcunq; Rabbini nostri in concionibus & mysticis aut allegoricis explicationib. ipsorum docuerunt & loquuti sunt, nos non minus firmiter atq; benè quam legi Mosis fidē adiungere tenemur. In quo si quid inueniatur, quod nobis hyperbolicum, vel naturę planè contrarium, sensuiq; nostro nimis altum esse videatur, nos culpam illam intellectui nostro defectuoso, non autē verbis ipsorum adscribere debemus. Item: *Aphalpi schematzinu scheameru*, &c. h.e. Quantumuis inueniremus, quod in sermonib. ipsorū valde sublimiter incederēt, nobisq; res incredibiles proferre viderentur: nihilominꝰ tamē, si quidē verba ipsorum bene cōsideremus, veritatem in ipsis deprehendemus. exempli gratia: Quemadmodum in Talmudo legimus: tēpore quodam *Rabbi* quidam concionatus est, tempus aduenturum esse, quo mulier die singulo paritura esset: quēadmodum scriptum esset: *Concepit statimq; peperit: Statim* ibidem est idem quod quotidie. Hoc cum quidam auditum non intellexisset, *Rabbi* illum naso, quod aiunt, aduncosuspēdit, &cōtemtui habuit. Quod cum *Rabbi* perspexisset, se non loqui modo vulgari de mulie-

Pag. 23. col. 1.

Tractatu de sabbato cap. 2. pag. 30. Ier. 31. 7.

mulierem naturali, sed de gallina, quæ die singulo ouum posituram esset, respõdit. Eodẽ in loco legitur præterea hunc in modum: *Col dibbrehem dibbre elohim chaijm*, &c. h. e. Sermones eorum sermones Dei viuentis sunt omnes, nec verbum ex illis vnum vanè cecidit in terram. Inde quoq; nos obnoxii sumus, vt credamus omnia, quæcunque de illis & in nomine illorum scripta sunt. Veritas. n. est. Neque ridebit quisquam super illis, & id quidẽ neq; ore, neque corde suo. Quisquis enim id fecerit, pœnam effugiturus non est. Admonitum ergo quilibet se scire debet, ne quid vel contra personam, vel opera ipsorum loquatur; operam potius nauaturus, vt è scriptis & sermonibus illorum discat, quantumcunque qualicunq; mentis suæ vi comprehendere valebit. In sententiam deinceps eandem in libro quodam Hebræo-germanico, hoc est, tali, qui lingua quidẽ Germanica, sed literis Hebræis excusus, Brãdspiegelium vocatus sit, & quidẽ in fine capitis eiusdẽ quadragesimioctaui secũdum impressionẽ illã, quę anno Christi 1597. Cracouiæ Polonorum in lucem exiuit, memoriæ proditum est: quod Iudæi non solum ad omnes *tphillos* & *tchinnos* siue preces dicere debeant Amen, sed & ad omnes *agados* & *medraschim*, (quæ nihil aliud, quam conciones & expositiones allegoricæ super

Ibid. col. 2. Væ huic superbo oriudaico mendacium loquẽti.

Dei verbo sunt, in quibus *sodos* & mysteria siue arcana profunda lateant, ad intellectum populi communis simplicem acuendum institutæ) vt per hoc significent atque testentur, quod credant id omne, quodcunque *chachamim* siue sapientes Rabbini loquantur: prout *pasuk* in propheta Iesaia; *Aperite vos porta; venit populus, schomer amunim, qui custodit iustitiã seu fidelitatem*, hoc est, venit populus, qui dicens Amen credit omnia, quæcunque *chachamim* & sapientes Rabbini scripserunt, habet. Quod si homini cuipiam *sechel*, id est, intellectus tam debilis esset, vt *agados* eueſtigio perspicere non posset; credere tamen deberet. *Chachamim* enim Doctorumque nostrorum ne tantillum quidem frustra locutorum verba nihil aliud quam veritas ipsa sunt. *Agadah* sermo mysticus & occultus est, quo res ponderosæ, & arcana magna sublimi sensu significantur; vnde quoque fit, vt vox illa Cabalistice literarum metathesi siue trãspositione idem cum *deagah* sit.

Hoc autem inopiam & dolorem significat; ideo, quod homo valde se maceret torqueatque, prius, quam intellectum rectum verumque agadæ illius perspicere queat.

Huc quoque referendum est, quod in Talmudo passim repetitum inuenitur; id nimirum, quod, quando Rabbini duo inter

ter seſe contendunt atque pugnant, ſermoneſq; contradicentes proferēdo vnus, hoc ita ſe habere confirmat; alter hoc ita ſe habere negat; illis nemo contradicere debeat, quod vterque doctrinam ſuam habeat *mikkabalah Moſche miſſinai*, hoc eſt, per Kabalam, oralemq; traditionem, quam ex ore Moſis de monte Sinai deſcēdentis perceperit. Et quamuis alius id intelligere non poſſit; culpare tamen non debeat.

Quilibet enim *Rabbi* bene ſciuit, cur ita loqui deberet: *ki elu veelu dibhre elohim chaijm*, quoniam verba tam huius quam illius verba Dei viuentis ſint. Regula quoque catholica in ſcriptis Rabbinicis eſt hęc: *Hizzaher middibhre ſopherim ioſer middibhre torah*, id eſt, Memento potius ſermonis ſcribarū quàm ſermonis legis Moſis: quibus verbis innuere volunt, quod multo pluris faciēdum ſit hoc, quod ſcribæ ſapienteſque Rabbini ordinauerint, præceperint, docuerint, ſcripſerint; idemque multo citius & credendū & exequendum, quam quod Moſes & prophetæ ſcripſerint in lege.

Lutherus in libro, quem ſuper *Schemhamphoraſch* conſcripſit, de authoritate & fidelitate Rabbinorum, & eorum quæ ſcripſerint, hunc commentatus eſt in modum: *Dicunt Iudæi, quod Rabbinis eorum fidem adiungere ipſos oporteat, quantumuis af-*

*firmarent manum sinistram esse dexteram, & econtra dexteram esse sinistram; quemadmodum scribit Purchetus.* In victoria cõtra Iudæos. *Eodem modo Iudaires quidam, qui apud me erant, mecum agebant. Quotiescunque enim vrgebam eos textu verbi diuini, totiescunque occinere mihi solebant, quod Rabbinis ipsorum credere tenerentur, immunes à textu Biblico se esse dicentes. Vnde fit, quod Purchetum de Iudais tale quid verè scripsisse persuadeat, qui ipse tales eos esse re ipsa expertus sim.* Quod Lutherus Purcheto fidem adhibuit, ideo præcipue, quia ipse Iudæos tales esse deprehẽdisset, id recte fecit. Ego vero ad veritatis huius confirmationẽ adducam deinceps, quodcunq; in libris Iudaicis hac de re disquirendo inuenire potui. *Raschi* vel *R. Salomon Iarchi* super capitis septimidecimi, libri Mosis quinti, verba Mosis eiusdem hæc: Deut. 17. 11. *Iuxta legẽ, quam docuerint te, & iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies. Nõ declinabis à verbo quod indicauerint tibi, ad dexterã aut sinistrã:* hunc scribit in modum: *Aphilu omer lecha al iamin schehu schmol*, &c. h. e. Et quãdo dicit tibi de manu tua dextera, quod sinistra sit, & de manu sinistra, quod dextera sit, (verum id esse credes) quanto magis si dicat manum dexterã esse dexteram, & manum econtra sinistrã esse sinistram (id verũ esse credes?) Similiter legitur in *Rabbi Bechai* sup sententia superius allegata cadẽ: qui & *Rambã*

ban illum siue R. *Mosche ben Nachman* adducit, multas itidē necessitates super hoc mandato scribentē, hunc in modum: Venit aliquando certus quidā *goi* siue gētilis ad prēcipuū & sapientissimum illū dominū *Schammai*, eumq; interrogās, Quot *thoros*, siue mandata, dixit, habetis vos Iudæi? cui respōdens *Schammai* ille, Nos, inquit, *thoros* siue leges duab. plures nō habemus: quarum vna nobis scripta, altera vero oraliter tradita est. Tum *goi* siue gentilis ille ad eū, legē (aiebat) illā scriptā, legem esse veram, equidē credo nō minus q̄ tu; vera itē esse omnia, quæcunq; scripta sunt in ea cōfiteor, legem vero illam, quā tu dicis oralē, ego pro lege nō habeo. Sed age, instrue me, & esto mihi *megaiier*, h. e. fac me Iudęum, ea de causa, vt tu quoque me *thorah* siue legem illam oralem docere possis. Tunc eum *Schammai* dictus ira flagrans à se abigebat, vtq; ab ipso discederet iubebat. Tunc *goi* siue gentilis idem ad dominū *Hillel* seniorē quendam, q̄ socius esset *Schammai* (fuerunt hi duo Synagogę Rectores, qui non admodū diu ante Christi natiuitatem, & eius in carne aduētum; vixerunt) accessit, cūdemq; in modum interrogauit hunc, quo & *Schāmai* prius interrogauerat; orans illum, vt Iudęum ipsū facere dignaretur. Quo facto, *Hillel* eum fecit Iudęum, & in disciplinam receptum in doctrina Iudaica formauit. Dic-

quodam sequente dicebat *Hillel* ille *goi* siue gentili isti, Pronuncia mihi *Aleph, Bes, Gimel, Dales*, &c. Tum *goi* pronunciabat illa perinde vt *Hillel* illi quasi viam præeundo pronunciarat. Die sequente *Hillel* alphabetum inuertens dicebat ad *goi* illũ, vt diceret, *Dales, Gimel, Bes, Aleph*; cui respondens *goi* idem, Rabbi mi, aiebat, tu me die hesterno sic non docuisti. Tum *Hillel* subiiciens, Tu tamen, aiebat ei, me te ita docentem non respuis; sed doctrinæ verbisque meis his fidem adiungere non dubitas. quod cũ facias, ergo oportet etiam, vt in *thorah* orali simpliciter acquiescens, credas illa omnia; quæcunq; in illa
Cap. 2. docentur. Historia hæc inuenitur in Talmudi tractatu de Sabbato. Vnde perspicere licet, quod quilibet simplicissime sineque consideratione vel contradictione vlla credere debeat cũ legi Iudæorum orali; tum ei, quicquid in hanc Rabbini Iudaici, (secundum præscriptum tamen legis eiusdem) & scribunt & docẽdo proponunt: & quod, quicunque faciat hoc, Iudæus existimandus sit. Quisquis autem non fecerit hoc ipsum, eum pœnæ inferni maneant grauissimæ: prout hac de re sanctionem quandam siue sententiam senatoriam in tractato de libello repudii legimus verbis his; *Mar amar: col hammalhig al dibhre chachamim nadon bezoah rosfeches*; quod est, *Mar* inquit, Quisquis irridet aut

Tractatu Cittin. c. 5.

Tractatu Erubhin c.

con-

contemnit quodcunque *chachamim* sapientissimique viri nostri Rabbini loquuti fuerint, is punietur in calida bullienteq; *Zoah*, vel excremento; idque in inferno. prout ibidem blasphemè scribentes asserunt, Christum liberatorem redemptoremq; nostrum tali modo in inferno cruciari; ob id, nimirum, quod traditiones, ordinationes & doctrinas per maiores ipsorũ propositas, secutus non sit, sed contemtas abiicere non dubitarit. Pœna hæc eadem in tractatu Talmudico alio quodam repetita, latiusque in libro *Menaras hammaor* appellato explicata est. Expresse quoque ponitur in libro *Bes Iaacob*. In Talmudo vero Basileæ excuso merito omissa est, prout & alia non pauca, contra Christum religionemq; Christianam effutita, fuerunt omissa. Pertinet autem huc regula Rabbinica & hæc: *Col haobher al dibhre chachamim, chaijebh misa*: quod est: Quicunque transgreditur, quodcunq; sapientes viri nostri loquuti fuerunt, is supplicio mortis obnoxius est, perinde vt scriptum est; *Dissipans sepem, mordebit eum serpens.* intelligenda tibi, mi Christiane, seps est illa, quam Iudaici Rabbini legi diuinæ circumdederũt; quæ scilicet est, traditiones, & præceptiones illorundem. Ob pœnam hanc memoratam admonitio Rabbinica quædam facta, similiterq; superius alicubi tacta est hæc: *Beni, hizzaher*

Zoah excrementum est.

Erubhin c. 2. Pag. 22. col. 1. Pag. 32.

Eccl. 10. 8.

*bedibhre hasopherim, ioser middibhre thorah*, quod est, Fili mi, memineris, quod sermonum Scribarum cura multo maior habenda sit, quam sermonum siue verborum legis ipsius.

Ita mihi placuit hucusque præfationis cuiusdam loco, ad intelligentiam doctrinarum subiungendarum meliorem, articulos fidei Iudaicæ breuiter & narrare & declarare: indicare præterea, quomodo Iudæi à verbo dominico deflexerint; & in Labyrinthum errorū omnium Talmudū istū sese precipitauerint, per eundēq; adeo miserabiliter decepti fuerint, vt doctrina de salute ipsorū pura inter illos non repiatur vlla; sed error merus, peruersio, falsificatio verbi diuini, superstitio, fastus externus, cultus ad oculum cōparatus, conscientiarum anxia solicitudo, cordium desperatio; magna crassaq;, quid? multo lōgeq; maior quam belluarum inter eos rerum diuinarum regnet ignorantia. Caput igitur hoc per ea quæ Iesaias & Ieremias prophetę super miserandissimo Iudæorū statu vaticinati fuēre, concludam. Esaias, *Propterea*, inquit, *quod appropinquauit populus iste ore suo, & labiis suis honorauerunt me: cor autem eius elōgauit se à me: fuitque timor eorum* quo timuerunt *me, mandatum hominum edoctum*: *Propterea*, inquam, *ecce ego addam, vt mira faciam in populo isto: mira*, inquam, *& miraculum*: *peribitque*

Cap. 29. 13. 14.

*bitque sapientia sapientium eius, & intelligentia intelligentium eius abscondet se.*

Ieremias, *Quare*, inquit, *rebellis est populus iste Ierusalaim rebellione forti? apprehenderunt dolum, renuerunt reuerti. Attendi & audiui, non rectum loquuntur, non est quisquã, quem pœniteat mali sui, dicendo: Quid feci? Omnis conuersus est in cursum suum tãquam equus impetu irruens in prælium. Quomodo dicetis, Sapientes sumus? & lex Iehouæ est nobiscũ? Vere ecce in vanũ adaptauit stylũ suum scriptor, frustra scripserunt scribæ. Pudore affecti sunt sapientes, perterriti sunt, & capti sunt: ecce, verbum Iehouæ reprobauerunt, & sapientia cuius rei est eis?* Cap. 8. 5. 6, 8. 9.

## CAP. II.

### *De natiuitate & circumcisione Iudæorum, & quomodo, vt in Iudæos bonos euadant, educari consuêrint.*

QVoniam capite præcedente ingressũ breuem quẽdam ad Religionem Iudaicã exercitationemq; fidei ipsorũ feci: & id, super quo fides ipsorum fundata esse videatur, plene demonstraui: iam quilibet (modo mentis expers nõ sit) facile iudicare nec non intelligere poterit, quam forte, pulchrum & augustũ ædificium, quod super fundamento isto taliter posito superstruendum restat, se exhibiturum sit: quam stabile firmumque contra ventos quasi furentes, tonitrua, fulgura denique

prophetica coram oculis eorum, qui vera Dei notitia, rectoque verbi eiusdem Dei intellectu donati illuminatique sunt, futurum sit, omnium, quin appareat, mihi dubium non est. Velim autem ne quis doctrina Iudæorum deinceps patefacienda scandalizetur, quod eam multis nō raro miram, risu dignam, fabulosam deniq; visum iri non ambigam. Suaserim vero potius, vt quilibet eandem cum timore & tremore animi sui & legat & consideret, quod doctrina eadem illa, à populo eo propagata est, quem populum Deus ante hac præ populis aliis omnibus elegerat, pro liberis suis adoptauerat, notitia sui donauerat, sine intermissione per Pphetas quosdam singulares instituit doceriq; curauerat: qui, postea quam iram execrationemque diuinam per ingratitudinem eius contra se prouocauerat, insania punitus est, prout ei Moses Deut. 28. minatus erat: excœcatusque fuit, prout loquitur Esaias capite 42. cuius cor induratum, aures obesæ factæ sunt, vt audiens non audiat, intelligens non intelligat: ideoque leges Dei in doctrinam mutauit impiam, idque multo magis quam gentiles ipsi: prout Ezechiel propheta super eo conquestus est: qui nihilominus tamen dicere non veretur, *Chachamim anachnu*, Nos sumus sapientes excellentes illi, qui bene norunt, quomodo recte viui oporteat,

Ezech. 5.

Ier. 8.

*thorath*

*thorath adonai ittanu*, verbum Domini, & sancta lex eius in manibus nostris est, viuimusque secundum eandem: prout populus iste tempore prophetæ Ieremiæ sese iactauit, qui tamen eis respondens, mendacium nugasque meras & stultas esse, quicquid eos Scribæ eorum docuissent, obiicere veritus non est. id quod prophetam ipsis vere recteque obiecisse ex hoc libro deinde patebit apertius. Certe, gloriatio ipsorum de Mose nec non prophetis aliis, gloriatio falsa & ementita est. Doctrina illorum fidem concernens falsa quoque tota est, peruersio, & verbi diuini, rebus fabulosis nouitatibusque plus quam anilibus, tanquam carnes assæ lardo inferciendo repletæ falsificatio est.

Vt igitur fidem Iudæorum tam bene firmeque fundatam cum tota ipsorum & doctrina & vita ordine consideremus, notamque faciamus, initium à natiuitate Iudæi sumemus. quo facto, narrabimus etiam, quomodo in numerum communionemque Iudæorum recipiatur, educatur, ad finem vsque vitæ eius quasi manu regatur, in sepulchrum denique deducatur, vt per occultas profundasque terræ cauernas rimasque in terram promissam melle lacteque fluentem traductus, illis ibidem vescatur, & cū Messia eius ad mēsam quandam assideat, super qua bouem quendam supernaturaliter ingentem as-

satum, pisces & aues edat, vinum quoque præstantissimum, in paradiso nempe cretum, bibat, ibidem deniq; in gaudio magno, lætitia item in magna quieturus per sepelientes eum relinquatur.

*Nunc lectum admissi risum teneatis amici.*

Quando mulier Iudaica grauida est, iamque tempus, vt infantem in lucem edat, appropinquauit; tum vero locus ille, in quo puerperium fieri debet, rebus necessariis omnibus instruitur. quo facto, paterfamiliâs, vel alius quispiâ vir & sanctus & pius, siquidem talis copia vspiam sit, cretam in manus accipit, lineamque circularem in cubiculo facit ad parietes omnes, scribitque super ianua & interius & exterius ad parietem quemlibet, & circum lectum literis Hebræis, *Adam, Chaua, Chuts Lilis*, id quod est, Adamus, Eua, Apage Lilis. quo Iudæi significare volunt, precari se, vt si puerpera filium pepererit, ei tandem aliquando Deus vxorem det Euæ similem, & non Lilidi: sin autem filiam pepererit, Deus ei suo tempore maritum det, cui illa sit Eua, coadiutorium, non Lilis, refractaria & inobediens. Quid Lilis est? Nomen hoc inuenitur in Bibliorum sacrorum textu Hebræo apud prophetam Iesaiam capite 34. & aliquibus strix est. Strix autem auis nocturna & ominosa est; quibusdam lamia est, id est, mulier nocturna, quæ vulgo venefica.

Iesa. 34. 14.

fica. Sic & Iudæi ipsi iudicio meo accipiunt de spectro diabolico aliquo in forma muliebri apparente, quod spectrum quondam infantes octauo die circumcidendos occidere vel secum prorsus asportare consueuit. Hoc ipsum ab Hebræo *Lel* noctem denotante, Lilis nominatum fuit. Hac de re legitur historia, in libro *Ben Sira* (non vt vir doctissimus dominus Paulus Fagius & impressit & exposuit in lingua Latina, sed put Iudæi imprimi fecerunt. Et exemplar sane meum Constantinopoli excusum est idem ipsum, cuius *Sebastianus Munsterus* in fine Cosmographiæ mentionem facit, & ex quo ipse historiam Hebræam de regione Sacerdotis Iohannis & desumpsit & descripsit; quæque in fine exemplaris eius, quod ego à Iudæo quodam horum locorum habitatore, & id è Bibliotheca Munsteriana emptum habēte, ære meo redemi, excusa est. Munsterus enim linguæ sacræ professor fuit in hac vrbe Basilienſi, vbi sepultus et iam est) in *Ben Sira*, in quā, legitur historia talis: Cum Deus Adamum in principio in paradiso creasset solitarium, vt homo solus esset, bonū non esse dixit. Mulierem igitur illi è terra cōdidit similē ei, eamq; Lilidē vocauit. quo facto, hi ambo statim inter sese rixari digladiarique cœperunt, dixitq; mulier ad virum, *nini sthochebhes lemattah*, Ego tibi subiecta nō ero. vir aūt

Ego non cubabo infra.

Neque ego

dixit, *veaini schochebh lemattah ella lemahalah*, Ego quoque sub te non ero, sed super te dominabor. Te enim subditam esse decet. Quæ respondens ei, Nos, aiebat, ambo pares sumus, & tu melior non es quam sim ego, neque melior ego quam tu; vt qui ambo è terra facti fuerimus: sicque inobedientes & rebelles inter se esse continuauerunt. Itaq; cum *Lilis* perspexisset, fore, vt concordia inter eos iniri nō posset, nomen *Schem hamphoraſch*, (hoc est, nomen illud sanctum *Iehouah*, cum arcana Cabalistica interpretatione eius, contra quod Lutherus libellum quendam conscriptum publicauit) sanctum illud enūciauit, quo facto in aërē liberum mox subuolauit. Tunc Adamus Deum alloquebatur, & Domine mundi totius, aiebat, Mulier ista, quam tu dedisti mihi, à me auolauit. Tum Deus mittebat angelos tres post mulierem istam, *Senoi*, *Sansenoi*, *Sanmangeloph*, dicens eis: Indicabitis mulieri, quod si reuerti velit, bene sit; sin autem reuerti nolit, die singulo centum è liberis eius morituri sint. Hi angeli mādato hoc accepto mox eam sequebantur, eamque super mari tum temporis turbatissimo, & ibidem loci, vbi Ægyptii postea submergi debuerunt, assecuti; mandatum Dei ipsi declararunt. Illa vero obedire reuertiq; recusante, Angeli: Nos te (aiebāt) in mare submergentes in eodem præfocabimus,

bimus,

bimus, nisi dicto audiens nobiscum ad virum tuum redire velis. Tum *Lilis* eos orare & obsecrare, vt missam eam facerent angeli, quod creata esset, vt infantes, die post natiuitatem octauo, si mares: si vero fœmellæ essent, die vigesimo cruciaret atque morti adeo ipsi daret, aggressa est. Id vbi angeli perceperunt, eam vi abripere, secumque ad Adamum reducere conari cœperunt. Quod animaduertens *Lilis*, iurabat eis, quod, quandocunq; nomen angelorum illorum vel figuram saltem super schedula, pergameno, vel materia quauis alia scriptum pictumve inueniret, potestatem super infantes nullã habere, quodq; eis nihil mali inferre velles: quod denique ipsa in se recipere patique non recusaret, vt è liberis eius die singulo cẽtum morerentur. Post tempus illud è liberis eius *schedim* siue iuuenes diaboli cẽtum per diem mortui sunt. Et hæc est causa cur nos angelorum horum nomina super *kamea* siue schedula mẽbranacea scribere, infantiumque nostrorum collis appendere, soliti fuerimus: vt nimirum, quando *Lilis* ista schedulam vel scripturam hanc conspicata fuerit, iuramenti sui memor, infantibus damnosa esse caueat. *Hactenus hæc* è Ben Sira. Et quod infantibus schedulas eiusmodi appendant, verum esse potest: prout medicinas valde multas per schedulas huiusmodi perfici-

unt. In cubiculis autem, vbicunque puerpera aliqua est, picturam illam cuius modo meminimus, semper inuenire est. Angelorum quoq; sanitati mortalium proprie præpositorum nomina intrinsecus super ianua cubiculari expressim delineata sunt. Vndenam vero *Rabbini* isti tã sublimiter docti historiam hãc adeo suauem desumpserunt? Responsionẽ ad quæstionem hanc in libelli Teutonohebrei quod Brãdspiegelium vocarunt, Cracouię Polonorum lingua quidem Germanorum proprią, typis vero Hebræis anno Christi 1597. impressi c. octauo, verbis sequentibus his: Ædificauit Deus mulierem è costa viri, vt illa tanquam costa è corpore ipsius exemta ad illi seruiendum obnoxia esset, inuenies Hinc disputant *chachamim* nostri super eo, quod scriptũ est; *Creabat q; Deus hominem*, &c. *Creabat, inquã tos maſculum & fœmellã.* Deinde c. sequente scriptum extat; *Bonum non est, vt homo solus sit, ego ipsi adiutorium procurabo, quod circũ eum sit.* Ibi quærunt Iudæi alte sapientes isti, quo mulier illa prima, quæ cum Adamo creata fuit, abierit: respondentq; sic: Mulier omnium prima *Lilis* vocata, superbe de se sentiens, viri sui dicto audiens esse nõ voluit; quod statueret eũ non minus è terra conditum quam seipsam. Hanc igitur Deus separauit ab Adamo, eique aliam è corpore eius formatam adiunxit, vt eum

Brandspiegelium.

Gen. 1. 27.

Gen. 2. 18.

seque-

sequeretur, ei morem gereret, seruiés illi tanquam membrum corporis eius. &c.
*Hæc è Brandspiegelio.*

Quamprimum itaq; strix hæc, seu mulier nocturna, è cubiculo bannita profligataq; est, partusq; dolores mulierē exercere cœperunt, vt pariat, infantemq; enitēdo in lucem edat; ibi obstetricem Christianam accersere (id. n. in iure Iudaico seueriſſime prohibitū est) nequaquam permiſſum est; niſi fortaſſe mulieres Iudææ nullæ ad obstetricandum inuenirentur, vel obstetricem Christianam mulieres Iudææ frequentiſſimæ circumstarēt. Obstetrices enim Christianæ eis ſuſpectæ ſunt, verenturq; Iudæi ne liberos ipſorum naſcentes nō ſatis ſolerter excipiant, vel eoſdem vita inter naſcēdū emungant. Quod ſi puerpera fortunatè parit, filiolumq; in hunc mundum edit, tum vero ædes totæ gaudio perſonant perſtrepuntq; maximo; cuēſtigio pater it obſonatū, emit anſeres pingues, gallinas, piſces, carnes, potumq; ad *Bris milah*, i.e. ad miſſum ſiue ferculum circūciſionis tēpore apponēdum, eximia bonū. Iuſſit. n. Deus, vt infans maſculus octauo die circumcidatur, prout cuiuis è libris Moſaicis notum est. Interea tēporis ad circumciſionem puelli perſonæ viriles decē (tot. n. nō plures pauciores ve, vocare licet) inuitātur. Has aūt omnes annū tertiūdecimū ſupergreſſas eſſe neceſſe est: quumerus lingua illorū *minia* appellatur.

Nocte partum sequente inuitatorum septem, & præter hos interdum alii nonnulli ad puerperam conueniunt, cœnâque sat lautâ se tractant, vigilant noctem totam apud ipsam, res agitant ludicras non paucas, aleam ludunt, talos iaciunt, noua in medium afferũt. Viri potu se vsq; eo replent, vt oculis videre non possint, hac ratione puerperam solantes, ne propter infantem circumcidendum nimis se coquat maceretque. Idem faciunt causam similiter ob hanc, quod puerperæ ea nocte facile infortunati aliquid accidere posse, reantur. Quod quamuis ita fieri consueuerit; qui tamen ex iis doctissimi pientissimique sunt, preces attentissimas quasdam fundunt, etiam circumcisorem, ne, ad tremorem manus eius infantẽ circumcidentis cuitandum, nimium bibat, hortãtur. Circumcisor ille Hebraice *Mohel* est. quem & Iudæum, & marem non mulierem esse oportet, eundemq; in circumcisione bene exercitatum paratumq;. Qui prius neminem circumciderit, cum Iudæi diuites ad se nõ facile admittunt: Ille barbã (dicentes) meam tõdendo tondere non discet. Circumcisor eiusmodi nõ satis exercitatus pauperi cuidã Iudæo pecuniam dat, vt in infantib. eius semel, bis vel ter ipsi periculum rei facere liceat. Iam deinde *Mohel* siue circumcisor iste semper è pollicũ ipsius qualitate dignosci potest.

Super

Super eis enim vtrisq; & longos & in arctum acuminatos vngues habet. Cultellus circumcisorius è materia scindente quacunq; esse posset; ideoq; è lapidib. vitro, ligno. Iudei vero communiter cultellos acutissimos è ferro fabricatos, qui nouaculis, qualibus barbitonsores vti consueuerunt, assimiles sint, adhibere solent. Hi apud Iudæos opulentos argẽto inclusi, gemmis insuper exornati sunt. Infantulum prius, quam circumcidatur, lauari, pure lotum fasciis inuolui oportet, vt dũ circumcisio eius peragitur, pure iaceat. alias enim precationem nullam super eo dicere fas esset. Et sane si inter circumcidendum pre dolore fletuq; sese cõspurcet, circumcisorem ad orationem faciendam tantisper expectare oportet, donec denuo purgatus linteis iterũ implicitus sit. Tẽpus circumcisionis ordinarium dies octauus est, numerationẽ à momento natiuitatis eius faciẽdo. Incipitur aũt numeratio illa à mane, quando sol ortus ad noctem vsq; lucere pergit. Vulgo tamẽ tempore matutino, quãdo ieiunus adhuc est, circũcidi consueuit; idq; causam ob hanc, quod sanguinis copia ex eo nõ effluat tãta, quanta aliàs effluxura fuisset.

Tempore diei octaui matutino, ea quæ ad circumcisionem opus sunt, tempestiue parantur. Et primo quidem omnium sedilia duo collocantur; vel vnum, sic fabre-

factū, vt in eo duo seorsim sedere possint, tapetib. & sericeis holosericisq; ornatū stragulis, prout facultates cuiusq; ferunt: idq; vel in synagoga siue schola cōmuni, vel in domus alicuius cōclaui fit. Quod si fiat in Synagoga, tū sedile prope arcā sanctam positū esse oportet. In arca liber legis iacet, antiquitus arca fœderis appellata. Locus. n. talis sanctus est. Tum puelli circūcidendi siue spōsor siue susceptor accedit, seq; apud sedile prædictū sistit, ppe eum *Mohel* vel circūcisor se locat. Hos ludæi sequuntur alii; quorū vnus clara voce clamās edicit, vt quicquid ad infantulum circumcidendū requratur, expeditè adferatur. Accelerāt deinceps pueri quidā alii, quorum vnus facē fert ingentē, in qua cādelæ duodecim cereæ ardētes ad trib. illas Israelis duodecim repræsentandas, incēsæ lucēt: post hos pueri duo alii pocula vino rubro plena gestant; post hos alius cultellū, quo infantulus circumcidendus est, in manib. apportat. Alius patellā cum arena affert. Alius aliā cum oleo ex arbore manare stillare q; solito, in quo purę, subtiles, raræq; fasciolæ sunt, quas postea vulnusculis puelli circūcisi *Mohel* imponit, defert. Hi accedētes simul omnes, circū *Mohel* quā proximè ita se sistunt, vt quendam quasi circulū efficiāt, vt rē illam totā tanto melius & intueantur & discant. Et sanè officia hæc argēto p pueros emuntur. Cōfluunt:

fuunt eodē quoq; nonnulli aromatib. rebus dulcib. artificioſe paratis, dulci eodēque forti vino, caryophyllis, cinnamomo, ſimilibusq; ſpecieb. (vt vocāt) ſat fortibus inſtructi, vt patrē infantuli, vel cōpatrem eius, alios deniq; omnes, confortēt recreentq;, ſi forte ppter dolorē, quem ex infantuli circūciſione percipere poſſint, lipothymia animive deliquio grauentur. Cunctis igitur his ita, ceu diximus, in vnā cōgregatis, ſeſſum it ſpōſor infantuli ſup vnū ſedilium illorum duorum; vel altera duplicis ſedilis alterius partē, è cui aduerſo ſiſtit ſe *Mohel*, canitq; è libro Moſis ſecundo cum canticū illud, quod Iſraelitæ, quādo mare rubrū trāſiuiſſent, cecinere; tum alia plura. Tunc afferunt mulierculæ puellum ad ianuā vſq;, cōgregatione mox vniuerſa aſſurgēte. Sponſor autē ad ianuā vſq; pergit, puellumq; accipiens cum eo ſuper ſedile ſuum ſe cōfert, & *Baruch habba*, quod eſt, Benedictus qui venit, exclamat. Eſt autē & hīc in verbo *Habba* ſenſus quidam Cabaliſticus. Etenim ſecundum numerum literarum eius comprehendit in ſe octo. *He* enim, *Bes* & *Aleph* octo conſtituunt. Seſus ergo Cabaliſticus eſt, quod benedictus ſit, qui die octauo venit, vt circūcidatur nimirū. Eſt & abbreuiatura ſeu verbum tale, in quo ſingula literæ ſingula vocabulum ſingulū deſignat; *Hinne* ſcilicet *Bar Eliahu*; quod eſt, Ecce, venit Elias, qui ſci-

licèt angelus fœderis appellatur. Quæ Iudæi fingentes opinantur, quod Elias propheta veniat cum infantulo illo, & in sedile alterum sessum eat, visurus, quod ipsi fœdus Circumcisionis recte & obseruent & exequantur: ceu literis sacris proditum

Malach. 3. 1. est: *Et legatus fœderis, quem, vos quæritis, ecce venit.* Cumq; tẽpore quodam Israelitæ ꝓhibiti fuissent, liberos eorũ Iudæos efficere, vel prœputium ab eorum carnib. auferre; tum vates Elias tristitia magna grauatus, in cauerna quadam sese occuluit, cogitationibꝰ de vitã ibidem finiendo susceptis. Tum Deus affatus eũ dixit ei, prout

3. Reg. 19 8. 10. libro Regũ primo scriptũ est; *Quid tibi hic Eliiahu?* Cui Elias, *Zelando*, inquit, *zelatus sum pro Iehoua Deo exercituũ. Dereliquerũt enim pactũ tuũ filii Israel.* pactum nimirum Circumcisionis. Tũ promisit Eliæ Deus, quod ipse ex eo tẽpore circumcisioni adesse deberet, contẽplaturus quod Israelitæ fœdus illud nõ amplius deserturi, sed recte beneq; facturi essent omnia, q̃ ad illud obseruandũ opus essent: perinde atq; scriptũ est; *Et angelus fœderis venturus est*, &c. Quãdo Eliæ sedile illud apparãt, tũ verbis expressis, Hoc sedile ꝓphetæ Eliæ est, dicere tenentur. Quando id expresse non dicitur, ipse ad circũcisionẽ spectandã nõ venit. Forte p̃ senectute nimis ingraueſcẽte non sat bene exaudit, ideoque necesse putatur, vt voce tam sonora venire iu-

bea-

beatur. Sed vt Elias idē tantum temporis ibidem præstoletur, dum circumcisio debitè perfecta sit, sedile illud ipsi per triduum integrum relinquitur. Dives quidam Iudæus Reginoburgensis voluit aliquando, vt infantulus eius circumcideretur, & *Rabbi Iuda chasid*, qui sanctitatis eius & eximiæ & singularis ergō *Rabbi Iuda* sanctus ille vocari solitus esset, pro cōpatre electum ad se vocauit. Cumq; iam tum infantulo allato ab omnibus surrectum, clamarique cœptum fuisset, *Baruch habba*, Rabbi Iuda & tacuit, & non surrexit. Ergo cum iam ex ipso quæreretur, cur ita se gereret, tum respondens ille, Ego, inquit, Eliam venire, seque mecum in sedile apud me collocare non vidi: è quo colligo, quod infans ille in virum bonum euasurus non sit. Et quoniam video illic virum quendam barbam & prolixam & albam habentem in fenestra sedere, agite, quæratis ex eo, num quod affirmo vel ita, vel non ita sit, vobis alterutrū respondeat. id quod cum ex eo quæsiuissent, respondens ipse: Quoniam, dixit, præuidit Elias infantulum istum à fide Iudaica defecturum, Christianumque futurum, ea causa fuit, cur accedere ad circumcisionem illius recusauit. Et sanè puellus ille adultior factus, postea in Christianum euasit.

Cum deinde compater infantulum in

sinu habet iacẽtem, tum *Mohel* siue circũ-
ciſor eum è faſciis euoluit, pudẽdum eius
apprehendit, eiuſq; anteriorẽ partem per
cuticulam præputii cõprehendit, granu-
lumq; pudẽdi eius retrorſum premit, quo
facto cuticulam p̃putii fricat, vt illa per id
emortua infantulus cæſuram tanto min⁹
ſentiſcat. Deinde cultellum circũciſoriũ
è pueri aſtantis manu capit, claraq; voce,
Benedictus (inquit) eſto tu Deus, domine
noſter, rex mundi, qui nos mandatis tuis
ſanctificaſti, nobiſq; pactũ circumciſio-
nis dediſti. Interim dum ille loquitur ſic,
particulam præputii anteriorem vſq; eo
abſcindit, vt capitellum pudendi nudum
cõſpici queat, illamq; feſtinanter in patel-
lam arenaiſta plenam cõiicit; puero quo-
que iſti, à quo acceperat, cultellum reddit
circumciſorium, ab alio vero poculum vi-
no rubro (ceu dictũ fuit) impletum, capit;
haurit ex eo quantum ore continere po-
teſt, qd̃ mox ſuper infantulũ expuit, eoq;
ſanguinẽ eius abluit: in faciẽ quoq; infan-
tuli vini aliquid expuit, ſi eum virib. defici
cõſpexerit. Mox pudẽdum pueli ore cõ-
prehendit, & ſanguinis ex eodẽ quantum-
cũq; poteſt, exugit, vt ſanguis idem tanto
citi⁹ ſe ſiſtat; ſanguinẽ exuctum in alterum
poculorum vino rubro refertorum, vel in
patellam arena abundantẽ, expuit. Id aũt,
cum minimum, ter facit, ipſumq; Hebrai-
ce *mezizah* vocatur. id quod Moſes equidẽ

non

non præcepit, sed ipsi *Rabbonim* sapiētes; Iudæorum prout ipsis bonum est visum, instituerunt. Postea, cum sanguinis fluxus paululum sedatus est; tum *Mohel* iste cum unguibus suis, quos super pollice utroque acuminatos habet, pelliculā pudēdi puerilis truncatam arreptam dilaniat, eoque usq; retrorsum repellit, vt capitellū pudēdi nudum cōpareat; quā dilaniationem isti *priah* vocitant. Talivero pelliculę reliquę dilaceratione infantulo misellō dolorem multo matorē causatur, quā circūcidendo prius infligere nō potuit. Eo aūt patrato, fasciolas, quas puer qdā oleo madefactas in patella tenet, arreptas infantuli pudendo imponit, easdēq; eidē ter quaterve in se ductas circūligat. His ita pactis, infantulum fasciis iterum inuoluit. Tum pater infantuli, Benedict⁹ (inquit) esto tu Deus, domine noster, mūdi rex, qui nos mandatis tuis sanctificasti, præcepistiq; vt in pactū Abrahami patris nostri succederem⁹. Ad illud congregatio tota respondens, Quam feliciter (inquit) infantul⁹ hic successit in pactū Abrahami patris nostri; tā feliciter in possessionē legis Mosaicæ, in cōiugium quoque, operaq; bona alia succedet. Deinde *Mohel* iste os suum impurum eluit, manus etiam tantisper lauat, dum puræ tersæq; euaserint. Sponsor infantuli cum eo surgit, sistit se ex aduerso *Mohel* eiusdē, qui poculum vini rubri pleum capiēs alterum, precationē super eo

quãdam dicit: orat præterea super infantulum, &, O Deus (inquit) noster, Deus patrum nostrorum, corrobora conseruaq; infantulum hunc & patri & matri eius; façitoque vt nomen eius in populo Israelitico nominetur, (hîc primũ puello nomen imponit, Isaacum eum vocans) Isaacus, qui filius fuit Abrahami. Lætetur pater eius in eo, qui è lumbis eius egressus est. Lætetur mater eius in fructu ventris eius, perinde vt scriptum est: *Fac vt lætetur pater tuus, & mater tua, & exultet genitrix tua.* Dicit etiam Deus per prophetam: *Et transiui iuxta te, & vidi te conculcatam in sanguine tuo; & dixi tibi, in sanguine tuo viues: dixi, inquam, tibi; in sanguine tuo vines.* Hîc Mohel siue circumcisor iste digitum eius in alterum è poculis istis duob. vini plenum, & in quod sanguinem è pudendo puelli exuctum expuerat, intingit, deque vino illo puelli labia ter madefacit; sperans illum iuxta sententiam prophetæ præcedẽtem multo diutius, quam aliàs victurus esset, in sanguine circumcisionis eius esse victurum. Dauid etiam, *Memor est* (inquit) *memorabilium eius, quæ fecit, & prodigiorum eius, & iuditiorum oris eius.* &c. Orare deinde pergit, vt Deus illos, qui præsentes sunt, tueri velit, vtpote qui denuo fœdus eius implendo cõfirmarint: Patri vero matrique puelli vitam communicare longæuam, & infantulo bene-

Proverb. 23.25.
Ezech. 16.6.
Psal. 105. 3.

benedicere vt dignetur, Deum itidem orare continuat. Eo peracto, iuuenibus omnibus, poculum benedictum porrigit, & vt ex eo bibant, illos inuitat. Tandē cum puello, qui Iudæus iam factus est, domum paternam reuertuntur, eum matri super brachia eius reddentes. Et ita totus hic actus finem eius consecutus est.

Docti nonnulli piique Iudæi audientes, puellum ob dolores è circumcisione perceptos plorantem, consolantur se sententia illa, quæ in libro Mosis secūdo extat, *Ego* (aientes) *audiui clamorem filiorum Israel, quos Ægyptii seruire faciunt: & recordatus sum pacti mei.* Exo. 6. 5. Quando Mohel iste precationem eius postremam facit, cum sponsore puelli proxime arcā stat; quippe qui locus sit sanctus. Totū verò hoc viri Iudæorū doctissimi & sapientissimi è vocula Hebræa *milah* circūcisionem significante, inuenerunt & didicerunt. Vox illa literas habet quatuor, quarum vna quæque vocem aliquam integram constituit seorsim: hinc igitur voces hæ quatuor existūt: *Mohel Iered Liphne Hattebha*, quod est; Circumcisor ad arcam vel in arcæ conspectum, se statuet. vel *Maleach Ioschebh Liphne Haaron*, hoc est, Angelus stat ante ianuam: Elias nimirum angelus ille fœderis similiter ante arcam se sistēs precatur. Iudęi quoq; probi nōnulli infantulū tam ante inchoatā, quā post peractam

circumcisionem captum Eliæ prophetæ ceruicali imponũt; eum scilicet in finẽ, vt Elias ipsemet eum attingat. Quod autem *priah* siue denudationem illam pudendi infatis pollicum vnguib. tam acutis faciunt, ad id se moueri aiunt authoritate libri Iosuæ, in cuius capite quinto scriptum sit: *Fac tibi cultros acutos* (sic enim scribendum, nõ lapideos) *& iterũ circũcide filios Israel secundo.* Hîc aiunt *chachamim* sapientissimiq; Iudæorum isti, quod illud secundo vel *Secũda vice* intelligi debeat de *Priah*; quippe q̃ nihil aliud, q̃ circumcisio quædam repetita sit. Disputant hîc quoq; sapiose, cur illi, qui in deserto per spaciũ annorum quadraginta totorum nati fuerant, circumcisi nõ sint. Aiunt q; idipsum ob malignitatẽ ceruicisq; maiorũ ipsorũ duritiem factum nõ fuisse (quî n. id, quæso, fieri potuisset? cũ maiores eorum fuerint cordium tã bene circumcisorum) sed ideo, q̃ spatio quadraginta annorum toto illo Boreas in deserto nõ spirasset: qui cum ad sanguinis missionem adeo vtilis salutarisque sit, vt eo non spirante vulnera omnia valde periculosa esse deprehendantur, ob id factum aiunt, quod circumcisio spatio temporis tam longo cessarit. Hinc regulam medicinalẽ habent Chaldaicam *Beioma deibba, vbeioma deschusa lomahalinã, velo mesubbarinan*; quod est, illo die, qui nebulosus est, & illo, quo Subsola-

Ios. 5. 2.

nus,

aus, fiat, circumcisio administranda non est, vt & phlebotomia exercenda non est. Sed aliquis hîc dicat; an igitur Aquilo sẽper expectandus sit, cum tamen quotidie circũcisio exercẽda veniat. Respõsio. Dicunt *chachamim* in Talmudo, & dieb. singulis venti flent quatuor, quodq; Aquilo eorum vnicuique immistus sit, idemque fæpenumero quatuor illos reliquos excedat: eaque de causa diebus singulis circũcidere permissum sit. Quod autem ventus hic tum non flauerit, eius rei indicium aiunt esse hoc, quod proprietatem habeat hanc, vt nubibus fugatis serenitatem causet er: perinde vt scriptum legatur; *At ventes transit, & repurgat illud. Ab aquilone aurum veniet*, id est, tempestas tam serena, quam aurum purum purumque esse possit. Quod si igitur ventus hic fortiter insolitudine flauisset, columnam illam igneam, quæ cum populo Israelitico semper profecta est, abegisset dispescuisset que: id quod cum maximo populi illius incõmodo factum fuisset. &c. Mihi vero subtilitates illas omnes detegere nõ libet. Quod si quispiam talium legendarum auiditate capiatur, legat præter hæc *R. Dauid Kimchi* super loco superius è Iosua adducto; & Talmudum in libri de affinitate capite illo, cuius exordium est, *Haarel.* vbi disputationes & pulcherrimæ, & ex ipso sapientiæ profundo haustæ de

Tractatu Gittin, c. 8.

Iob. 37. 21. 22.

Tractatu lebhamos c. 8.

causa circumcisionis in deserto intermissæ reperiuntur. Iam quod cuticulam abscissam in arenam coniiciunt, id primo significat, quod semen eorum tam numerosum futurum sit, quam numerosa maris arena est: prout scriptum sit: *Et ponam semen tuum, vt arenam maris.* Item, *Erit semen tuum sicut puluis terræ.* Secundo fit illud ab ipsis in recordationem Bileami, qui cum vidisset, quod in solitudine terra tota præputiorum Israeliticorum plena esset, *Quis*, exclamauit, *puluerem Iacobaum enumerare potest?* quasi diceret, Quis coram sanctitate dignitateque populi huius, qui excepto nemine circumcisus est vniuersus, præputiumque in arenam defodit, subsisteret? Qua fronte possim ego populum tam sanctum execrari? Tertio significat, quod cuticula hæc serpens antiquus, qui *Adam harischon*, Adamū primū, in Paradiso seduxit, cibetur. Panis n. eius terræ puluis est, quomodo scriptū est: *Et cibus serpētis erit puluis.* Iā, cum serpens hominis inimicus adhuc sit, corpus & animā hominis sine intermissione edēdi fame laborat; inde fit, quod serpentē inimicū ipsorum cibent isti Iudæastri tam sanctuli mandatorum Dei obseruatione, h. e. pane sanctæ illius *thorah*, prout scriptū est; *Si esurierit odio habēs te, ciba illū pane.* Et p hunc vigor serpentis istius adeo debilitatur, vt hominē non amplius, vt olim fecit, seducere

Gen. 32. 12. Gen. 28. 14. Glossa Talmudica ibid.

Rabbi Abraham in libro Zeror Hammor in Parascha ki Teze super 23 c. Deut. Ies. 65. 25.

Prouerb. 25. 21.

cere possit. Infantulos ęgrotãtes die octauo nõ circumcidunt, sed circumcisionem illorũ differũt vsq; eo dum valetudiné recuperarint. Quisquis ante diem octauum mortuus erit, is in cœmeterio primum apud fossam sepulchralem circumciditur; sic tamen, vt circumcisioni eius preces nullæ addantur. Signum vero in memoriam eius erigitur, eum in finem, vt pro eo Deus oratus eius misereri velit, isque in die resurrectionis mortuorum cum reliquis reuiuiscat. In locis aliquibus populus totus, quamdiu circumcisio peragitur, stare obnoxius sedendi potestatem non habet, compatre solo excepto: quod scriptum sit: *Et stetit vniuersus populus in fœdere.* Iam, quod sub finem agendorum omnium *Mohel* iste *bracha*, quod est, benedictionem, super fœdere circumcisionis dicere tenetur, cultellum in manu tenẽs, id *chachamim* siue sapientes isti Iudæorum è loco scripturæ hoc: *Exaltationes* vel laudationes *Dei sunt in gutture eorum, & gladius anceps in manu eorum*; ostendunt. Sic Actus primus in Synagoga peragi solitus finem suum nactus est: Sequitur iam, qualem Comœdiam cum puello circumciso domum reuersi, deinceps agere pergant. 3. Reg. 23. 3. Psal. 149. 6.

Interea dum è Synagoga domum reditur, culina bene curatur, mensa sternitur, edulium bonum paratur, ad quod (quem-

admodum superius narratum fuit,) viri tantum modo decē vocantur. Inter hos vnum duosve doctos Rabbinos esse oportet, qui precationē super mensa dicunt prolixissimā, adeoq; concionē quandam habēt; ad quam tamē audiendā auditores parum intēti, interim dum isti verba faciunt, sibi inuicē pocula vini plena propinā. Ego ipse aliquando cōuiuio ipsorū, quod post circūcisionē quandā administratam agitabant, intereram, quando Rabbinus cōcionaretur verba Salomonis haec: *Sapientia lignū vitæ est apprehendentib. illam.* De qua concione verè pronunciare possum, quod tam ligneā tamq; ridiculam, quam fuit ista, in vita mea tota audiuisse me nō meminerim. Quod conuiuium eos adeo lautū opiparumq; instituere oporteat, id probant è voce Hebræa *Milah*, quæ cum circumcisionē denotet, Cabalisticeq; secundum numerum literarūm cōsonantium voces integras quatuor cōstituere possit, nempe *Mischteh Laasch Lecol Hakkeruim*, quarum sensus sit, Conuiuium instituet inuitatis omnib. opinantur se tale conuiuium recte parare. Quod autē conuiuium idē die octauo celebrare debeant, id verò adhuc lōgè & subtilius & artificiosius ex historia Abrahami eiusque filii Isaaci demōstrant; de quib. scriptum sit libri Mosis primi capite 21. verbis his: *Quum autē creuisset puer, ablactatus fuit: fecitq; Abraham conui-*

Proverb. 3. 18.

Gen. 21. 8.

*conuiuium magnum die, quo ablactatus fuit Isaac*: beiom higgamel es Iitzchak, *h. e. die illo quo Isaacus ablactabatur*. Super hoc faciunt isti *medrasch* quandam vel interpretationē Cabalisticam, dicētes: Non leges *Higgamel* (id quod Hebræum quatuor literas consonantes habet, *He, Gimel, Mem, Lamed*) sed *Beiom Hagmal*, vbi literæ *He* & *Gimel* verbi nullius significātes, sed literæ tantūmodo numerales sunt, constituētes octo. Vocabulū *Mal* Theutonicè est, Er hat beschnitten, ille circumcidit. Itaque secundum declarationē (imo verò peruersionē) Rabbinorum Cabalistarum intellectus est talis: Et Abrahamus conuiuium magnum instruebat die octauo, quo Isaacus filius eius circumcisus esset, crescebatque puer ille, & ablactabatur. Et consuetudo, hæc, vt conuiuium bonum instituatur, & ad illud cum Rabbini docti, tum alii viri, pbi inuitētur, valde bona & recta est: De hac. n. locutus est Dauid Psalmo quinquagesimo, *Congregate mihi* (inquiens) *sanctos meos qui pepigerunt pactū mecū*, circūcisionē nimirum, eandēq; *super sacrificio*. i. potius quam sacrificia causa cōuiui cuiusdā lautissimi obseruāt: vt q sacrificia, dū in captiuitate sunt, facere nō possunt, ideoq; tristes sunt. Is, qui puellum circumcidit, per dies aliquot apud puerperā manere, &, ne pueli⁹ iterū sanguinis, pfluuio laboret, curā gerere tenetur. Mater spatio septimanarum totarum sex in puerperio

Rabbi Bechai super loco hoc.

Psal. 50. 5.

manet, siue masculum siue fœmellam pepererit. Maritus eius modis omnibus ab ea interim sese abstinere cogitur; adeo, vt ipsi eam vel attingere permissum non sit. quin cum ea è patina eadem cibum capere ipsi religio est; non aliter, atque tum, quando menstruis laborat. de qua re alius erit dicendi locus.

Hac ratione Iudæorum liberi perfœderis Circumcisionis obseruationem Iudæi fiunt. Quod si Iudæa filiolam pepererit, natiuitas eius tam parui æstimatur, vt in libris eorũ de ea nihil fere scriptum inuenire mihi licuerit: nisi quod Ferdinandus Hessus, qui ante annos paucos à Iudæorum fide relicta ad fidem Christianorum conuersus (quem Deus in fide vera conseruare, deque die in diem magis ac magis in cognitione veritatis illustrare dignetur) memoriæ prodidit; quod puellulæ quædam iuuenculę, quando filiola nata sex hebdomadarum est, circum cunas, in quibus linteolis pulcherrimis, cinctuisque argenteis ornatis ea posita cubat, se collocent; eamque cum cunis aliquoties eleuent in altum, eique tum demum nomen imponant; & quòd ea, quæ ad caput infantis astat, susceptrix eius sit: quæ rebus istis peractis, cum puellis aliis conuiuium paratum agitans & edat & bibat; & ita tempus aliquod hilaris lætaq; cum eisdem transmittat.

Tametsi

Tametsi lex Mosis velit, quod mulier, quãdo masculum pepererit, primum spatio dierum septem impura pullutave esse; deinde per dies triginta tres, qui dies omnes simul faciunt quadraginta, vel septimanas sex, sese domi ad purgationem sui continere; quando vero fœmellam in lucem ediderit, dies tot alteros domi insuper latitare debeat: inter Iudæos tamen æui nostri mos est, vt puerperæ, quicquid tandem pepererint, masculumne an fœmellam, perinde est, spatio septimanarum tantummodo sex domi resideant: illudque singularis Iudaicæ sectæ cuiusdam, quæ *Koraim* vocata, in Polonia, Russia Turciaque seculo adhuc nostro inuenitur, causa. Hæc legem Mosis scriptam iuxta literam mordicus retinens, ordinationes Rabbinorum expositionesque abiicit: de qua secta per me prolixius dicetur aliàs. Ne vero Iudæi nostri cum secta iam nominata idem sentire putentur, ea causa est, quod puerperæ ipsorum dies non plures pauciores ve quam quadraginta domi maneant, siue masculum siue fœmellam, in lucem enixæ sint. Leuit 12.

Iam, quando dies quadraginta, siue septimanæ septem purgationi puerperarũ destinatæ præterierunt, tum prius, quam rursus apud maritos earum dormitum eant, vel vllam cum illis communionẽ habeant, aqua frigida sese lauare, & ita pur- Quomodo puerperæ puerperii tempore decurso se lauẽt.

gare coguntur; quo facto vestes & puras & albas induunt, & ita demum viris earum se rursus associant. Lauant autem sese in aqua communi omniumq; gentis ipsarum visui exposita; aut si talem habere non possint, in cisternis singularibus quibusdam, fontibus item siue cauernulis, quas in ædibus singulæ propriis, vel in hortis, vel plateis habitationi illarum proximis, ad eum vsum excauatas & paratas habent. Has adeo & profundas & aquâ plenas esse oportet, vt cum descenderint in eas, aqua ad collum earum pertingat. Quod si cœnum in fundo profundum sit, lapidem latum quendam, vel simile quid, pedibus supponunt, vt pedes toti in aqua limpida puraque stent, eademque aqua per pedum digitos penetrans permeansque, quocunque pertingere possit. Etenim si corporis vel tantillum maneret in aqua non detectum, & ad quod propter id aqua peruenire non posset, tum balneatio illa tota pro nulla reputaretur. Hac eadem de causa, prius quam in balneum descendunt, capillos explicare; funiculos, quibus eos colligare solent, amouere, corallia, torques, adeoque totum id, qualecunque circa collum gestare consueuerunt, deponere opus habent. Annulos quoque de digitis detrahere, dentes expurgare, adeo ne immunditiei vel tantillum in illis remaneat, itidem

dem tenentur. Quid multis? Illis circa corpus vniuersum ne tantum quidem relinquere licet indetectum, quantum pilus aut filum pateſcat. Tandē aliquando etiam coguntur ſubtus aquā ſe totas ſubmergere, idq; ita, ne pilus vel vnicus extet extra eandem. Eum in finem & brachia & digitos expādunt. Oculorum palpebras, perinde vt & os ipſum, ſi poſſint, apertas reliquere parumper tenentur. Sub aqua ſe deorſum inclinare, & in tantum curuare tenentur, vt mamillæ à corpore dependētes id nuſquā tegant; vt ſic aqua ad partes omnes peruenire, corpuſque totum mundare poſſit. Quod ſi inter talem balneationem in animi deliquium incidant, tum eas manibus illotis attingere non licet. alias enim lotio illa tota fruſtra ſuſcepta fuiſſet. Oportet vt mulieri dum lauat, ſemper aliquis aliquave præſens adſit. Neceſſe igitur eſt, vt ei præſto ſit mulier, aut puella, quæ annum agat duodecimū & diem vnum. Quod ſi tales ad manum non adſint, loco earum maritus proprius ei adeſſe poteſt, qui & videat & teſtetur, quod debitè ſe lauet. Nullatenus autem mulierem Chriſtianam ei rei adhibere tutum eſt. Tali enim fides haberi nequit. Hyeme, tametſi aqua glacie obducta eſſet, nihilominus in frigida lotio iſta peragēda foret. Si tamē id vſpiam conſuetudi-

ne receptum sit, aquæ frigidæ calidam admiscere licet. Quod si alicubi thermæ fontesque salientes, quales in locis aliquibus inueniuntur, haberi possint; in his quoque mulieres istæ lauare se licite possunt. Qui plura hac de re legere fortasse voluerit, is libellum quendam Germanico-Hebreum Frawenſüchlin, id est, mulierculorum libellum, sibi comparatum inspiciat. Quia enim in isto mulierum omnium mores breuiter comprehensi describtique sunt; igitur quod optare possit, in eo fortassis inuestigatum inueniet. Sequitur deinde, quomodo filius primogenitus à sacerdote redimi consuêrit. Filiolus, quem mater quondam pariens in lucem ediderat, iuxta legem Mosaicam Domino sacer erat; eumque à sacerdote redimere oportebat; prout scriptum est: *Quicquid aperit vuluam, meum est; Omne primogenitum filiorum tuorum redimes*, &c. Redimunt igitur primogenitos eorum Iudæi nostri quoque nostri. Redemptio hæc modo fit tali: Die trigesimo primo, ex quo infantulus natus est, pater illius *cohen* siue sacerdotem, cui alii amici quidam boni adiuncti sint, ad se accersit, infantulumque coram ipso super mensa sistit; addito pecunię vel alio, quod pecuniæ loco esse queat, tanto, quanto floreni aurei duo, vel thaleri totidem cum dimidio faciant, & sacerdoti; Vxor mea (inquit)

De primogeniti redẽptione.

Exod. 34. 19. 20.

(inquit) mihi *bechor* vel filium peperit primogenitum. Lex autem vult, vt eum ego tibi dem. Tum *cohen* siue sacerdos respõdens, Dasne igitur (ait ei) relinquisque mihi tu filiolum tuum? Cui pater, Etiam, respondet. Postea quærit sacerdos è matre, anne prius vnquam infantem peperit, vel vllum ante tempus illud abortum fecerit. Quod si mater respondeat, non; tum sacerdos quærit è patre, num filiolus primogenitus ille ei charior sit, quam pecunia, vel contra pecunia charior ei sit quam filiolus. Tum pater subiiciens, filiolum primogenitum sibi pecuniâ chariorem esse pronunciat. Tum sacerdos pecuniam illam acceptam ad caput infantuli deponens: Filiolus (inquit) hic primogenitus est, quem Deus redimendum esse voluit, quemadmodum scriptum est; *Et redemptiones eius à filio mẽ-sis redimi facies secundum æstimationem tuam, pecunia quinque seclorum, secundum seclum sanctuarii, &c.* Num. 18. 16.

conuersusque ad puellum, Quando, inquit, tu adhuc eras in vtero materno, eras in potestate patris tui cælestis, & parentum tuorum: nunc autem es in potestate manuque mea, qui sacerdos sum. Pater autem tuus & mater tua redimere te cupiunt; quippe qui primogenitus sis, domino sacer, prout scriptum est: *Sanctifica, &c. Sanctifica mihi omne primogenitum, quicquid* Exodi 13. 2.

perit vuluam in filiis Israel, tam in hominibus, quam in iumentis: meum enim est. Nunc pecunia hæc loco tuo succedet pro tui, vtpote qui primogenitus sis, redemptione, sacerdotique donata erit. Quod si igitur redemi te prout rectum est, redemptus eris: sin autem te non redemi prout rectum est, secũdum legem tamen, consuetudinemque Iudaicam redemptus creſces ad timorem Dei, ad coniugium operaque bona, Amen. Quod si pater ante diem trigesimum tertium illum è vita decedat, tum mater filiolo redimendo rea non est: collo autem eius chartulam laminulamve auream, in qua, *bechor schelo niphdeh*, hoc est, filiolus primogenitus hic quidem est, sed non redemptus, scriptum sit, appendit. Filiolus autem iste cum succreuit, ad ætatemque iustam adolescẽdo peruenit, se redimere à sacerdote tenetur ipse.

Prius, quam caput hoc concludam, facere aliter non possum, quin adhuc historiam quandam è *Gemara* siue Talmudo de peregrino quodã, qui per circumcisionem mirabilem, quandam partem in mundo altero consecutus, & Iudæus bonus mortuus est, huc apponam.

Tractatu Abhodah Zarah c. 1.

Rex quidam Romanus, vt legitur in tractatu quodam de idololatria, Iudæis infensissimus fuit. Cumque cupiuerit eos

eos extinguere, & è regno suo profligare, consiliarios affatus, Quod si quis, ait, in corpore suo noxa quadam vetere laboret, in qua caro putrescat, carnemne illam, vt sanitatem adipiscatur, inde excindet, an vero ibidem eam in perpetuum relinquet, dolorem è carne putrida prouenientem sine fine sensurus? Hæc rex aduersum Iudæos, qui diu in regno eius habitauerant, subditosque eius mirum in modum vexauerant, in medium proferebat.

Cum hæc consiliariorum regis illius quidam nomine *Kettiah*, filius *Schalom*, perspexisset, regi respondit, *Adoni*, quod est, domine mi, (aiens) tu Iudæos perdere vel profligare non valebis. De illis enim literis proditum est: *Fugite de terra Aquilonis, dicit Iehouah; quia in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Iehouah*: hoc est, quam parum Mundus sine vento subsistere potest, tam parum quoque sine Iudæis subsistere poterit idem Mundus. Quare fieri non potest, vt tu Iudæos è regno tuo profliges. Etiam futurum esset, vt, si tu illud perficeres, Mundus totus te regem ad paupertatem redactum tyrannicumque regem esse clamaret. Zach. 2. 6.

Tum rex, Tu recte dixisti, respondebat. Quisquis autem regem responsione sua superauerit, is viuens in cumulum

arenarum defodietur, vt in eo præfocetur & extinguatur. Tu itaque cum me superaueris (quod regi mihi probrosum est) regnumque meum & spreueris & cõuicio prosciderís; ideo supplicio tali afficieris. Eum vero, cum ad supplicium luendum abduceretur, Matrona quædam præclara Romæ conspicata, super eo vociferata, Væ naui (dixit), illi, quæ vectigali nondum pensitato hinc abitum molitur. quo clamore matrona illa significare voluit, quod *Ketiiah* iste causa Iudæorum mortem oppetiturus, & ita partem *olam habba*, quod est, mundi alterius & vitæ æternæ consecuturus esset, qui Iudæis tamen vectigal nondum soluisset, hoc est, Iudæus per circumcisionem nondum factus esset. Hic aliqui dixisse perhibentur, quod arrepto cultello ille sibi ipse præputium absciderit. Alii retulerunt, quod zelo nimis ardenti flagrans ore proprio *orlah*, siue præputium corripuerit, illudque dẽtibus propriis mordẽdo abstulerit, & voce clara; Nunc tandem (proclamans asseruerit, vectigal pependi. Cũ ipsum iam iam sepelire vellent, denuo clamans, se omnia bona sua possessionesque suas omnes doctissimo domino *Rabbi Akibha* hæreditariè adeundas dare affirmauit. Tum vero vox quædam cœlitus audiri visa est; *Ketiiah*, fili *Schalom*, tibi vita parata est æterna, &c. Hic nimirum

discere cuique licet, quam preciosa res circũcisio sit, & quam benefaciat, si quis bona sua Iudęo cuipiã det omnia. Ibi sane non perditur quicquam, vbi quis aureis centum decies mille alios lucratur aureos. Eodem in capitulo Talmudico gloriantur iidem quoque Iudæi, quod Cæsar Antoninus se circũcidi curarit, quodque bonus Iudæus è vita hac discesserit idem ille: & quod illud ipsum sic acciderit prout iam recensebitur. Non admodum lõge ab aula Imperatoria *Rabbi* quidam & celeberrimus & expertissimus habitauit; à cuius ædibus in atrium vsque Imperatoriũ semita quædã occulta subterranea fuit, cuius beneficio fieri posset, vt sæpenumero clam congrederentur. Hac occasione desiderium & legis, & religionis vniuersæ Iudaicæ discendæ nec non acceptandæ mirandum animum Imperatoris inuasit. Eaque de causa diebus singulis ad *Rabbi* illum se contulit, & *thorah* eius ex ipso didicit. Ne vero solus sine comitatu ad Iudæum iret, iret interim sic, ne quisquam resciret; ministrorum, qui circa illum essent, semper duos sibi comites esse voluit; quorum vnum apud ianuam *Rabbi* istius dicti pugione perfodiens interfecit; alterum ante ianuam atrii Imperatorii, quoties domum reuersus est, modo tractauit simillimo. Ipsi vero *Rabbi* dedit in mandatis, vide-

ret ne alium quenquam penes se haberet, quoties ipse (imperator nimirum) ad eum venturus esset.

Itaque cum Cæsar aliquando peregrinum quendam apud Iudæum deprehendisset, *Rabbi Chanina Bur Chamma* vocatum, qui *Rabbi* & sanctus & primarius quidam esset; tum Cæsar ira incaluit, ad eumque oratione huiusmodi vsus est: An ego (inquiens) non dixeram tibi, videres ne quenquam alium apud te haberes, quo tempore ego venturus essem? Cui *Rabbi*, *Adoni*, domine mi (inquit) Imperator, Homo non est hic, sed genius quidam bonus. Cui Cæsar respondens, Si igitur genius est, inquit, eat, significetque ministro meo, qui foris ante ianuam cubans quieuerit, (id quod Imperator de seruo quem manibus Imperatoriis trucidarat, loquebatur) vt huc ad me introire festinet. Cum *Rabbi Chanina* vidit seruum Imperatoris mortuum esse, tum ille valde timere, mirumque in modū pauere cœpit, adeo vt quidnam Imperatori commode responderet, ignoraret. Cauendum enim sibi etiam atque etiam cogitabat, ne Cæsar homicidii reus haberetur. Igitur in genua prolapsus, Deum tamdiu precibus fatigauit, vt minister Imperatorius ille reuixerit. id quod cum animaduertisset Imperator,

tum

tum vero eum pietatis religiosæ Iudæorũ admiratio incessit tam magna, vt deinde *Rabbi* præceptorique eius ad mensam ministrarit. De nocte quoque quotiescunque *Rabbi* cubitum conferre se voluit, Imperator ante lectum eius sese incuruans, scabellum pedum *Rabbi* istius se præbuit: vt præceptor eius ille *Rabbi* tergo eius consenso in lectulum mollissime stratum se collocaret. *Rabbi* quidem ille seruitium illud multimode recusauit, sed frustra. Imperator enim summa cum animi subiectione ministerium non solum hoc ei vel nolenti præstitit, sed optauit etiam, vt ei in mundo quoque futuro illo, scabello pedum eius esse liceret. Tandem Iudæi certiores facti fuerunt, Imperatorem prius quam vitam cum morte commutaret, *Meganier* factum, circumcisionem recepisse & Iudæum sese professum, Iudæum quoque mortuum fuisse. Exemplorum vero talium in libris Iudaicis reperire est complura; narrantia, quod Christiani multi tam sublimis quam humilis dignitatis à Christianismo suo deficientes, ad fidem Iudaicam & conuersi & salui facti sint; si credere fas est.

Prophetæ vero ipsi, quid (amabò) de sãctulis hisce circũcisis senterũt? quo eos loco habuerũt? Ieremias *Omnes*, inquit, *gen-* Ierem. 9. 26.

tes sunt *præputiata*, & *omnis domus Israel præputiata est corde.*

Deut. 10. 16. Moses, *Circumcidite igitur*, inquit, *præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne indureris vltra.*

Ierem. 6. 10. Ieremias iterum, *Quem alloquar*, inquit, & quem *monebo & audient? Ecce, incircumcisa est auris eorum, neque poterunt attendere: ecce, verbum Iehouæ fuit eis opprobrio, non amauerunt illud.*

Actor. 7. 52. Stephanus homo Christianus, *Duri ceruice*, inquit, *& incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto* vos *obicitis, sicut patres vestri*, ita *& vos.*

Rom. 2. 28 29. Paulus Apostolus, *Non enim is*, inquit, *qui* solum *in propatulo* Iudæus sit, Iudæus est: *nec ea quæ* solum *in propatulo* sit circũcisio, *carnis circumcisio est: Sed qui in occulto Iudæus* fuerit, *& circumcisio cordis*, id est, *in spiritu, non literâ: cuius* Iudæi *laus non est ex hominibus, sed ex Deo.*

Quomodo Christianorum primogeniti, imo Christiani fideles omnes redemti sunt? *Quum sciatis*, ait Petrus, *vos non caducis* rebus *argento aut auro fuisse redemptos ex vana vestra conuersatione, ex Patrum traditionibus accepta, Sed precioso sanguine, vtpote agni immaculati & incontaminati*, nẽpe *Christi.*

1 Petri. 1. 18.

Ad Coloss. 1. 14. Per quem sumus adepti liberationem? Iddicit Apostolus Paulus, *In quo*, inquiens,

eus, *habemus redemptionem per sanguinem ipsius*, id est, *remissionem peccatorum*.

Quid nocet præputiũ Christianis? Respondet Apostolus idem ad hoc, *Ergo*, inquiens, *si præputium iura legis seruauerit*, *nonne præputium illius pro circumcisione reputabitur*? *Et quod est ex natura præputium, si legem seruet, damnabit te, qui per literam & circumcisionem transgressor es legis*. Rom. 2. 26.

## CAP. III.

### *Quomodo Iudæi liberos eorum ad timorem Dei erudiant.*

QVando mulier Iudęa lactat, cibos bonos, salubres, & tales qui facile digeri possint, edere debet: eum in finẽ, vt infans è mammis eius lac bonum hauriat, per quod cor eius & stomachus quoq; nõ obturetur; sed bene sustentetur & alatur, cito adolescat, tantoque facilius & citius virtutes bonas, mores, sapientiam & intellectum adipiscatur. *Chachamim*, qui sapientes inter Iudæos scriptores sunt; diligentissimè etiam atq; etiam præceperũt, vt materfamilias in id studio summo incumbat, ne infantes eius & cibo & potu bono destituãtur; rem eam non sine causa momenti maximi esse putantes; cum inde fore videãt, vt cito crescentes robusti, talesque, qui Deo seruire possint, euadant, quẽadmodum literis proditum est: *Statuet te Iehouah sibi in populum sanctum*, Deut. 28. 9.

*quemadmodum iurauit tibi, cum custodieris præcepta Iehouæ Dei tui, & ambulaueris in viis eius.* Quales sunt viæ eius? Deus manu plena creaturis suis omnibus, quibus ad vescendum illis opus est, dat. Ita quoq; materfamilias, nō linens, vt liberi eius victus inopia laborent, sed operā dans, vt ad satietatem nutriantur, in viis Dei incedit: per quas fieri potest; vt vitam consequatur æternam. Ob eam rem Deus illi vber non vnum, sed duo impertitus est, vt infans quod sugat, lactis sat habere possit.

Tractatu Berach. de benedictionibus.

Sapientes Iudæorum scribæ disputant in *Gemara*, cur Dauid rex, cum Deum laudauit, infantium adhuc lactentium, non sit oblitus? *Rabbi Abha* dicit, quod Deus mulieri vbera super regione cordis statuerit, vt infans ea sugens bonum consequatur intellectum; quippe qui lac quasi ex corde matris exugat, vnde intellectū istiusmodi bonum consequatur. *Rabbi Iehuda* dicebat, vbera mulieribus in ea corporis parte locata esse, ne infans pudenda matris cōspicaretur. Rabbi Mattana dicebat, vbera ea posita esse in loco puro. Tanta cura Deus prosecutus est infantulos. quanto igitur maiorem mater eorum bene nutriendorum nomine curam suscipiet? Imò, quod amplius est, Deus interdū naturam mutauit ipsam, idq; ideo saltē, ne paruuli recèns nati penuria cibi laborarent. Legitur in *Gemara* ista, quod tempore quodam

dam pauperis cuiusdam viri coniunx è vita excesserit, eidemque paruulum infantē sugere adhuc solitum reliquerit. Iam, cum vir ille viduus tam inops esset, vt infantulo nutricem conducere non posset, Deus naturam eius immutauit ita, vt vbera eius, tametsi vir esset, lacte abundarēt; vnde infantulus in vita conseruatus est; viris bonis aliquammultis id & conspicatis & attestati solitis. Sic inuenitur etiam in *Medrasch*, siue libello quodam concionatorio, quod, cum Pharao rex in Ægypto præcepisset, vt masculi Iudæorum in profluentem abiicerentur omnes, mulieres Hebręæ in campos patentes excurrerint, ibidemque paruulos earum fuerint enixæ. Quando masculos pepererunt, terra se aperuit, eosque assumptos cooperuit. quo facto, Deus singulis lapides binos creauit; vnum quidem talem, vt ex eo lac; alterum vero talem, vt ex eo mel exugerent; sicque sub terra tantisper conseruarentur, dum & adoleuissent & grādes facti fuissent: post quod tempus elapsum, quilibet eorum ad matrem rursus accurrerit.

Tractatus Schabbas, siue sabbati.

Hic iam tū lacte melleq; vesci dicerunt Iudæi.

Simili modo legitur in *Medrasch*, quod *Mardocheus* ille bonus vbera *Esther* suxerit, quæ causa fuerit, vt ea iam regina facta tantum beneficiorum in eum contulerit, vt ex eo paupere dominum potentem effecerit. Quænam

ergo mater permittere posset, vt infans eius penuria cibi laboraret? *Chachme hămusar*, vel Ethici, de modestia virtuteque generis omnis scribentes, affirmant, quod res cum matrefamiliâs perinde se habeat atq; cum toparcho quodam, regioni cuidam populisq; in ea degentibus præfecto. Hic si principi suo fidus subditos eius bene tractat, regionem eius meliorem facit, reditusq; amplificat, mercedē copiosam ab eo consequitur, adeoque eleuatur vsq; eo, vt dominus magnus salutetur. Quod si facit contrarium, mercedem non modo nullam consequitur: verumetiam obnubitur & infelici arbore suspenditur. Ita materfamilias, quasi toparchus quidam liberis ei⁹ præposita est; quorū si curā perpetuo gerit tantam, vt & cibo & potu sufficiente prouideantur, tum infantulis cor eorum dilatabitur ad mores bonos & opera bona facienda; vnde illa mercedem consequatur cum in hac, tum in vita illa altera; cum *Zaddikim* siue iustis in paradiso, horto voluptuoso illo sessura. Quod si vero infantibus eius paruulis cibum dederit grossum, per quem cor eorum obturetur, Deus illam è mundo hoc euocatam in infernum præcipitem daturus est.

Mater quoque familias pectus corculum versus nō nimium denudabit, ne lac ob id vltra modum frigefactum infantulo id postmodum fugenti dolores causetur.

tur, & ipse in augmentatione impediatur. Mane quoque ne nimis diu ieiuna maneat, sollicitè curabit. quin potius euestigio ferculi quidpiam calidi assumet, vnde paruulus quoque Iudæus cibetur. Eadem deinceps operam dabit, vt videat, ne infantulos vel ipsa nudos gestet, vel nudos ipsosmet ingredi permittat: ne, si de nocte id fiat, per lunam; si de die, per solem lædantur. quemadmodum scriptum est: *Per diem sol non percutiet te, neque luna in nocte.* Psalm. 121.6. Infantulos eosdem vt nemo nudos in lectum portabit: ita eisdem, vt per se ipsimet ad lectum nudi se conferant, nō permittet. Iisdem quoque non concedetur, vt è lecto nudi surgant, sed curabitur diligentissime, vt ipsis indusiola ipsorum & induantur & exuantur cubitum ituris vel cubitu surrecturis: vt tēpestiuè nimirum assuefiant Dei pudore affici, matureque cogitare incipiant, quod orbis terrarum totus maiestate gloriæ diuinæ plenus est, quodque in conspectu eius tenebræ perinde habeantur atque lux ipsa. Eandem simul ob causam assuefaciendi sunt, vt capite tecto incedant: quod *Schechinah* siue maiestas diuina super eis se libret, *chachamim* illud ipsum testantibus. Quod si quis capite nudo fortassis ingrediatur, is perinde facit ac si ad *schechina* caput impingat; fit indidem impudēs, obliuiscitur Dei nec non mandatorum eiusdem. Hinc le-

gere est in *Gemara*, quod tempore quodam senioribus & senatoribus Hierosolymitanis sub porta sedentibus adolescētes duo pertransierint; quorum vnus capite nudo, alter tecto fuerit ingressus. Videns id *Rabbi Eliezer*, Puer, inquit iste, qui capite fuit nudo, *mamzer* est, id est, nothus. *Rabbi Iehosua*, ex impura, inquit, muliere natus est. *Rabbi Akibha*, idē, ait, vtrūque est. Cū deinde *Rabbi Akibha* quęsiuisset è matre eius, quomodo filium talem nacta fuisset, respondit illa, Quando ego, inquiens, cum marito meo nuptias celebrabam, impura eram; maritus iccirco meus seiparabat sese à me, vt quandiu impura essem, ipse tamdiu iuxta legem Mosaicam abesset à me. Interea temporis quidam è sodalibus eius ad me ingressus, grauidam me fecit, filiumque istum è concubitu tali nacta sum, &c. Vnde perspicuum fit, malæ indolis pueri signum id esse, si capite nudo incedat. In primis autem ab anno septimo ad tertiumdecimum vsque, & strenuè & diligenter admonebuntur pueri, videant ne capite nudo vagentur. Post annum verò tertium decimum illis, ne capitibus nudis incedant, imperabitur.

Ab infantia simul ipsa liberi Iudęorum assuefiunt, vt semper cingulo quopiā circumdati sint. Et sanè mulieres probæ cingulum illud in parte corporis eorum posteriore

steriore tuniculæ assuunt, vt sine intermissione cingulilillius memores sint. Cingulum enim distinguit inter cor & pudenda: ne cor orans pudenda ipsa contemplatum immorati quippiam cogitet fortasse. Postea quamprimum ludæulus preces matutinas didicerit, precationem eisdem immiscet etiam hanc: Benedictus esto tu, ô Deus, quod Israelem cingulo fortitudinis cingis, id quod orãs in primis ad cingulũ respicit. Quod si igitur cingulo nullo cinctus esset, tum precatio istiusmodi momenti nullius esset. quin eadem in vanum facta ipsi pro peccato imputanda veniret. Pueri quoque nudis pedib. incedere metu periculorum multiplicium non permittentur, idq; cum primis in mensib. & Decembri & Ianuario, quando feles se incunt salientes. Tum enim temporis super venenosum quid è felibus ita lasciuientibus iectum pedes suos premere possent, vnde tam vehementer intumescerent, vt per longum temporis spatium eorũdem in integrum restitutio frustranea foret.

Quando rectè nec non expeditè loqui possunt, sententias quasdam bonas è literis sacris proferre docentur: assuefiunt etiam, vt tẽpore & matutino & vespertino dici sabbatini aliorumq; festorũ & patrẽ & matrem ipsorum decenter salutantes precẽtur illis bonũ mane, bonũ sabbatũ, &c. Cum vero annũ septimũ supgressi ad-

ultiores facti sunt, iubentur, vt perpetuo nomen Dei adiungentes, Deus det vobis bonum diem, &c. dicere meminerint. Sic enim *Boas* messores eius affatus est, *Hael immachem*, Deus vobiscum sit, aiēs. Item, *Iebharecha hael*, Deus benedicat tibi: vel, (vt nos loqui solemus) Deus gratiam tibi referat. Nomen autem Dei ipsis nominare non licet, nisi in loco puro; qua de re per nos prolixius alibi dicetur. Docentur etiam generis omnis vtensilium, quorum vsus in vita & conuersatione quotidiana necessarius est, nomenclationes; vt ea ratione tempestiuè ad Hebraicè loquendum assuefiant: vnde quoque fit, vt voces Hebræas multas linguæ Germanicæ vel alii, qua vernacula vtuntur, immisceant; idque eum in finem, ne ab omnibus intelligantur. Lingua verò Hebræa pura nusquam loquuntur. Rabbini illorum soli, & ii quidem inter eos doctiores, quātum sufficit, Hebraicè & loquuntur & scribūt sat bene. Assuefiunt etiam infantes iidē Iudæorum, ne cum Christianis vllatenus conuersentur; cum liberis ipsorum neque potum neque cibum capiant, neque alia vlla communione talium vtantur. Parentes nimirum eorum facta Christianorum odiosa ipsis reddunt omnia, vtpote quæ Iudæis omnia prorsus abominabilia sint. Hinc fit, vt ab ineunte ætate odium contra Christianos conceptum sine fine in animis

nimis eorum fouere pergant. Quando annum septimum attigerunt infantes Iudaici, tum & legere & scribere parentum iussu discunt. Quicunque pater facultatum tantarũ est, vt sumptus tantos præstare possit, liberis suis *Rabbi* siue magistrũ alit proprium. Quamprimum quis progressus ea in re fecit tã magnos, vt legere norit, ille primo omnium libros Mosis quinq; idiomate vel Germanico vel alio quocunq; cui innutritus est, interpretari discit. In libro quodam *Schebhile emunah* vocato, scriptũ legitur, quod mater, quã iam primum puerum suum ad *Rabbi* in scholam deducit, placentulas ei dulces, & saccharo nec nõ melle conditas dare, eique hunc in modum dicere debeat: Prout placentula hæc dulcis est: ita quoque lex dulcescet tibi in corde tuo, eritq; perinde atque saccharum super lingua tua, & mel super labiis tuis, &c. videbis etiam atque etiam accuratissime, ne in schola sermonibus inutilibus futilibusque teras tempus; sola vero *dibhre thorah*, verba legis loqui disces: verba legis sola ex ore tuo audientur: quo fiet, vt gloria maiestatis Dei super capite tuo requiescat, perpetuoque tempore apud te resideat. Deus enim amat eos omnes, qui ad bonum intenti sunt, deque verbo eius verba faciunt. Hinc Iudęorum *Chachamim* seu viri quique doctissimi, scriptum reliquerunt,

quod hostes Hierosolyma vastata sacerdotes & Leuitas omnes in exiliũ egerint, sic à Deo derelictos, vt maiestas eius cum illis proficiscì dedignata fuerit: & quod, cum hostes iidem *Sanhedrin*, id est, summum aulæ consistorium extra Hierosolymam profligassent, ne tum quidem *schechina* Dei illos comitata sit: sed quod tandem aliquando pueris è *Bes hammedrasch* vel è schola ipsorum fugatis, maiestas Dei gloriosa cum illis in *galus*, hoc est, exilium abierit; de quo propheta Ieremias vaticinatus est, cum dicit: *Parvuli eius abierunt in captiuitatem ante hostem: & egressus est à filia Sijon omnis decor eius.* Vbi ornatus præsentia maiestatis diuinę est, in qua maiestatis diuinæ præsentia ornatus vrbis Sionis spectari solitus fuisset. Itaque cum pueli sedentes ante Rabbi ipsorum discunt *dibhre thorah*, nihilque præter verbum Dei ex ore ipsorum exit; tum gloriosa Dei maiestas habitat in illis, sese que aëre vel halitu illo, quem pueli tales ex oribus exhalant, oblectat. Talis enim halitus & purus & sanctus adhuc est: considerato, quod eos peccatum nõdum commisisse constet. Anno enim tertio decimo puellus Iudaicus primùm *Bar mitzuah* vocatur, quod vt iam tum mandatis Dei seruandis & præstandis obnoxius fiat, ita quoque primum peccare incipiat, si mandata eadem non exequatur,

Thren. 1. 5. 6.

tur. *Rabbi Schimeon bar Nachmani* locutus est in nomine *Rabbi Iochanan*, quod quisquis filiolum suum docet *thorah* siue Dei verbum, ille dignus est, vt in Vniuersitate vel Academia illa, quæ in cælis aperta est, in conspectu Domini sedeat, quemadmodum propheta Ieremias loquutus est: *Si* (aiens) *conuersus fueris, tunc conuertam te, & coram me stabis*: hoc est, Si filius tuus *thorah* didicerit, sistam ego illum in scholam cælestem, vitæque æternæ participem efficiam. Quisquis autem non curat, vt filius eius *thorah* discat & sic male educat; illi bonum esset, si cœcus fieret, ne filii probrum conspicere cogeretur, quemadmodum de Isaaco patriarcha scriptum est: *Quum senuisset Isaac, & caligassent oculi eius, ita vt non videret, vocauit Esau filium*, &c. Hic *Rabbi Eliezer Azarie* satu editus asseruit, quod oculi Isaaci cæcutiuerint, ne immodestiam & petulantiam filii eius Esaui male educati conspiceret. Eodem modo legitur in *Medrasch*, quod Abrahamus eandem ob causam annis quinque citius è vita hac discesserit, quam natura eius postulasset, saltem ne Esauum nepotem eius degenerantem malo nec non impio more vitam agere videret.

Ieremias 15. 19.

Gen. 27. 1.

Iam, cum puellus Iudaicus annorũ decem factus, *thorah* librosq; Mosis medio-

criter imbibit, tum necesse ipsi est, vt ad *Mischnah* Talmudumque discendum se conferat. Textui verò Talmudico, in quo fundamentum ipsissimũ traditionum Iudaicarũ & ordinationum tam iuris diuini quam humani comprehensum est, inhærere tenetur. Anno tertio decimo primum fit *bar mitzuah*, hoc est, filius mandatorum, id est, fit reus mandata omnia, quorũ numero sexcenta & tredecim sunt, summam & argumentum legis Mosaicæ religionisq; Iudaicę totius complexa, obseruandi. Ab eo quoque tempore si peccans mandata illa non exequatur, pœnæ tam diuinæ quam humanæ subiicitur. Quicquid autem ante tempus tredecim annorum illorum peccauerit, eius pœna patrem manet. Quæ res causa est, quod pater eius nunc annorum tredecim facti *minian*, id est, Iudæos numero decem ad se vocat, testaturq; in præsentia illorum, quod iste filius ipsius ad ætatem iustã peruenerit, & in mandatis institutus *hilchos*, mores, & consuetudine, de *zizis* & *thephillin* (de quibus paulo post dicetur) didicerit, Benedicendi rationem, & modũ orandi quotidianum satis perceperit: quam ob rem ab illo iam deinceps *patur*, id est, liber esse velit, sic vt ipse peccata filii talis luere in posterum nolit, quippe qui ipse deinceps *bar mitzuah* futurus, peccata sua luere in persona propria debeat. Hoc per

Iudæ-

Iudæos illos decem præsentes cõfirmato, pater oratiunculam quandam dicit, in qua Deo præcipue gratias agit, quod ipsum ab *oneseh*, id est, pœna filii eius liberarit & exonerarit: rogans eum præterea, faxit vt filius eius talis per gratiam diuinam diu saluus & incolumis operibus bonis operã det. Anno quintodecimo pueri Iudæorum *Gemaram*, quod est, complementum, disputationes ac decisiones & acutas & subtiles super textus Talmudici rebus dubiis comprehendendis intelligendisque discere coguntur omnes. Et in his deinde partem vitæ ipsorum maiorem consumunt: libris prophetarum vel ratissime, vel etiam nũquam studium vllum impendunt, quin libros eiusmodi ne legere quidem dignantur: vnde fit, quod ego ipse Iudæos iam senio confectos deprehenderim complures, qui spatio vitæ ipsorum toto prophetam ne vnicum quidem à capite ad calcem legissent. Eanimirum causa est, quod de Messia tam parum norint, vt ipsis promissiones de eo factæ non solum obscuræ, sed & partem maiorem prorsus ignotæ sint. Anno octauo decimo mares coniugium cõtrahunt, idque secundum vulgarem Talmudisticam ordinationem faciunt: quam non raro transgredientes multo longeque citius quam ipsis iniunctum esse dictum est, vxores scortationis vitandæ causa ducũt,

Fœmellæ, quando annum duodecimum & diem vnum attigerunt, nubere possunt. Annum agentibus vigesimum permissum est negotiari; emere, vendere, commutare, fallere & circumuenire quos possunt. Id quod Christiani, (proh dolor) experiuntur non raro, prout alibi dicetur.

Quoniam Iudæus noster parnulus *bar mitzuah*, filius mandatorum factus, & in ordinem Iudæorum ingressus est; ideo nos, quomodo tam iuuenes quã senes, & ita retro vicissim, in ordine eodem se gerant, deinceps exponere conabimur.

## CAP. IV.

### *Quomodo Iudæi tempore matutino cubitu surgentes ad preces matutinas faciendum se parent.*

IN *Gemara* tractatu, *Baua Basra* vocato, docet *Rabbi Eliezer haggadol*, quod Iudæorũ quiuis vnus teneatur à die quinto decimo Iunii vsque festum Pentecostes prius è lecto surgere quam lucescat: quod noctes tum longę sint. Ab eo deinde tempore vsque Iulium vult, vt de die surgatur. quod noctes econtra tum breues sint. Et hanc rem *Chachamim* isti, doctissimique scribę locis quibusdam cum è Threnis Ieremiæ, tum ex historia Ruthæ prolatis demonstrant; qui loci tam subtiles sunt, vt hìc sat declarari non queant. Materia-

terfamiliàs pia tenetur maritum eius expergefacere: prout parentes communiter omnes obligati sunt, ad liberos eorum è somno excitandos; cum nimirũ annum tertium decimum egressi, mandatis Iudaicis subditi sunt: quemadmodum capite proxime præcedente indicatum est. *Chachamim* vero iidem præterea scribunt, quod homo quilibet teneatur diem ipsum expergisci facere, neque tantisper dum ipse per diem expergefiat, cunctari. quod rex Dauid affirmet, expergisci facere se velle tempus matutinum. Et hoc certe valde necessarium est, precum mane faciendarum causa. Eæ enim vnà cum sole oriente, non tardius, peragendæ sunt. prout iterum *Dauid hammelech*, Dauid ille rex docuit in Psalmis eius, dum dicit, *Iireucha im haschemesch*, Honorabunt te cum sole, quod est; quam cito sol oritur, honorabunt & laudabunt te precibus ipsorum matutinis. *Chathme bakkabalah* siue *Cabalistæ*, scribunt; Eo tempore quo diescit, precationes hominum omnes exaudiuntur: illudque è certis quibusdam fundamentis & causis affirmant. Ieremias propheta in Threnis: *Surge*, inquit, *clama in nocte, in principio vigiliarum*, hoc est, quando incipit diescere. Dauid quoque *hammeleth* in Psalmo quodam, *In diem*, inquit, *præcipiet Iehoua mi-*

Pſal. 57. 9.

Orach chaiim num. 89.

Thren. 2. 19.

Pſal. 42. 9.

*sericordiam suam, & nocte canticum* eius *mecum, & oratio Deo vitæ meæ.* Sapientissimi isti *chachamim* dicunt: *zarizim makdimim lemitzuos*, hoc est, Industrii & strenui promouent se ad bene faciendum, & ad mandata Dei seruandum. Quare pro opere valde bono reputabitur, tempore matutino ante diem surgere, noctemque cum die per Psalmos pulcherrimos precationesque connectere indesinentes. Itaque Iudæus piger non erit, sed ad surgendum alacris & festinus, hæc in animo eius meditando: Quod si quis *goi* siue Christianus iam veniret, qui vel in ære meo esset, vel è supellectili vestiaria aliquam pignori dare, vellet, vel si aliud quidpiam mediante ipso lucrari possem, vel ad dominum quempiam siue principem vocarer, à quo domum auferre, vel apud quem fauorem mihi conciliare possem, vel, vt ei seruirem, per ipsum rogarer: mora profecto qualicunque mox abrupta me totum quantus quantus sum, impenderem: quanto magis alacerrime surgere me decet, ad seruitium regi regum omnium præstandum; qui mihi alimenta vitamque adeo ipsam largitus, me tuetur aduersus hostes meos omnes quales quales sint? &c. Quisquis vere pius est, ille tempore matutino semper tristis & mœstus esse debet ob templum Hierosolymitanum, singulisque temporibus matutinis orare, vt tem-

templum istud & vrbs propediem reædificentur. Et quicunq; ante diem siue tum, quando nox adhuc est, è lecto se recipit, & ob templi Hierosolymitani destructionem, nec non captiuitatem diuturnam hanc lacrymas profundit, is obtinet hoc, vt Deus eius misertus orationem eius inexauditam non sinat. In *Masseches Sanhedrim* disputant *Rabbini* super verbis Ieremiæ prophetæ è Threnis eius desumptis his: *De nocte flet illa sine intermissione fletus vlla*; dicuntque, quod, quando quis audiat aliquem flentem de nocte, id tam amarum sit, vt quisquis audierit, facere aliter non possit quin fleat cum flente. id quod sapientissimo *Rabbi Gamalieli* acciderit; quippe qui tempore nocturno fletu mulieris cuiusdam, cuius filius mortuus fuisset, audito, vitam sibi acerbam ex eo esse dicens, vnà cum ipsa fleuerit amarissime. Et *Rabbâ* propter *Rabbi Iochanan* dicit: Quando quis de tempore nocturno flet, tũ & stellæ & planetæ flent vnà cum ipso. *Chachamim* scribunt, quod qui flet, permittere debeat, vt lacrymæ ex oculis per genas eius defluant; quia tũ Deus exurgat, easque in lagenulam colligat. Et quod, si tum mandata per hostes Israelitarum, ad delendos eos, publicentur, Deus recordetur piorum istorum, qui tam large lachrymati sint; & sumptas lagenulas istas lacrymarum plenas, si-

Tractatu Sanhedrim de iudicib. cap. 11. Thren. 1.2.

per mandata illa scripta effundat, eaque deleat, ne Iudæis malum vllum accidere possit. Hinc vates Dauid: *Migrationes* (inquit) *meas numerasti, pone lachrymas meas in vtre tuo: nonne in libro tuo* sunt? His verbis ostendere vult Dauid, quod Deus lacrymas è lagenulis talibus super scripturas siue libros eos, qui contra Iudæos editi sint, effundat, & sic, vt inualidi nullius que valoris fiant, extinguat. In sententiam prorsus eandem Dauid idem loco quodam alio, *Qui* (inquit) *seminauerunt cum lachrymis, cum exultatione metent.* Auctor libelli Reschis chochmah (pagina 111) scribit, quod è maioribus eius audiendo perspexerit, bonum esse, si quis fronti lachrymas inspergat; eidemque affricet; ideo quod peccata quædam super fronte scripta sint, quæ tali ratione deleantur, perinde vt propheta ea de re scriptum reliquit: *Signa*, dicens, *thau super frontes virorum.* Chachme hakkabalasiue Cabalistæ scribunt, quod, quando quis *hakkadosch baruch hu*, & sanctum & benedictum illum Deum velit orare, vt Iudæos è longa illa *galus* vel exilio liberare dignetur, id facere eum oporteat tum, quãdo discere incipiat: quod item fiere & vociferari è toto corde ipsum deceat; ita enim fore vt exaudiatur à Deo. Eo enim tempore nihil est, quod precationem impediat, nemoque qui contra

Psalm. 56.

Psal. 126. 5.

Ezech. 9. 4.

Ergo spatio 1603. annorũ neque mane, neque corde toto precati sunt: liberati enim nõdũ sunt Iudæi.

Israe-

Israelem verba faciat, inueniatur. Pasuk in Ieremia nempe talis est: *Iehouah de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam*: Rugit nimirum Dominus tempore matutino super decorem eius. Decor Domini fanum Hierosolymitanum, & id quidem sanctum, est; quod vt dirui deuastarique permisit; ita rursus ædificari vult; &, vt ad id commoneatur, mane rogari vult. Inde est, quod Dauid adhuc semel: *Iehouah* (inquit) *mane audies vocem meam: mane præparabo tibi orationem, & speculabor.* Mane, id est, quando dieiscet, ibo in domum tuam: non autem faciet idipsum de nocte. Quia sub initium noctis Deus portas cæli omnes claudi curat, assidentque angeli apud easdem, & tacent; spiritus autem malos dominus amandat in mundum, qui cuicunque obuiam fiunt, ei nocent. Post noctem vero mediam in cælo & clamatur & iubetur, vt portas easdem iidem dei iam nunc appropinquante redaperiant, eum in finem, ne quisquam nimium moretur. Clamorem illum galli gallinacei inferius in terris his exaudiunt, alisque complosis vocem edunt, vt homines euigilent. Tum spiritus isti mali efficacitatē eorum prorsus omnem amittunt; adeo, vt nemini amplius nocere possint. Qua de causa *Chachamim* siue sapientes isti Rab-

Ierem. 25.30.

Psal. 5.4.

bini *brachah* siue gratiarum actionem ordinauerunt, quam tempore matutino à gallum canere audientibus recitari volunt: Benedictus esto, dicentibus, ô Deus, qui dominus es mundi totius, quod gallo gallinaceo intellectum dederis. Vt in pauca conferens summatim de rebus his loquar; Quicunque dominum metuit, vbicunque locorum degat, is vt mane galli cantu expergefiat, opus non habet.

Wer Gott fôrchtet in allen eckn/
Den darff man frü nicht auffzuwecken.

Orach chaijm num. 2.

Volunt præterea *chachamim*, ne quis dum nudus est, in lecto se erigat, vel sedēs indusium induat: sed vt iacens & brachiis & capite in illud sese insinuet; ne parietes & trabes ædificii pudenda corporis eius nudi conspiciant. In *massecheth schabbas* se iactans *Rabbi* Iose, Quamdiu (ait) vixi, trabes ædium fimbriam indusii mei conspicatæ non sunt: significare volens, quod interulam suam nunquam nudus, sed in lecto coopertus induisset semper. Hinc *chachamim* docuerunt, quod nemo subuculam nudus induere debeat. Multo vero minus cuiquā plane nudo vel ire vel stare permissum est in cubiculo. Etenim, si vel incendium subito fieret, vel tumultus aliquis repēt in⁹ exoriretur tātus, vt quis prē consternatione animi nimis magna è cō claui nudus exiliret, quo modo talis, cui

Brandspiegelium c. 16.

hoc

hoc accideret, subſtaturus eſſet? Iam vero multo minus nudo cuiquam ante lectum lotium reddere licitum eſt. De talibus enim loquutus eſt Amos propheta, *Vae* (inquiens) *dormiunt in lectis eburneis, & extendunt ſe in ſtratis ſuis.* (Hic enim vox Hebræa *ſeruchim Rabbinis* putrere ſignificat, prout illimet ipſi exponunt Ieremiæ 49. 7.) Hîc *Rabbi Ioſe* filius *Chaninæ*, iſti ſunt, inquit, qui (*maſchtin*) nudi ſunt ante lectos ipſorum. Nemo cogitare debet, Tenebroſũ eſt, & ego in cubiculo meo clauſus ſũm, nemo me videt. Diligenter ab his, inquam, cogitationibus quiuis vnus abſtinebit. Sancta namque *ſchechina* ſuper omnia & vbicunque locorum eſt, terraque vniuerſa plena eſt gloriæ Dei, inquit vates Eſaias. Cura quoque ſingularis vnicuique adhibenda eſt, ne, vt interulam, ita veſtes quoque cæteras inuerſe induat. Calceum quoque dextrum pedi dextro prius induet, quam calceum ſiniſtrum pedi ſiniſtro. In ligãdis autem calceis modum plane contrarium obſeruabit. Quod ſi quis calceamenta habeat, quæ corrigiis annuliſque vel circulis ad corrigias excipiendas neceſſariis deſtituantur, is ſiniſtrum prius, dextrum poſterius pedi adaptabit. De nocte vero calceus ſiniſter prius quam dexter exui debet, prout probus ille *Rabbi Iochanan* & docuit & faciendum præcepit. Cum vero

Amos. 6. 4.

Ieſ. 6. 3.

quispiam plane indutus & vestibus obtectus est, capite terram versus inclinato, animoque deuoto in templi Hierosolymitani deuastati recordationem è cubiculo egredietur, capite non nudo, prout ne pedibus quidem ipsis non calceatis; sed totus vndecunque tectus, idque propter sanctam *schechinam*, quę super capite ipsius se ventilat. Quid? quod probrosum sit, moribusq; bonis prorsus inimicum, corpore nudo in conspectum aliorum prodire.

Brandspiegelium c. 40. Orach chaiim num. 3. Amos 4. 12. Psal. 103. 1.

Postea quilibet ad *Bes hakkisse*, siue locum secretum se conferes, operam dabit, vt quātum necesse est, ventrem suum purget, & lapidem omnem mouebit, vt purus & mundus ad preces matutinas accedat, prout literis est proditum: *Præpara te ipsum dicentibus, in occursum Dei ô Israel.* Rex etiam Dauid, *Benedic*, inquit, *anima mea Iehoua, & omnia interiora mea nomini sanctitatis eius.* Hoc in loco secundum opinionem Rabbinorum innuitur, quod corpus interius totum & vacuum & purū esse oporteat. Nomen enim Dei sanctum nominare fas non est, nisi pure terseque id fiat. Quæ res causa quoque est, cur quilibet in hoc totus esse debeat, ne vestes eius conspurcentur. Hac in re valde & modestus & verecundus erit; tametsi vel solus in loco quopiam tenebroso clausove versetur; perinde ac scriptum est: *Humilia te ad*

Mich. 6. 8.

te ad ambulandum cum Deo tuo: id quod Rabbini pro sapientia ipsorum ad locum quoque secretum vel quemlibet accommodare non dubitarunt. Nemo praeterea tam parum prouidus erit, vt opus naturae nimis diu detineat. Id enim facere, peccatum est; coniunctum quoq; magno cum ventris periculo, qui inde facile dissiliens rūperetur. Taceo, quod anima inde male olere soleat, incommodaq; alia similia oriri consuêrint. Legitur in *Parscha kedoschim*; Corpus vestrum non polluetis, sed puri mihi eritis. id quod totū *Chachamim* sapientesque Rabbini de illis interpretati sunt, qui opus naturae contra naturam retinent, quod quisquis, aientes, excrementum remoratur quamprimum ad exeundum maturuit, is impurus, & praeceptum hoc trāsgressus sit. Manu vero sinistra, nō dextera sese purgabit. Hac enim scripturam sacram indicat, hac eadem sanctas *schemos* seu nomina sancta, qualia sunt & angelorū, & Dei q̄ plus est, ipsiusmet exarat. Quādo quis in loco secreto occupat est, cauebit diligēter etiam atq; etiam, ne ibidē verbi Dei mādatorumq; eiusdē meminerit: multo vero minus nomē aliquod Dei nominare sibi fas esse putabit. Etenim *Chachamim*, qui sunt Rabbini sapiētes, scribunt, quod Deus ei, quicunque nomen eius in loco secreto nominauerit, vitam abbreuiaturus sit. Discipuli

Leuit. 20. 25.

Tractatu Talmud Taanis de ieiunio,

*Rabbi Sira* quęsiuerunt aliquando ex ipso, quî fieret, quod tam diu viueret: quibus ille, Ego, inquit, in vita mea tota nihil è *thorah* seu verbo Dei cogitaui, nomen etiam Dei nunquam nominaui, quoties in loco impuro fui. Præterea quilibet faciem suam vel Meridiem, vel Septentrionem versus, sed vel ortũ vel occasum versus non conuertet. idque causa templi Hierosolymitani sancti illius: cui semper *panim* seu vultum, podicem econtra nunquam obuertere oporteat. Ego vero moralibus eorum, talibusque similibus hîc omissis, quomodo manuum lotione ad preces matutinas se parent, deinceps ostendam. *Chachamim* sapientesque Rabbini scribunt, quod nemo, quamdiu mane manibus illotis est, manibus eisdem corpus suum attingere debeat: idque periculi, quod inde existit, magni causa. Manus enim tempore matutino res impurissima nec non venenosissima est, propter impuros malosque spiritus, qui super manibus quiescunt tantisper, dum aqua fuerint ablutæ. Quod si quis manibus talibus oculos attigerit, cæci; si aures, surdæ euadent; si nares, stillabunt semper; si os, putebit; si manum, scabiosa fieret. Dum vero sese quis lauat, manum dexteram subter malluuio tenens, aquam ter super eandem profluere curat: quo facto, idem quoque circa manum sinistram

Orach chaiim num 4. Brandspiegelium cap. 10.

stram obseruat: eoque citius manus altera attingere alteram non permittitur. Nullus aquæ parcus esse debet; vnde *Rabbi Chasida*, Quisquis (inquit) aqua copiosa ad manus abluendas vtitur, huic diuitiæ magnæ dabuntur in mundo. Manus dum lauantur, in sublimi sustinendæ sunt, ne aqua immunda è malluuio resultans eas ablutas denuo forte coinquinet. Post lotionem manuum nunc explicatã os quoque, & vultus abluenda sunt. idque causam ob hanc, quod ad imaginem diuinam creata sint: prout scriptum est: *Creauit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creauit illum.* Gen. 1. 27. Totum hoc declarant Rabbini similitudine hac: Artifex artificiosus vas fabricat aliquod insigne, eoque amicum suum sibi valde charum donat. Amicus vase illo accepto videns artificem donatorem ad se venientem, vas illud arreptum purgat, & quantumcunq; potest, emundat. Cur illud? Ne artifex donatario irascens succenseat, quod opus eius contra immundiciem non seruet. Ita quoque Iudæum, qui dierum singulorum tempore matutino synagogam seu scholam frequẽtare, se Deo creatori eius præsentem sistere, eum adorare, ei honorem præstare tenetur, *panim* siue os & vultum bene lora afferre oportet; ne artifex artificum irascens ei succenseat, si creaturam eius immundè videat haberi. In *Bereschit*

*rabba*, hoc est, magna super librum Mosis primū expositione, *Chachamim* triturantes sententiam Salomonis hanc: *Retribuit anima sua bonum vir misericors*, eum corpori suo bene facere, quisquis vt mūdum fit, curet, affirmant. Et quomodo quis ore suo sanctum Dei nomen appellet, quādo sputo nec non humore putrido alio plenum adhuc est? Sese loturus mane super aliquo vase seu malluuio id faciet; super terra nequaquam. Aquā deinceps illam, quâ homines ire solent, effundere ei non licebit. Inueniuntur n. qui talem ad veneficia nec non artem magicam adhibere cōsuêrint. Facies lōta quamoptimè exiccanda erit. Quisquis n. eam lotā ita non exiccauerit, ei ea & squamarum, & pustularū facile plena euadit. Quin & rugis ita deformatur, vt ob deformitatem eius omnib. odio sit. Os autē & vultus iam dictā mantili puro exiccanda sunt, subucula verò nequaquam; id quod pigros quosdā facere non pudet. Id enim, prout *Chachamim* scribunt, homines obliuiosos efficit, & intellectū adimit iisdem. Post lotionē istiusmodi peractam quilibet qui se lauit, mox *brachah* siue benedictionem subiunget: &, Benedictus, inquiet, esto tu Deus, Deus noster, rex mundi totius, qui præceperis nobis vt manus lauaremus.

Prouerb. 11. 17.

Generaliter autem super rebus sequentibus his manus perpetuo lauandæ sunt.

Tem-

Temporib. matutinis singulis simulatque surrectū fuerit; & à loco secreto reditum, è balneo exitum, quando vngues resecti, calcei ministerio manuum de pedibus detracti fuerint; quādo se quis super corpore nudo scalpserit, quādo quis mortuum attigerit, vel per mortuos medius incesserit, quando quis cū vxore coierit, quādo quis pediculum occiderit. Quisquis vel vnum fecerit ex omnib. his, seseq; deinde non abluerit, si vir doctus sit, eruditionis suæ cuiuscunq; obliuiscetur, & in virum indoctum rudemq; rerum euadet omniū: si vir econtra doctus non sit, tum tandem aliquando sensib. emungetur omnibus.

Iam Iudæus purus mundusq; satis esset ad preces suas matutinas faciendum: nisi res ei duæ adhuc deessent, per quas & ipse & precatio eius sanctior effici potest: de quibus etiā dicetur aliquid, vt quæ postea tractanda erunt, per hæc dilucidiora facta intelligi possint. Vestimentum pallioli um ve quadrāgulare habēt, quod pleriq; tum, quando surgunt, cum vestimentis aliis induūt: quidam verò tū primum, quando orare volunt, eo se induunt. Sunt autē partes vestimēti talis modi quadrangulares duæ, interdum è panno lineo, sæpius è serico factæ, fasciolis duab. in parte suprema sic colligatæ seu constrictæ, tam lōgis, vt caput p medias eas traducere possint, vt partes illæ quadrangulares ambæ,

De Arbacanphos & zizis. Orach chaiim num. 8. Brādspiegelium cap. 48. Minhagim pag. 6.

vna ab anteriori parte super pectore, altera à posteriori super dorso dependeant. Iudæi angulorum quatuor respectu *Arba canphos* appellant. In quatuor angulorum istorum singulo appendicula quædam est longa, è filis laneis albis cõfecta, per nodulum quendam terram versus dependens, eademque quatuor, vel octo, vel duodecim digitos lata. Appendiculas tales isti *zizis* appellant, de talibus & mira & rara scribentes; quorum ego paucula quædam narrabo. Qui valde & probi & sancti haberi volunt, hi palliolũ hoc quotidie gestare solent, sub longa tunica exteriore: idque tali modo, vt appendiculæ illæ, ex ea propendentes paululum promineant; vt semper eas videre, & in cõspectu habere possint. Plerique sub thorace gestant. Quidam tantum induunt oraturi. Oportet vt partes illæ duæ superius dictę cum appendiculis ipsarum & in anteriori & posteriori corporis ipsorum parte terram versus dependeant, vt vndecunque *mitzuis* siue mandatis perinde vt stulti cymbalis pleni sint. Quando eas induunt, tum preculas aliquas super illis pronunciant, Deo gratias agentes, quod præceperit ipsis, vt *zizis* ipse illis vestirent. Hæ illos admonere debent, vt semper mandatorum diuinorum per illas admoniti, ea sine cessatione vlla in conspectu habeant, vt à peccãdo absterriti, ad man-

datorum

datorum eorundem obseruationẽ & executionem incitentur: prout scriptum legitur: *Alloquere filios Israel, & dic illis vt faciant sibi fimbrias in angulis vestimentorum suorum per generationes suas, & ponant in fimbria anguli filum hyacinthinum: & erit vobis instar fimbriarum, videbituque eam, & recordabimini omnium præceptorum Iehoua, vt faciatis ea; & non aspicietis post cor vestrum, & oculos vestros, post quos vos fornicamini. Vt recordemini,* inquam, *& faciatis omnia præcepta mea, & sitis sancti Deo vestro,* &c. Hinc scribunt Chachamim isti: *Ena velibba sirsure dechattaah*, quod est, oculi & corda mediatores & propolæ peccatorum sunt. In Masseches schabbas legimus: Dicebat *Rabh* ad *Rabh Ioseph*, cuius mandatorum cumprimis admonitus est pater tuus? cui ille, Mandati, inquit, de *zizis*? Is enim cum aliquando per gradus descendisset, pedibusque *zizis* siue fimbrias illas calcasset, & ita filum duntaxat vnum ruptum fuisset; substitit, ibidem tantisper gradum suspendens, dum filum illud refectum, & *zizis* illæ redintegratæ fuissent. *Chachamim* mandatum de *zizis* cũ mandatis aliis comparantes, eas his omnibus longe præponunt: scribuntq; quod quisquis mandatum de *zizis* diligenter obseruet, faciat tantundem, quantum faceret, si legem totam seruaret. Quî vero idipsum? primo enim nodi quinque sunt in.

Num. 15. 37. 38. 39. 40. Color hic aliquando è pisce certo quodã haberi potuit, qui nunc temporis amplius haberi nequit: vnde fit, vt Iudæi seculinostri filis vtantur albis vtlaceorũ loco. Tractatu Talmud. de sabbato, cap. 16.

fimbria quauis vna; & hi Mosis libris quinq; comparati sunt. His nodis si filacto adnumeraueris, tredecim existent. Iam vocabulum Hebræum *zizis* numero sexcenta facit. quæ sexcenta tredecim supradictis addita, sexcenta tredecimque cõstituunt. quot nimirum mandatorum Dei sunt, in quæ lex vniuersa tributa est. Quare quisquis mandatum de *zizis* & recte & bene obseruat, ille sexcenta & tredecim mandata perfectè executus est. Id secundum numerationem Cabalisticam bene institutã, in Synagoga Rabbinorum Arithmetica probum est inuentum.

In tractatu illo legitur historia quædã, quomodo quidam per mandatum hoc de *zizis* à peccato patrandõ absterritus, mulierq; peregrina quædam ad fidem Iudaicam conuersa sit, enarrans. Res ea cõtigit modo hoc: Erat *Talmidchacham*, id est, doctus quidã Iudaicus adolescens, studiosus quidem, at vitæ libidinosæ & ad scortationẽ valde propensus. Hic cũ tempore quodam audisset, quod in vrbe quadam mulier quædam degeret inhonesta, quæ pro vnico sui initu nõminus aureis quadringẽtis flagitaret, mittebat iste ad hanc pecuniæ tantum; tempus ei designans, quo ad eam venturus esset, & quo ipsa aduentum eius præstolari deberet. Adolescens ad eam profectus inueniebat mulierem in cubiculo sellæ deauratæ insi-

den-

dentem. Lectus prope eam quamornatissime stratus erat. ob quas res amore illius magno inflammatus est. Cum autem tempore conueniente sese vestib. exutum in lectum illum reponere vellet, tunc eccetibi, *zizis* illæ palliolo memoriali ipsius adiunctę *panim* siue faciem eius ferierunt. quo facto, mox Dei, mãdatorũq; ei⁹ diuinorũ recordat⁹ est, prolapsusq; super terrã mox *ietzer harah*, seu naturæ suæ malascupiditates cõpescere cœpit: amplius adscortũ illud nobile conuertere se nolens. Quæ ad illũ, Amabo te, inquit, dic mihi, quid mali in me obseruaueris, ob quod mihi nũc adiungere te nolis? Cui ille, Domin⁹, inquit, Deus noster præcepit nobis, vt illi seruiamus, eumq; in signũ nobis dedit, vt intuẽtes in idipsum, mandatorũ eius recordemur. Signũ illud ego iã nunc intuitus, per idẽ admonitus sum, vt malo patrando me abstinerem. Ex quo, quod ei nomen esset, &, vndenam veniret, illa quærebat. Quod ille cum mulieri dixisset, conticuit illa confestim, eiq; cõ, vnde venerat, redire permisit: bonisq; suis diuenditis è vestigio omnibus, sequebatur eum vsque ad locum illum, vbi rerum suarum sedem fixam habebat; veniebatque in *bes hammedrasch* super *Ieschibha* vel Synagogam, vbi *Talmid chacham* inuenis ille studiis incũbebat; & vbinã esset, inquirebat. *Rabh* & summus loci-

istius professor ex ea, quidnam sibi fieri vellet, explorari iubebat. Cui illa cupere se ad fidem Iudaicam conuertere, Talmidique siue studenti N. vocato, nubere, significabat. En, habeo (inquiens) hic lectũ, in quo ille peccare & scelus contra mandata diuina cõmittere mecum iussu meo debebat, quo nunc castè, honestè, piè, vt mecum vtatur fruatur ex opro. Quibus auditis Rabbi iste mulierem illam pro Iudæa agnouit, eamq; cum studente, quem adamabat, copulauit. E quo coniugio liberos deinde probos complures adepta est, qui in præcipuos *Chachamim* seu Rabbinos euasere; illaque ipsa tandem ad extremum tanquam pia Iudæa mortem obiens de vita decessit. Iidem *Chachamim* scriptum reliquerunt, quod *Boas*, quando casta *Ruth* sese penes ipsum in lecto eius collocasset, recordatione *zizis* siue fimbriarum extremitati vestium assutarum à concupiscentiis malis abstentus sit. Aiunt iidem, quod *Iosephus* ille probissimus cum Potipharis vxore malum illud *mamsch* cõmittere voluerit, sed similiter per *zizis* deterritus sit. Huc respexit *Raschi* in commentario eius. De *zizis* iisdem reperitur etiam in Talmudici tractatus *Sorah* capite 1. Eat nunc aliquis & negare audeat, quod in *zizis* eiusmodi palliolisque Iudaicis mandatorum Dei recordatoriis non multum situm sit. Hanc historiam, quoniam

niam inter ludeos, tam celebris est, vt pro miraculo quodam reputetur, ideoque in Germanicis eorum *Minhagim* annotata est, vt eam infantes, mulieres, adeoque omnes, quotquot Talmudum non intelligunt, discant, silentio nequaquam præterundam fuisse duxi.

In *Massecheth bauà bàtra*, qui tractatus quidam Talmudicus est, scriptum reperitur, quod *Rabbi Iochanan* viderit aliquando thecam quandam preciosis vnionibus & margaritis plenam, quodque discipulorum eius quidam, qui esset apud ipsum *bar Emorai* nominatus, eius furtim auferendæ secumque asportandæ cupiditate fuerit inflammatus. Tum quicquid erat circum ipsum concutiebatur, veniebatq; *bas kòl*, hoc est, vox quædam ex aere, Missum fac (inquiens) istud mi *bar Emorai*, mi fili Emorai: cistula illa tua non est, sed ad *Rabbi* Chaninæ ben Dusæ coniugem spectat, quæ in mundo illo altero posthac lanam violaceam ad fila pro *zizis* conficienda ponet in eandem, vt ibidem *tzaddikim* ex iis palliola fimbriata sibi consui procurent. Ex hoc mulieres probæ discèt, vt tempore quocunque filis & lana domi instructæ sint, vt si *zizis* illæ seu fimbriæ sint ruptę, è vestigio reparariqueant. Huius rei exemplum habent mulierem hãc; quam si diligẽter imitatæ sint, mercedem pietatis illius in mundo illo altero conse-

quentur ampliſſimam. Ad palliolum huiuſmodi recordatorium ſiue *zizis* induendū fœmina quidē obligata non eſt. quod ſi induat tamen, id ei vitio verti non debet. Inuenitur n. quod *Mical* regis Sauli filia veſtimentum tale quoddam geſtarit. In libro tamen *Siphre* vocato *Rabbi Iehudah ben Bábha*; *Chachamim* ſeu viri inter nos docti (inquit) mulieres à mandato de *zizis* hoc ipſo liberas eſſe voluerunt, eaſq; ad id præſtandum obnoxias non eſſe accuratè monuerūt. adeo, vt ſi qua reperiatur, quæ veſtem talem geſtare cupiat, ea ſuperba eſſe putata ludibrio habeatur. Viris enim ſolis vt eam geſtent, imperatum eſt, mulieribus non itidem. In ſumma, quiſquis palliolum hoc diebus ſingulis ſine intermiſſione geſtat, ille aduerſus diabolum ſpirituſque malos omnes liber eſt. Probatum eſt.

De tephillin. Orach chaiim num. 25.

E duobus illis, quæ ſuperioribus adhuc annectenda dicebamus, ſequitur nunc alterum. Quemadmodum Iudæi memoriale ſiue ſignum recordationis aliquod habent: ita nodum quoq; quendam prope naſum geſtant, per quem ad diligenter orandum moneantur. Nodum eiuſmodi & nent & nectunt è verbis Moſis ſequentibus his: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi, hodie, in corde tuo: Et repetes ea filiis tuis, & loqueris de eis, quando ſedebis in domo tua, & quando ambulabis per*

Deut. 6. 6.7.8.

*viam*

*viam, & quando iacebis in lecto, & quando surges. Ligabisq; ea in signum in manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos.*

Ligatio talis hunc fit in modum.

Sumunt homines isti corium paruum quadrangulum, nigrum, idemq; vitulinũ; & hoc deinde octupliciter implicant, ita, vt plicas quatuor duplices distinctasque latitudines adipiscatur. His scripturas distinctas easdemq; quadruplices membranaceas indunt. Scripturę vero istę è libri Mosis secundi capite tertiodecimo; & libri Mosis eiusdẽ quinti capite sexto desumptæ sunt. Pilos deinde vitulinos aut vaccinos, & quidẽ è caudis vitulorũ vaccarumve euulsos, lauando puros effectos circũ chartas illas scripturę dicta in se cõtinẽtes ita ligant, vt extremitatib. earum è corio eminentibus, quilibet videre possit, quod bonæ sint. Corium vero illud fibris, quæ è vitulorum & vaccarum corporibus sumptæ, aut è taurorum neruis factæ sint, & subtilibus & puris consuunt. Quod si verò fibras tales habere non possint, corrigiolis è membrana vitulina sciſſis vtuntur. Corrigiam deinde nigram longamque corio isti crasso assuunt, eidemq; deinde nodum trusatilem quẽdam circũdant. Opus hoc totum tephillin seu precatoria, per quæ videlicet orationis siue precationis frequẽtissimè faciẽdæ moneantur, appellãt:

capitique circumligant ita, vt nodus ille crassus, in quo scripturæ sacræ insunt, ab anteriore faciei parte, vbi pili prodeunt, inter oculos è regione cerebri pendeat; eum in finem, vt memoria mandatorum diuinorum in cerebello gestantis confirmetur, eademque ratione precatio tanto sanctior sit, mandatum deniq; ipsum Mosis hoc, *Illaque tibi memoriale in oculis tuis erunt*: per nodum talem confirmatum diligenter executioni mandetur. Post hæc denuo sumunt adhuc corium quadrangulare, complicantque perinde atq; prius illud complicarunt, scribuntque versus aliquot è secundo Exodi libro super mẽbrana, & in coriolum quoddam cauitate cauitati digitalis simili præditum induunt, illudq; deinceps super corrũ crassè complicatum suunt, cui corrigiã quoq; longam addunt, atq; *Thephillin schel iad*, quasi *thephillin* manus aias, appellãt. Thephillin has superius supra cubitum brachii sinistri cuti nudæ sic alligant, vt corium illud crassum carni incumbat; & quę ipsi inscripta sunt, è regione cordis posita sint, vt ea cor intueatur, zeloq; tanto maiore ad precãdum exardescat. Corrigiam vero longam istam brachio circumplicãt sic, vt ad partem manus anteriorem pertingat: idq; ita factitantes obseruant mãdatum illud: *verba hæc quæ ego tibi præcipio hodie, super cordetuo erunt, ligabisque ea in signum*

*signum super manum tuam.* Iam *tephillin* manus prius, *tephillin* capitis post alligāt, faciuntque *brachah* super eis; Benedictus, aientes, esto Deus domine noster, qui mādatis tuis sanctificasti nos, præcepistiq; vt *tephillin* has indueremus. Interea vero tēporis dum dicit hæc, diligenter in altum suspiciens nodum contēplatur super frōte consistētem. Osculantur quoq; *tephillin* istas ante omnia, super oculos eos ambos vrgētes, ne a mandato vllo modo aberrent, ipsæq; *tephillin* recte sineq; errore vllo in conspectum veniant. In cōplicando, consuendo, nodando, constringendo nec nō alligādo subtilitate quadā singulari nomen Dei *Schaddai* secundū literas eius tres, *Schin, Dales & Iod*, effingunt: diligentiam tam singularem adhibētes, vt & nomen illud recte formetur, & litera vnaquæq; in loco proprio eius ponatur. Illud ipsum pro re valde sacra habetur, quippe quod operationes absconditas nec nō significationes mysticas in sese cōprehēdat. De *tephillin* his libros conscribunt & integros & magnos: è quib. ego paucula q̄dam narrabo. Et primo quidem, scripturā quod attinet, oportet vt atramento è galla parato, & non tedaceo, vel alio quoquā, quale est, quo typographi sericive tinctores vti consueuerunt, vt neq; liquore rubei vel alterius coloris exprimatur. Oportet etiam, vt litera quęuis vna seorsim scri-

Rabbi Alphes tractatu de sabbato c. 6. pag. 77.

batur ita, ne alia alii adhæreat. Scribi eas manu dextera necessum est, siniſtra scribi licitum non est. Supra & infra eas, ad latus itidem vtrumque lineæ ducendæ sunt, alibi non. post lineas scribere vetitum hîc est. Nihil in ipsis exscalpi, vel corrigi decet. Ab initio scriba, quotiescunque nomen aliquod Dei delineat, verbis expressis quod *tephillin* sacras ad gloriam Dei scribat, affirmare non obliuiscetur. Indefiet vt multo diligentius atq; factus rus aliàs fuisset, scriptionem perficiat. Quod si litera vel vnica redundet aut desit in illis, tum *tephillin* non sanctæ dedecorateque sunt adeo, vt quisquis eas vsurpauerit, in vanum precetur, mandatumq; de *tephillin* promulgatum recte non seruet. Cuius pœna tota ei soli, quicunque scriptor erit, incumbet. Quod cum ita sit, igitur ad hanc rem Iudæus quidam probus, sanctus, pius, diligens, exercitatus adhiberi solet. Ad corium membranamque deinde quod attinet, oportet vt vtrumque de vitulo, vel animali quodam alio, puro tamen, & per legem Dei in cibos permisso, detractum sit. Animal idem per Iudæum, non Christianum, mactatum esse oportet; perinde vt & corium per Iudæum & non Christianum alutarium præparatum esse necesse est. Quod si tamen alutarius alicubi nullus sit, tum Iudæus, qui membranam ad conficien-

das

das *tephillin* habere cupiuerit, alutarium Christianum ad corium præparandum iuuabit; quod si fecerit, tum corium *casher* & bonum sat erit. Quod autem corium illud de animali puro, eodemque ad edendum permisso detractum esse oporteat, id fundamentum suum habet in verbis Mosaicis his: *vt sit lex Iehouæ in ore tuo.* Exod. 13. 9. Iam si corium illud de animali quopiam ad esum diuinitus permisso detractum sit, perinde est, atque si super animali toto scriptura illa exarata fuisset: eaque ratione lex Dei in os ipsum ingeritur. Quod si vero super corio ab animali impuro, edique prohibito, & ita non comesto, scriptum econtra fuerit, tum in os nequaquam ingeritur. Multum hac de re fortasse scribendum fuisset: quod tamẽ ego nunc temporis missum faciens, nihil addam. Tertio, quod ad harum *tephillin* sanctitatem attinet, est illa valde magna. Primo omnium opus est, vt corpus hominis eas gestaturi & interius & exterius purum putum sit. Et quoniam cum homine sic comparatum est, vt non semper purus esse queat, consultum est visum, vt *tephillin* illas tunc, quando oraturus est, induat. Nam & precationem è pectore puro emanare oportet. Quisquis eas humi cadere permiserit, cum reliquis omnibus, quotquot eas super humo iacentes conspexerint, diẽ totam ieiunare tene-

tur. Nudas eas, vt & manifeste per corrigias longas istas ad parietem suspendere, fas non est. In sacculum vero quempiam indendæ sunt. In cubiculo, vbi maritus & vxor vnà requiescunt, eas nequaquam relinquere licet: nisi in cista sacculove triplici quamoptime conseruatæ nec non obseratæ sint. Quamdiu quis eas adhuc circum se gestat non exutas, dormire ei permissum non est, de industria præsertim. Quod si vero somnus eas gestanti obreperet inuito, somnus talis eiusmodi homini fraudi non est. Quod si quid impuri dormienti obtingat, is nodum istum, in quo loca scripturæ sacræ nótata sunt, licite attingere non potest. Corrigiam vero ipsi resoluere permissum est, vt *tephillin* tantisper, dum sese purgarit, auferat, eásdemque post manus ablutas rursus induendas resumat. Nemo, dum gestat illas *nephicha* vel ventum è ventre emittet, nisi pœnitentiam grauem subire velit. Cuicunque ventrem exonerare necesse erit, is depositas eas in loco, qui quatuor vlnas ab illo, quo cacaturus est, loco distet, locare; vel in sacculum duplicem inditas in sinu, è regione cordis gestare tenetur. Mulieres, serui, ancillæ, & pars hominum male habentium magna, à *tephillin* gestandis liberæ sunt: quod personæ tales non semper sanctè se gerant, precationique temporibus omnibus ob

seruitium dominis dominabusque præstandum, vacare non possint. Ita quoque discitur è Rabbanim istis, quod mulieres ad mandata illa, quæ non semper, sed tēporibus quibusdam certis per eas obseruanda sunt, adstrictæ non sint. Nunc ex eo, quod institutioni *tephillin* adscriptum est, *vt lex domini in ore tuo sit*, docent Rabbini, quod quisquis obnoxius sit, vt legem domini in ore suo habeat, idem quoque *tephillin* vt induat obnoxius sit. Mulieres autem ad *thorah* siue legem docēdam obstrictæ non sunt. Ergo *tephillin* quoq; induere vel gestare nō tenētur. Eo tamē nō obstāte repitur, quod vxor Ionæ vatis *tephillin* induere cōsuērit, prout *chachamim* nos docent. Mulierib. autem id, quod ad orationes singulas peractas *Amen* dicant, sufficere debet. Eo namq; fatentur, quod omne & credant & sperent, quodcunq; viri in orationibus eorum à Deo petere potuerunt. Atq; de hoc locutus est Esaias propheta cum dixit, *Aperite portas & ingredia-* Exod. 13.9

*tur gens iustæ, custodiens veritates. schomer emunim*, qui fidē seruat, quod tantundem est, atq; si scriptum esset, *schomer amenim*, qui *Amen* illud seruat, qui ad omnia prolata subiungere solitus est *Amen*, qui credens omne quodcunque à Deo precibus petitum est, & *Amen*, & *Selah*, pronunciat. Ies 26 2. Tractatu de sabbato c. 16. pag. 119.

Ad summam, quomodo *tephillin* scribendæ sint, & id quidē super nuda mem-

branæ parte illa, quæ carni vitulinæ proxima fuit, & non super hirsuta exteriora illa: quomodo itē litera *schin* super crassō illo corio complicato artificialiter figuranda & exprimenda sit; quomodo deinde litera *Dales* cum nodo corrigiæ longæ *tephillin* capitalium, & litera *Iod* ad nodum *tephillin* manualium artificialiter quoque adiungenda sit, vt nomen Dei *Schaddai* quam pulcherrime effiguretur: quomodo similiter corium illud quadrāgulum componendum sit, vt ponticulo cuipiam simile esse videatur; aliaque similia conficienda sint; totum illud est, *halacha Mosche missinai*, ordinatio Mosis de monte Sinai; totum illud à Mose originem traxit: Moses illud in mōte Sinai didicit, cumque post descendisset, posteris declarauit: prout in Talmudo super verbis Mosis sequētibus his: *Postea remouebo manum meā, & videbis posteriora mea, faciem vero mea non videbitur*: inuenitur. Super hoc *Rabbi Chāma* filius *Bitzna* dixit, quod *Rabbi Schimeon Chasida* asseruerit, Mosen hic docuisse, quod ipse per Deum tum temporis ligationem nodationemque *tephillin*, edoctus esset.

Tractatu Berachos c. 1. pag. 7. Exud. 33. 23.

Ne vero tempus orationis de mane faciendæ negligamus, historiam duntaxat vnam, eandemq; fide dignam è Talmudo recensebo; quæ materiæ præsenti conuenies est; idque propter miraculum quod dam-

dam, cuius generis aliud paulo superius de *zizia* narratum est. In *Masseches schabbas* habet *Gemara*, *Rabbi Iannam* dicere; quod, quisquis *tephillin* induere velit, ei opus sit, vt corpus habeat mundum, prout habuerit *Elischa baal Cappaïm*, hoc est, Elisa cum alis. Quare vero nominabatur sic? Ad hoc respondens *Gemara*, Tempore (inquit) quodam imperium Romanum Iudæis seuere imperauerat, ne *tephillin* induerent; idque adeo, vt si quis Iudæus *tephillin* circum caput habere deprehenderetur, ei caput euestigio dissecaretur. Superioribus enim temporibus, cum Iudæi adhuc & puri & sancti essent, *tephillin* dies totos circum caput portare solebant. *Elischa* vero ille cum vir intrepidus esset, mandatum illud Romanum parui faciens, *tephillin* istas sine intermissione circum caput habebat. Atqui cum se tempore quopiam ab apparitore conspectum intellexisset, aufugiens *tephillin* sine cunctatione vlla à capite remotas in manu occultauit. Apparitor ex eo comprehenso, quidnam in manu portaret, scire volebat. Cui ille, Quid portarē, inquiebat? alas in ea porto colūbinas. Apparitor, eia, fac vt videā tales alas, aiebat. Et, certe ni voti mei compotem me feceris, vitâ priuaberis. Quo perspecto *Elischa* manum aperiebat, & ecce tibi, rem ita, quemadmodum narraue-

Tractatu de Sabbato cap. 18.

rat, se habere deprehendebatur. Hinc factum scilicet est, vt *Elischa* deinceps ille *Elischa cum alis* cognominaretur. Cur vero alas istas columbæ potius, quam cornicis vel ciconiæ, vel auis à columba diuersæ cuiuspiam esse dixit? Huic quæstioni respondes *Gemara*, Israelitas columbæ similes esse, dicit, quod vt columba vires eius omnes habeat in alis, defendat & tueatur se alis iisdem contra aues quasuis alias; ad quod non rostrum, non pedes, nō membrum aliud vllum adhibere soleat: sic Israelitæ facere quoq; consuêrint. Alas enim eorum esse mandata Dei, quę defendant & tueantur eos cōtra malum quodcunque, adeo vt ipsis à populis aliis nullis malum vllum afferri possit. Est tamen adhuc ad quæstionē hanc eandem responsio quædam melior: quod quemadmodum alæ columbinæ columbas plus & iuuēt & defendant, quā alæ auium aliarum iuuent & defendant aues ipsarum: columba enim volando fatigata, ala altera quiescens, volat altera: aues autem cæteræ vel super arbore vel rupe aliqua, vel super terra sedere coguntur: sic Israelitæ propter mandatorum quodpiam vnum persecutionem adeo magnam patientes, vt id adimplere nō possint, adimplent *mitzuos* siue mandata reliqua, quorum deinceps adimpletorum merito iuuentur & à persequētibus ipsos defendantur. Ergo si quis *mitzuos* diligenter

ter seruans adimpleat, fiet, vt ille malo nullo affici possit, sed ab inimicis eius mirabiliter liberetur, quemadmodum alatus hic & pennatus *Elischa* ab apparitore ipsi mortem minitante liberatus est: prout illud *Rabbini* multi, de eo per alias ipsorum certiores facti, testati & ob id in *Talmudum* referre veriti non sunt.

## CAP. V.

### *De precibus Iudæorum matutinis, & quomodo in Synagoga seu schola ipsorum se gerant.*

SVperius indicatum est, tempus ad orandum idoneum esse, quo sol oritur. Ne tamen negligeretur vel omitteretur hic quisquam propter id, quod tẽpus hoc nimis matutinum videretur; ideo sapientes *Rabbini* terminum istum dilatantes, eum ad horas vsque tres diei differre non dubitarunt, hoc est, ad horam diei (nisi fallor) vsque nonam. Vbicunq; vero Iudæorum multi sunt, prout eorum colluuies Wormaciæ, Moguntiæ, Francofurti ad Mœnum, Fridbergæ, in Morauia, Bohemia, Polonia, Rutenorumq; ditionibus magna est; & alibi, vbi synagogas, aut scholas (ita nimirum vocant tẽpla ipsorũ) habent; ibi semper tempore ad preces faciendas ordinarie præstituto conuenire, & preces easdem iuxta ordinationem *machzorim* & librorum aliorum perficere

Orach chaim num. 89.

solent. Et quoniam capitulo superiore quam speraſſemus, longiores fuimus, dũ nimirum Iudæum noſtrum ornare & expolire conati ſumus; igitur in hoc præſente tanto plus feſtinare nitemur.

Orach chaiim num. 46. Brandſpiegelũ cap. 41.

Quando igitur Iudæi valde mane bene ornati, interius & exterius mundati, loti, *Zizis* vndecunque circumcincti ſunt, tum vero non deſides aut pigri, ſed alacres celeresque mox ſine eque mora vlla abibunt; & non aliter, atque ſi conflictum aliquem inituri forent, ad ſcholam properabunt: quemadmodum Dauid propheta: *Nos* (inquit) *in domum Dei, tanquam vrbem aliquã* (ſic enim hoc in loco verba prophetæ exponunt Iudæi) *oppugnaturi ibimus*, id eſt, ad domum Domini curremus non aliter, quam ſi quis nos fugans perſequatur. In *Maſſeches berachos* dicit *Rabbi Hona*, quod quisquis in ſcholam conferre ſe velit, pedes ſuos expeditos lauesque facere debeat. Hinc vates Hoſeas: *Nos* (ait) *cognoſcemus eum, & venabimur* (ſic enim & hic verba vatis interpretantur Iudæi) vt *ſequamur ad cognoſcendum Iehouam*: hoc eſt, nos & expediti & prompti eſſe debemus, perinde vt ſunt illi, qui feras venantur. Quando rex aliquis conſiliariis aulicisque eius reliquis iniungit, vt tempore valde matutino in loco cubiculove aliquo certo cõpareant, tunc ille met ipſe tempeſtiue cubitu ſurgit, videre volens, num conſiliarii eius

Pſal. 55. 15.

Tractatu Talmud. de benedictionibus. Hoſ. 6. 3.

eius & diligẽtes & vigilantes sint. Quemcunque igitur in loco ad conuentum destinato primum omnium inuenit, eundem amat, sermones cum illo confert familiarissimos. Regi cuipiam tali simili est Deus. Vult nimirum Deus, vt omnes Israelitę eius in schola valde mane adsint, & ante vultum eius comparentes, in precibus eorum, quacunque re opus habeant, de ea certiorem eum faciant. Quod si Deus in schola, in quam primus ingreditur ipse, non inueniat quemquam, tum filiis eius iratscens, *Cur*, inquit, *veni, & nemo adfuit? Vocaui, & non fuit qui responderet?* Beatus ille, quicunque valde mane veniens cum domino eius colloquitur. Quantopere quaeso diligit dominus seruum illum, qui tempestiue accurrens admittere non vult, vt incuria eius dominus eius sedeat solus! In *Masseches berachos Rabbi Abhin* filius *Rabbi Ada* causa *Rabbi Isaac*, ait: Quod si is, qui scholam frequentare solitus est, ad eam vel semel tantummodo venire neglexerit, tum Deus de eo quærit. Hinc enim vates Esaias, *Quis inter vos* (inquit) *est timens Iehouam? audiat vocem serui eius: qui ambulauit in tenebris, nec fuit splendor ei in nomine Iehoua, & innitatur Deo suo?* Sensus enim pronunciati præsentis est, quod quisquis in lecto manens, in scholam non ve-

Iesa. 50. 2.

Tractatu Berachos, de benedictionib. c. 1. pag. 6.

Iesa. 50. 10.

aiat, in tenebris ambulare putandus sit.

Ante Synagogam vel scholam ipsorum ferrum quoddam habent immuratum, ad quod quilibet calceos immundos aut cœnosos abstergere tenetur; idq; Salomonis auctoritate, qui; *Custodi (aiat) pedem tuum, quando ibis ad domum Dei.* Quisquis crepidis indutus est, is eas immundas de pedib. plane detrahere tenetur; ne schola nimirum per easdem fœdetur: prout scriptum est: *Solue calceamenta tua à pedibus tuis, quia locus in quo tu stas, terra sancta est.* Magno cum metu & tremore in synagogam ingredi oportet: perinde atq; facit, quicunque in magni cuiusdam regis palatium ingreditur. is profecto totus & horrens & tremens passim caput inclinatum denudare cõsuêuit. quemadmodum Dauid, *Incuruate vos* (inquit) *Iehoua in gloria sanctitatis.* Non autem leges hîc *behadras* sed *beshadras*, quod illud decus & ornatum, hoc metum & tremorem designet, aiunt Rabbini. Per ianuam scholam ipsam ingressuri, dicta quædã certa è Psalmis Dauidicis coaceruata pronũciare solent, bona quidem satis, minimeque contemnenda, si recte intellecta cum attentione per eos proferrentur feruida. Mox autem, ex quo in scholam intrauerunt, orare non debent, sed orationem aliquandiu suspendere, cogitantes cum quonam collocutum sint; quis itidem sit ille, qui

vsque.

Eccl. 4. 17.

Exod. 3.5.

Psal. 29.2.

vsque in cor ipsum introspicere, & preces eorum exaudire queat. Ita enim tremore magno afficiuntur, & ad attentionem singularem commouentur. In *Massecheth berachos* docent Rabbini, quod *Rabbi Eliezerem* in lecto decumbentem discipuli eius visitauerint. & interrogantes inter alia ad eum; *Rabbi*, dixerint, doce nos viam, quæ nos ad vitam ducat æternam. Quibus ille, cum vultis (inquit) orationem vestram facere, tum cogitate prius, coram // quo stetis. id enim facientes in vitam peruenietis æternam. Quilibet etiam Iudæus obulum, cum minimum, vnum in gazophylacium coniicere tenetur: prout scriptum legitur: *In iustitia faciem tuam videbo.* vbi iustitia, eleëmosyna iustitiæ testimonium perhibens, est.

In hac animi attentione inclinare se incipiunt arcam versus, in qua liber legis ille sanctus est: &, *Quàm pulchra*, inquiũt, *tabernacula tua Iacob! habitacula tua Israel!* Num. 24. 5. &, *Ego autẽ in multitudine misericordiæ tuæ introibo domum tuam; incuruabo me templo sancto tuo in timore tuo.* &, *Iehoua, dilexi habitaculum domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.* & versus è psalmis Dauidicis alios complures recitare solent. His ita peractis, tandem aliquando seriò incipiunt orare, prout in communi eorum libello oratorio præscriptum habent. Et quoniam precationũ illarum valde mul- Psal. 5 8. Psal. 26. 8.

tæ sunt, igitur eas in libellis legendo percurrunt. Quamuis aliquis sit, qui legere non norit; ille tamen ob id scholam frequentare non intermittens, diligenterq; quid alii precentur attendés, precationibus eorum omnibus *Amen* subiungit.

Vt autem quadam ex parte, quidnam precentur, & circa quid oratio ipsorum versetur, intelligatur; summariè de matutinis eorum precibus Hebræis aliquas & Latine reddam, & explicabo simul. Precatio illorum prima incipit sic: *Adon olam ascher malach*, &c. quæ rhythmicè, prout precationes eorũ omnes, scripta, per eos ſtãtes clamore magno canitur legiturq;, hunc ſe habẽs in modũ: Dominus mundi qui regnauit prius quam quicquam eorum, quæ creata sunt, creatũ fuisset; tum tẽporis quo secundũ voluntatẽ ipsius creata sunt, de nomine eius rex appellat⁹ est, & quando totũ rursus in nihilum redigetur, rex etiã manebit; cui timor & honor exhibebitur. Ille semp fuit, est adhuc, manebitq; semper in pulchritudine eius. Ille solitarius vel vnus est, & præter eum nullus alius est, qui ipsi conferri vel associari queat (hac ratione naturam Christi abnegant diuinam, eum pro simplice cõmunique vel vulgari reputantes homine.) Ille vt sine principio, sic sine fine est. Apud eũ robur & imperium est. Ille Deus meus est, & liberator meus, qui viuit (hac ratione fidem

fidem nostram irrisui habent & contemptui; qui fiduciam nostram in redemptore collocatam habeamus, qui mortẽ oppetierit ipse). Ille rupes mea est in egestate mea, & mœstitiæ meæ tempore. Ille vexillum meum est, & refugium meum: ille donum est portionis hæreditarię meæ in die illo, in quo opem eius imploro. In manus eius cõmendo spiritum meum. Siue dormiam siue vigilem, ille apud me est; vnde fit, vt nihil pertimescere velim.

Hoc facto *brachos*, vel centum benedictionum vnam post aliã dicunt: quæ vulgo breues sunt, ideoq; die singulo bis per eos recitãtur; cuius rei ratio postea sequetur. Inter has autem omnes prima est de manuũ lotione, prout superius positum est. & hoc ideo quidẽ, vt si quis eius, dum tẽpore matutino manus abluerer, recitãdæ forsitan oblitus esset, eam cũ & in cõgregatione tota recitaret. Sequitur deinde actio quædã gratiarũ breuis & succincta pro creatione hominis admiranda; in primis autem pro eo, quod eum plenum rimarum foraminumve crearit: quorum si vel vnũ obturaretur, vt homo idẽ moreretur, necessarium foret. Confessio deinde fit de mortuorum resurrectione. Huestigio deinceps gratias pro necessitatibus omnibus suppetentib. agentes *Benedictus* (aiunt) *esto Deus, Dominus noster, rex mundi, qui gallo gallinaceo intellectum dedit, vt noctem à die, & diem à nocte*

*discernere norit, vt ita nimirum Iudæos, cantu ante tempus matutinum, quo eos surgere precesque dicere oportet, expergefacere non omittat.*

*Benedictus*, &c. quod Israelitam me siue Iudæum crearit, vel (vt libri habent nonnulli) quod me gentilem non fecerit. Per gentilem intelligunt Christianos: quos ipsi pro infidelib. idololatris, & per Deum maledictis populis æstimant. Fœmina vero dicit hîc, *Benedictus*, &c. quod me Iudæam crearit.

*Benedictus esto Deus*, &c. quod me seruum non crearit. Hoc similiter contra Christianos pronunciatur, quos isti pro seruis ipsorum reputant, qui ipsis seminare, arare, omnesque labores seruiles facere videantur, dum ipsi temporis interea post fornacem calentem sedentes assant pyra; bibentesque poculum vini plenum, *magalus hi*? qualis captiuitas est hęc? aiũt. vbi nimirum sedens aliquis otiosus, poculum vini plenum in manu tenet, ibi captiuitas nulla est: cum econtra Christiani in sudore narium eorum terram aliaque laborare cogantur, &c.

*Benedictus*, &c. quod fœminam me non crearit.

Mulieres autem orant hîc, *Benedictus* &c. quod ille me secundum voluntatem eius crearit. Hæc in contemptum sexus muliebris fiunt, quod eæ in fœdere circum-

cumcisionis non sint; qua circumcisione Deus populum eius peculiarem obsignarit; ideoque fœminæ dubitare cogantur, an æquè populo isti quam viri accēsendi nec ne videantur.

*Benedictus*, &c. qui extollit humiles.

*Benedictus*, &c. qui cæcos videre facit.

Hæc actio gratiarum est, quam tum statim orare deberent, quando primum è somno euigilantes oculos clausos reaperiunt.

*Benedictus*, &c. Qui incuruatos erigit; quando erigere sese & vestimentis induere volunt, hanc oratiunculam dicunt.

*Benedictus*, &c. qui vestit nudos. quādo vestes induunt, hanc in medium scilicet afferunt.

*Benedictus*, &c. qui lapsuros suffulcit.

*Benedictus*, &c. qui captiuos è carceribus educit. Hæ gratiarum actiones duæ institutæ ob id, quod Deus per somnum vires hominum & sustentat & multiplicat ita, vt se rursum mouere possint; cum, quamdiu dormirent, similes incarceratis iacuerint.

*Benedictus*, &c. qui expandit orbem terrarum super aquas. Sic Iudæus dicere tenetur, cum surgens è lecto terram pedib. calcare incipit.

*Benedictus*, &c. qui gressus hominis prēparat regitque. hoc dicit, quando extra cubiculum suum pedes effert Iudæus.

*Benedictus*, &c. qui omnia ad vitam necessaria creauit: quando calceos ligat vel caligas ligulis adstringit, hoc pronunciat:

*Benedictus*, &c. qui Israel fortitudine cingit: quando cingulo se cingit, prout quilibet Iudæus cingulum gestare tenetur; quēadmodum superius annotatū est.

*Benedictus*, &c. qui Israelem decore coronat: quando pileum suum capiti imponit. Capite namq; nudo è cubiculo exire nefas est.

*Benedictus*, &c. qui fessis vigorem dat.

*Benedictus esto tu Deus, Domine noster, qui rex mundi es, quique somnum aufers ab oculu, & dormitationem à palpebris meis.*

Finitis precationib. hisce tam multis precationes duas alias adhuc adiiciunt, eum in finē, vt eos Deus aduersum peccata, aduersum spiritus & homines malos, & malum omne custodire dignetur. Humiliantes se deinceps corā Deo, reos sese fatentur, misericordiaq; sola Dei vniu freti, precatiuncula quadā, incipiēte, *Ribbon col haolamim*, mox āterū sese cōsolantur ipsimet, ac in iuramēto, quod Deus Abrahamo filiū suum ipsi in hostiam oblaturo fecit, se vēditantes & iactantes, *Abhal*, (inquiunt) *ammecha anachnu*: Nos tamē populus tuus sumus, liberi fœderis tui, &c. O nos beatos! quā bona (amabo) est portio nostra! quā dulcis est sors nostra! quā pulchra est hæreditas nostra! ô nos beatos,

tos, qui matutino serotinoq; tẽpore diebus singulis bis dicere possim, *Audi Israel, Deus Dominus noster Deus vnus est*, &c. Cõgrega nos sperantes in te à finib. terræ vniuersæ quatuor: quo per te facto, habitatores terræ vniuersæ cognoscentes id, sciẽt, quod tu Deus vnus sis, &c. Pater noster qui es in cælis, prosequere nos misericordia nominis tui causa, quod nomen tuum supernos nominatum est: cõfirmaque in nobis id quod scriptũ est: *Tempore illo adducã vos, tẽpore quoq; illo congregabo vos: dabo enim vos in nomen & laudem inter omnes populos terræ, quum conuertero captiuitates vestras, dixit Iehouah.* Sophon. 3. 20.

Postea sequuntur precatiunculæ duæ breues, ob legem diuinitus eis datam. Et à lege deinceps ad sacrificia pergunt. Et quia propter id, quod è terra ipsorũ profligati sunt, templũmque destructum est, sacrificia, prout maiores illorum facere consuẽuere, peragere amplius non possunt, ideo nunc ea omnia verbis redimũt; legentesq; tantummodo mandata de sacrificiis, prout singulis temporib. offerri debuerunt, sese cõsolantur (quãuis sensu peruerso) per dictũ vatis Hoseæ, *Nos tauros* (aientes) *labiorũ nostrorũ immolabimus.* Hos. 14. 2.

Cõmemorãt postea narrationẽ historicã de sacrificiis, similiterq; precatiunculam quandã sic exordiẽtem, *Ribbi Ismahel*, de vsu legis, deque eo, q̃ multiplici modo lex

exponi possit: quæ fundata super Talmudo tam barbara tamque difficilis est, vt inter cētum Iudæos vix vnus sit, qui quid sibi velit, intelligere queat. Ipsi vero perinde legunt, vt virgines Vestales psalteriū legunt. Voce deinde tā submissa, vt eam exaudire nemo possit, precatiunculā pro reædificatione templi Hierosolymitani, quam quotidie adhuc firmiter expectant, dicunt his verbis: Sit voluntas tua coram facie tua, Deus, domine noster, domine patrum nostrorum, vt domus illa sancta templi tui mox in diebus nostris restauretur; desque nobis voluntatem nostram in lege tua. Postea surgentes cum gaudio clamoreque ingenti precatiunculam aliam laudatoriam cantillant: sperantes Deum propediem templi structuram illam incepturum, eosque in terram ipsorum reducturum: mox deinde rursus sessum euntes, precationem prolixam hinc inde è psalmis Dauidicis collectam; quinetiam psalmos aliquot integros: partem quoque quandam capitis trigesimi, libri Chronicorum primi legunt. Postremo verba vltima vatis Obadiæ sic habentia:

Obad. v. 21. *Et ascendent saluatores in montem Sijon ad iudicandum montem Esau, eritque ipsi Iehouæ regnum*: cum gaudio magno animisq; attentis cantātes, sperāt saluatores istos, de quibus loquitur propheta, cito venturos, superque montem Sionem ascensu-

ros

tos esse; hoc est, causam Iudæorum susceptu-
ros, illisque opem laturos ad iudican-
dum, hoc est, perdendum & de terra de-
lendum mõtem Esaui, id est, Christianos,
cum regno ipsorum, quos isti Esauitas, E-
domitas; & regnum Romanum, *Malcus E-
dom*, regnum Edomiticum nuncupant:
sicque eos in terram & lacte & melle flu-
entem reducturos esse. Cur autem Chri-
stianos ab Edomo vel Esauo denominare
consueuerint, de eo lectorem alio in loco
prolixe docebo. Illud hîc tantum addere
mihi placet, quod in libris eorum secre-
tissimis, & quos in manus Christianorum
non facile venire permittunt, & scribant
& doceant, quod anima Esaui in corpus
Christi subingressa sit, quodque Christus
nõ minus impius fuerit ac Esauus: quod-
que nos omnes meliores non simus; vnde
non immerito etiam Edomitæ vocemur,
qui fidem & spẽ nostram in ipso defixam
habeamus. Canere vero deinde pergunt
sic: Et Deus erit rex super orbem terrarũ
vniuersum. In die illo Deus erit vnus, &
nomen eius vnum, quemadmodum, ô
Deus, in lege tua scriptum est: *Audi Israel,
Deus, noster Deus, Deus vnus est.* Hoc etiam
sic comparatum est, vt fidei Christianæ
contrarium sit: q. asi nos Deos plures
quam Deum dũtaxat vnum adoraremus,
eique nomina plura quam nomen vnum,
Christi nimirum, dare soleremus.

Sequitur deinde precatiuncula, quam
*Orach chaiim num. 53.* isti *krias schmah*, e libro Mosis quinto desumptam appellitant. Cumq; versiculum illū, *Audi Israel dominus Deus noster, Deus vnus est*, Hebraicè legūt, dictio postrema *echad* est, vnū significans. Hanc fæpenumero per horam dimidiam, imo vero per horam integrā cantādo personantes, cælum versus omnes suspiciunt: cumq; ad literam eius postremā *Dales* peruenerunt, capita ipsorum ad angulos & vētos mūdi quatuor omnes quotquot illorū sunt, & flectunt & cōuertunt: per id indicare volētes, quod Deus vbiq; in mundo vniuerso rex sit. Litera.n. *Dales* ratione ordinis eius, quem in alphabeto Hebræo tenet, quatuor designat. Dictio deinceps *echad* ducenta quadraginta quinq; verba complexa est, ideoq; illis tria, *Hael* nimirum, *elohechem emes*, Deus, dominus vester verax est, addentes, efficiunt, vt numerus trecentorum quadraginta octo existat. Tot nimirum mēbra sunt in corpore humano. Itaq; si pro membro singulo precatio singula numeretur & oretur; tum homo totus, quantus quantus est, aduersus omne malum securus est. Quisquis deinde ter versiculū eundē illum recitarit, iste contra spiritum malum ipsummet tutus est. Incipiens .n. versiculus ille dictus à litera *Schin* desinit in *Dales*, hunc in modū: *Schma Israel, adonai elohenu, adonai echad.*

quæ

quæ literæ duæ coniunctæ faciunt *sched*, quod diabolus est, &c. Reputantq; precationem talē pro precatione valde & preciosa & sancta, per quam miracula quoq; magna fieri possint. Vnde fit, vt eam dieb. singulis tempore cū matutino tū vespertino superstitiosissimè precari cōsuērint.

Cum tēpore quodam (id quod in Talmudo scriptum legimus) edicto publicato mandatum fuisset, ne Iudæi scholam habentes, fidē ipsorum palam docerēt & exercerēt, *Rabbi Akibha* faciens cōtra mandatum id ipsum, palam in synagoga eam & legit & docuit; super quo facto cōprehensus in carcerē coniectus est. Cum carnifices eum educētes cremare vellent, primo omnium corpus eius strigili ferrea perstrinxerūt, miserabiliterq; eum sic vulnerantes malis multis affecerunt. Eo non obstante *Rabbi Akibha* cōstans permānsit, sineq; intermissione vlla precat⁹ est. Cūq; diei tēpus, quo *krias* istud *schma* orandum ipsi esset, appetiisset; cōfidēter dictū krias exorsus est. Postremo discipuli eius scholastici eū affati, *Rabbi* charissime, dixerūt, tu satis orasti, dedito te iam tandē, moritorq; morigeranter. Quibus ille, Ego, inquit, per curriculū vitæ meæ totū sententiā hāc: Diliges dominū Deum tuū corde // tote, corporeq; toto, pmagni feci; intel- // lexique sic, vt, quamuis mihi quis & cor & // corpus erepturus esset; eum tamē (Deum //

Tractatu de Benedictionibus, c. 9.

nimirum) diligendum esse statuerem. Itaque cum Deus id ipsum in me confirmare velit, eumne adorare, & precationē hāc adeo sanctam ad finem precando perducere desinam? Pergens igitur in precatione hac, homo vocem *echad* tam diu, tamque sæpe, dum anima eius exiret ex ipso, cantillare non cessauit. Tum vox quædam in aere exaudiebatur: Beatum te, ô *Rabbi Akibhah*, pronuncians, quod *neschamah*, vel anima tua ex te cum verbo *echad* egressa sit: tu iam nunc *lechaije olam habbha*, in vitam venturam ingressus es, & in lucem illam *gan eden* horti paradisiaci veris, *Amen, Sēlah.*

Orach chaijm num. 113.

Habent deinde precationem similem adhuc aliam, quam *Schmone esre*, id est, octodecim; quippe quæ tot gratias aut precatiunculas laudatorias & gratiarum actiones in se complexa sit, appellāt. De præsentis huius superiorisque precationis sanctitate, virtute nec non operatione tractatus ingentes Iudæastri conscripserūt: quas ego ambas in dignitate ipsarum relinquens, vt iam laudare, sic vituperare quoque nolo. Postremam vero hanc precatur quilibet die quolibet bis. Præcentor autem synagogæ canit eam aperte vicibus duabus seorsim. Maximi eam faciunt Iudæi, per eam peccatorum remissionē sese consecuturos esse sperantes. Cum eam orare volunt, facere tenentur id

tur id ſtando, & ſtando quidem ſic, vt pes vnus terræ non plus quam alter inſiſtat, angelorum exemplo; de quibus ſcriptum eſt: *Et pedes eorum pes rectus.* Hoc in *Rabbi Alphes* capite 1. & in Germanicis Iudæorum *Minhagim*, & in libris præter hos compluribus aliis, prolixius diſputatur. Quando in particula precationis huius *ſchmone eſre*, quam ipſi *keduſcha* nominãt, verba hæc: *Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Iehouah exercituum, plena eſt omnis terra gloriæ eius*, dicunt; tum vicibus tribus ſurſum in altum ſubſiliunt: quaſi ratione hac angelis, qui ſententiam hãc laudatoriam primi cecinerunt, ſe ſimiles facere niterentur. Alii dicunt, quod, quia mox in Ieſaia propheta ſequitur expreſſe ſcriptum; *Et mouerunt ſe ſuperliminaria poſtium à voce clamantis*: multo æquius ſit, vt homo propter angelicam talismodi laudationem tangens ſe concutiat. *Chachamim* ſeu ſapientes Iudæorum viri ſcribunt, quod, quicunque durante precatione *ſchmone eſre* loqui auſus fuerit, ei poſt obitum eius carbones igniti dentur edendi, prout ſcriptum ſit apud Iobum capitis trigeſimi verſu quarto. Verſum enim illum *Rabbi Salomon* ita, vt dictum eſt, exponere non dubitauit. *Rabbi Tanchum* propter *Rabbi Ieboſchua* dicit, quod *chachamim* octodecim precatiunculas illas fecerint ob oſſicula totidem, quæ ſunt in ſpina dorſi hu-

Ezech. 1. 7.

Ieſ. 6. 3. Orach chaiim num. 125.

mani; quæ ossicula dum precatiũcula hæc recitatur, flectere oportet: vnde regius vates Dauid, *ossa mea*, inquiat, *omnia dicent*, &c. Post precationes has sequitur alia quædam & mala & criminosa contra Iudęos, qui ad fidem Christianam conuersi, baptizari sese curarunt, contraque Christianos alios in genere omnes, & horum magistratus instituta; de verbo ad verbum prout in exemplarib. cum vetustis, tum Polonicis (in Polonia enim & audacter, & sine omni Christianorum metu imprimunt quæcunque volunt) hunc se habens in modum: Deleti isti, (hoc est, Iudæi, qui se baptizari curauerũt, & Christiani facti fuerunt) nullam spem amplius habebunt; & omnes increduli (tam isti, qui à Iudæis defecerunt, & ad Christianos sese conuerterunt, quam generaliter loquẽdo populi alii omnes, in primis autẽ Christiani, qui fidei à fide Iudæorum diuersæ sunt) quasi in oculi nictu peribunt, & inimici tui omnes, & qui te, ô domine Deus noster, oderunt, mox exterminabuntur, & superbũ illud nec nõ præsumptuosum regnum festinanter eradicabitur, frangetur, solo æquabitur, & tandem aliquãdo prorsus interibit (particula hæc in recentibus eorũ libellis precatoriis, siue metu siue iussu magistratus, contra quẽ directe posita fuit, quod eum *Malcurzadon*, regnum superbiæ & arrogãtiæ siue simpliciter *resthak*, impi-

impium (quēadmodum in exemplari meo anno 64 Venetiis excuſo eſt, appellent, omiſſa eſt) faciesq; illos ſine mora nobis in diebus noſtris, obedientes.

Benedictus eſto Deus, qui frāgis & ſubdis illos, qui rebelles ſunt. Particulā hanc *Birchas hamminim* vocant: eſtq; precatiuncula aduerſus hæreticos; ideo quod in eadem *kelalah* ſeu execratio eſt aduerſus hæreticos, quēadmodum in *Rabbi Alphes* legere eſt. Per hæreticos iſtos primo & inprimis intelligunt Iudęos baptizatos. Talium enim quemq; *Meſchumad*, perditumve appellāt. Et in numero plurali *Meſchumadim*, perditi ſunt ſiue cōdemnati, qui à fide Iudęorū deficiētes Chriſto ſe dedunt. Et ita precatiuncula hæc exorditur: *Velammeſchumadim*, hoc eſt, Et perditis & condēnatis apoſtatisq; Iudęis. Deinde pro verbo hoc poſuerunt *Velam malſchinim*, hoc eſt, & ꝓditorib. iſtis: intelligentes etiam per hoc Iudæos baptizatos. Hos. n. ꝓditores appellant, propter id, ꝙ hi nequitiam perfidiāq; iſtorū Chriſtianis & prodant & aperiant. Deinde ꝓ hoc intelligūt etiam Chriſtianos, quos & *minim*, hæreticos, homines idololatricos, hoſtes & oſores Dei vocant; ideoque quando rogant Deū, vt inimicos eius punire velit, in primis per inimicos iſtos Chriſtianos intelligunt. Sane, quod magiſtratui Chriſtiano imprecentur, facile videre eſt è *Rabbi Bechai*, q̄ de precatiūculā hac hūc ſcribit in

Tractatu de Benedictionibus. c. 4.

modum: *Vbirchas hamminim tikkenu oſa laakor malcus hareſchaah*, hoc eſt; Precationem hanc fecerunt contra hæreticos, regnum illud impium, hoc eſt, imperium Romanum, & magiſtratus Chriſtianos omnes, qui in Iudæos obtinent imperium, eradicandi cauſa. Regnū Turcicum ſemper appellant *Malcus iiſchmael*, regnum Iſmaelis, cum originem ab Iſmaele populus iſte duxerit. Imperium Romanum appellant, *Malcus Edō*, *Malcus Romi*, *Malcus Eſau*, *Malcus hareſchaāh*, *Malcus zadon*, regnum Edomiticum ſiue Romanum; ſiue Eſauiticum, ſiue impium; ſiue ſuperbum; præſumptuoſum itē, & petulans regnum. Hoc tam clare manifeſteq; in libris ipſorum ſcriptū eſt, quam clare vereq; ſol de die lumen eius orbi terrarū impertit: prout alibi copioſius Deo adiuuante mōſtrabo. Et hoc ſane tāto veroſimilius eſt, quod monſtrum precationis hoc primum lōgo tempore poſt *Schmone eſre* ſiue precationem octodecim gratiarum actionum inſtitutum, & in præſentem ordinem relatum, & ad orandum, (idq; per dolum ſingularem & cauſam putridam, nō diu poſt Chriſti tempora, quibus doctrina eiuſdē & omnes illi, quotquot eidem aſſentientes fidem adiungebant, Iudæis odio maiori quam verbis explicari poſſit, fuere) per *Rabbi Samuel hakkaton*, Rabbi Samuelem paruum illum, vel etiam breuem, oratio-

ni in-

ni insertum est. Hic enim ante templi posterioris demolitionem mortuus est. Et postea quam *Sanhedrin* siue magnum aulæ consilium ab Hierosolymis, annis (ni fallor) quadraginta post deuastationem Iafnam translatum & profligatum est, paruus hic Samuel precationē hanc execratoriam, in ciuitate Iafna & contra Iudæos omnes quotquot Christo nomē darent, & contra Romanos, q imperium in Iudæos obtinuere, cōposuit. Quod si quis idiomatis Hebræi peritus sit, legat ille mihi *sepher Iuchasin*, chronicū quoddam Iudaicum pagina 21. & Talmudum, Venetiis excusum, in tractatu de benedictionibus, cap. 4. & in tractatu Sanhedrin, cap. 1.

Post precationem execratoriam hanc, sequitur benedictio quædam & precatio valde seria, pro probissimis quibusque in populo; pro illis item, qui è populis aliis ad fidem Iudaicam conuertuntur: proque eo, vt Deus vrbem ipsorum & templum mox in diebus ipsorum reædificare, furculumque Dauidis è trunco eius ad virendum elicere, cornu eius exaltare, hoc est, Messiā rupta quacunq; mora mittere, regnumq; Israelis rursus instaurare dignetur.

In fine precationum harum matutinarum rogant Deum, vt eos in pace cōseruare velit. Et quando verba hæc; *Qui pacem facit in alto, pacem quoq; faciet super nobis populoq; Israelis vniuerso, Amen*, dicunt; tū Oraoh chaiim num. 123.

passus tres retrocedũt. Quod si quis equo, asinove insidens iter aliquô faciat, tum necesse est, vt equus asinusve vnà cum ipso passus totidem retrocedat. Vbi præ magna multitudine se prementes retrocedere non possunt, vicibus tribus sursum in aerem salientes se eleuant: inclinant se prorsum, mox caput in sinistram flectunt, mox in dextram: significantes eo, precari se, vt Deus vbique locorum pacem dare velit. Quod si quis hîc Christianus cum crucifixo, vel alia imagine, deastrum quẽpiam repræsentante, ipsi obuius fiat, inclinare se nõ debere, sed cor suum Deum versus eleuandum sibi esse cogitabit Iudæus. Gressus illi tres retrorsum faciendi, honoris gratia fiũt. Quoties enim discedit aliquis à domino quopiam præeminente, gressibus aliquot retrocedit, benedicit ei, honorat eum osculando manus, & corpus adeo totum inclinando. Eundem quoque in modum faciunt Iudæi, qui cum à Deo discedere volũt, retrocedunt, salutant eum à facie ad faciem, ne nempe dicat: populus meus oratione longa apud me vsus in tantum defatigatus est, vt mihi posteriora obuertat, &c. Sapientes & docti Iudæorum Rabbini dicunt, quod retrocessio illa fiat in recordationem miraculi cuiusdam, quod in monte Sinai contigerit, cum Deus populo suo legem promulgarit. In *Massechet Bera-*

Tractatu Talmudico de benedictionibus. cap 1. Exod. 20. 18.

*Berachos* Rabbini super verbis his: *Omnis populus videbant tonitrua & lampades, & clamorem buccinæ, & montem fumantem vidit, inquam, populus, & commoti sunt, steteruntque procul*: disputant; aiuntq; quod populus præ nimio terore metuque in temporis momento tria milliaria à monte Sinai retrorsum fuerit abreptus. Supremus autem glossator *Rabbi Salomon Iarchi* in glossa eius super textum hunc scribit, quod milliaria duodecim retrorsum resilierint: de qua re Dauid propheta locutus etiam fuerit in Psalmo eius: *Reges*, aiens, *exercituum fugerũt, & habitatrix domus diuisit spolia.* Tũ vero *malche hasschares*, angeli boni, spiritus ministratorii, venerũt populumq; ad montẽ reduxerunt. Psal. 68. 13.

Quando rursus è Synagoga vel templo exire volunt, tum & clam & tacite in semetipsis loquentes dicunt precatiunculam quandam incipientem, *Alenu leschabbeach*, nos decet laudare dominum, qui super omnia est; & excellenter celebrare eum, quod omnia creauit, & nos tales nõ fecit, quales fecit populos reliquarum nationum; quod nos itidem non fecit, put generationes mundi; portionemque nostram non posuit ita, vt posuit portionem istorum; neque sortem nostram, vt sortem istorum, vel totius turbæ eorũdẽ. Hîc in libellis Iudæorum precatoriis verba q̃dã omissa sunt, idq; mandatu ma-

gistratus Italiæ, vbi libri ipsorum magna ex parte excusi sunt, & adhuc excudi solent. Omissa autem fuerunt, quod blasphema in Christum essent. In exemplaribus vetustis expressa inueniuntur. Cuius generis exemplar ego habeo Augustæ excusum per typographum Iudaicum *Chaim* vocatum anno Christi 1534. Aliàs loco verborum istorum omissorum spatiũ lineæ vnius dimidię vacuum relictum est, eum scilicet in finem, vt liberi Iudæorum aliique ignorantes admonẽtur sibi quærendum esse, quidnam ibi omissum fuerit. qua de re cum quærunt, tum alii dictant illis verba deficientia: vel scribunt etiam in gratiam illorum in margine libri: quemadmodum ego in libris illorum multis obseruaui. Verba autem omissa sunt hæc: *Schehem corehim, vmisch tachauim lehebhel varik, vmispallelim leel ioschiah*, hoc est, Qui genua flectunt, seque inclinant ad id, quod vanitas & stultitia est, adorantque Deum aliquem, qui iuuare non potest. (hæc proferunt isti contra Christum; quapropter & in terram mox exspuunt, quando verba ista pronunciarunt) Nos autem flectimus & inclinamus genua nostra, adeoque nos totos ad regẽ illum, qui rex est super reges omnes, ad sanctum illum benedictumq; Deum, qui cælos expandit, & terram stabiliuit, cuius gloria sedesque regalis in cælo est, &

cuius.

cuius fortitudinis requies in cælis est supremis. Ille solus Deus noster est, & alius non vllus.

His ita peractis è Synagoga exiens Iudæus, ait sic: Domine Deus deduc me per iustitiam tuã, propter eos, qui in occulto obseruant me. Dirige viam tuam ante me. Custodi Deus exitum & introitum meum ex hoc tempore in æternum. Psal. 5.

Cancrorum vero in morem per ianuam è Synagoga exeundum est; ideo, ne corporis pars posterior arcæ sanctæ, in qua liber legis inest, obuersa monstretur, sed vt ei potius oris obuersione honor exhibeatur. *Rabbini* super verba vatis Ezechielis hæc: *Qui dorsum suum versus templum Domini verterunt*: in Talmudo tradunt; quod sacerdotibus pœna grandis irrogata fuerit, ideo, quod prorsum versi è templo egressi, posteriora eorum arcam fœderalem versus conuerterint. Quod cum ita sit, igitur cum timore & honoris exhibitione è templo exeundum est non aliter, quam seruus à domino eius discessurus, retrorsum inclinatus & curuatus id facit. Currendum quoque non est, quoties è Synagoga exitur, ne quis opinetur, eum qui currat, precando lassatum lętari, quod sibi exire iam tandẽ liceat. pedetentim exeundum est, & gressibus coarctatis incedendum. Etenim si quis hoc In tractatu Ioma Ezech. 8. 14.

faciat, gressus eius numerat Deus, datque ei mercedem magnam, prout scriptum
Iob. 14. 16. est: *Nunc enim gressus meos dinumerasti, nec,* &c. Quod si qua fœmina vel puella siue Iudæa siue Christiana obuiet alicui, tunc oculis euestigio clausis faciem totam ab illa auertet; non salutabit illam, ne inde occasio ipsi præbeatur, cum illa diutius confabulandi, perque confabulationem eiusmodi ad cogitationes cupiditatesq; malas delabendi.

Orach chaim num 91. & seqq. De precatione quadam seria generaliter scribunt hunc in modum: Quisquis attente precari volet, ille caput & cor tectum habebit, corpusque superius ab inferiore per cingulum distinguet, ne cor intuitu pudendorum cogitationes prauas concipiens in precatione vagetur. Faciem suam & Canaanem, & ciuitatem Hierosolymam versus conuertet. Pedibus æqualiter super terra firmatis stabit: prout superius est dictum. Manus cordi superponet sic, vt dextera sinistræ incũbat, eamque capite curuato humiliter se continebit, quemadmodum scriptum est: *Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælos.* Item, *Anima mea in manu mea semper: tamen legis tuæ non sum oblitus.* Inter orandum nullus oscitabit, nullus ructabit, nullus sputabit. Quod si vero cuiquam necessario spuendum sit, tum clam sputum istud in linteolum excipiet, vel

Thren. 3. 41. Psal. 119. 109.

vel modeſte retro, vel ad ſiniſtram eius abiiciet. Ante ſe vero non proiiciet, prout nec in partem dexteram. Ibi enim ſtant inuiſibiles angelicæ creaturæ, quas ſi quis conſpurcaret, is ſcelus immane profecto patraret. Inter precandum quoque nemo vel pediculum, vel pulicem attinget. Per gutturinferius is, qui orat, ventum nullum emittet. Quod ſi forte ipſi vſueniat, vt id faciat inuitus, tunc orationem ſuſpendet eo vſque dum ventus iſte diſſipatus non ſentiatur amplius. Quod ſi vero ventus iſte vrgeat eum tam vehementer, vt retinere non poſſit, tum greſſus quatuor ad latus diſcedet, ventumque illum exire ſinet, hæc ſtatim dicendo: *Ribbon haolamim*, Domine mundi totius, tu me plenum foraminum creaſti, quæ foramina ipſe occludere non poſſum: coram te nota eſt & aperta inuerecundia noſtra vniuerſa: vita noſtra plena pudoris eſt. Nos præter tarmos & vermiculos nihil ſumus. (*Hammitatteſch bithphillaſo milmattah ſiman rah lo, milmaalah ſiman iaphe lo*, quod eſt, Sternutatio in precatione per inferiora facta ſignum ſternutanti malum eſt, per ſuperiora vero, bonũ) Qui orare exorſus eſt, orationẽ nequaquam ſuſpendet. Quãuis eum vel rex Iſraeliticus ſaluaret, illi tamen reſpondere non deberet. Quamuis etiam

serpēs aliquis calcaneum pedis eius mordēdo pungeret; pergeret tamē ille itidē in precatione peragenda. Irato tamen boui de via cedere, præque metu eius orationem suspendere alicui liceret tantisper, dum iste præteriisset. Oranti corpus suum nudum attingere fas non est. Manus autem collumque superius contrectare religio non est. Quod si cui oranti necessitas tanta incumbat, vt se scabere cogatur, tum super interula aliisque vestimentis id faciet. Corpus autem suum vniuersum, qui precatur, hinc inde mouens torquebit. Scriptum enim est; *Omnia ossa mea dicent, Iehouah, quis sicut tu?* Tenetur etiam Synagogæ præcentor dum precatiunculis plerisque sanctulis opera nauatur, in loco quodam profundissimo stans orare, orationemve legere voce tam clara quam alte suspicere potest. Oculis ego meis his vidi, quod ante pulpitum (quandoquidem terra ibidem æqualiter strata, nec hîc quam alibi profundior fuit) in genua procubuerit, precationemque voce, quam alta valuit, de pulpito sublimiore pronunciarit.

Psal. 35. 10.

Precationes autem tales proferunt è corde valde angustato, eum præcipue in finem, vt veniam peccatorum suorum cōsequantur. idque secundum exemplum Dauidis: *De profūdis clamo* ad te, *ô Iehouah* dicentis. Ante omnia vero quilibet è toto pe-

Psal. 130. 1.

to pectore *Amen* ad precationes omnes finitas vt respondeat, operam dabit.

Hinc in libro *Tanchuma* scriptum est, quod *Rabbi Iehudah* dicat, quemlibet qui dicat *Amen* in mũdo hoc, dignũ quoq; esse, vt dicat *Amen* in mundo futuro. Hinc etiã est, quod rex Dauid, Benedictus (aiat) esto Dominus, Deus Israelis ille, *Amen, Amen*, significare volẽs, *Amen* vnũ dicendũ in mundo hoc præsente; alterum, in mundo altero futuro. Sapientissimi Iudæorum scribunt, quod quisquis cum magna *cauannah* & attentione dicat *Amen*, is efficiat, vt redemptio nostra celeriter appropinquet. Quid? quando *Amen* illud enũciatur sic, vt oportet, tum Deus concutiens caput eius, Væ, inquit, liberis illis, qui à mensa patris ipsorum abacti sunt. quam bene autem est patri, qui à liberis eius ita laudetur! incipitque Deus ob id cogitare, sibi committendum non esse, quin liberos eius è seruitute in libertatem reponat. Quamuis enim eos propter peccata ipsorum in exilium abegerit, nihilominus tamẽ Deus compatitur cum illis, doletq; ipsi liberorũ eius dolor. Super quo *Rabbi Iuda* similitudinẽ afferens; Quemadmodum mater (ait) filiam suam & immorigeram & immodestam, quæ è quopiam grauida est facta, ob impudicitiam ex ædibus eius exigit; immisericordiaque erga ipsam vtitur infanda: mirum tamen,

Brãdspiegelium cap. 41.

Ergo Iudæi 1603. annis totis nunquã diligenter animoq; attento Amen illud pronunciasunt.

in modum in hora fœtus in lucem edendi compatitur eidem; plorans cũ ipsa: Ita quoq; Deus peccatorum nostrorum causa in exilium profligauit nos; compatiens interim nobiscum redempturus est nos, ipsum seriò precantes, &c.

Superius annotatum est, quod singulis diebus *berachos* benedictiones, benedicite, siue gratiarum actiones centum dicere teneantur. Hoc valde subtiliter, magistraliterque more Cabalistarum demonstratur: & primo quidẽ è verbis Mosis sequentibus his: *Nunc ergo Israel, quid Iehouah Deus tuus petit à te?* Dent. 10. 12. Hîc sapientissimi Rabbinorum non *mah schoel*, quid requirit, sed *meah schoel*, centũ requirit, leges, inquiunt. fuitq; Mosis intentio non alia, quã si dixisset; Deus singulis dieb. requirit abs te Benedictiones cẽtum. Ex quo vero prudentes Cabalistæ textus Mosaici correctionem eiusmodi expiscati sunt? Respõsio. Primo Moses illemet ipse hâc eandem arcana nec non occulta ratione nobis innuit: cum literas centũ in textu versus huius Hebræo posuerit. Secundo demõstratur idem secreto *kabalæ*, per quod cõmutatio literarum fit, cum litera nimirum alphabeti postrema pro prima, & proxima postremæ pro secunda locatur: quæ alphabeti commutatio Cabalistis *atbasch* est; cum nimirum *Tau* & *Aleph*, *Bes* & *Schin* inter se commutantur. Ita secreti huius

huius beneficio loco literarum *Mem* & *He*, per quas vocabulum *mah* paulo superius annotatum scribitur, veniunt literæ aliæ duæ: *Tzade* nimirum & *Iod*; quæ & ipsæ numerum centenarium constituunt. Tertio legitur in Talmudo, quod Dauid ipse Benedictiones hasce centum ordinarit; eo nimirum tempore quo singulis diebus homines centum ex Israele mortem oppeterent; quorum causa diebus singulis benedictiones totidem dicere oportuerit. Tractatu de Benedictionibus.

Hoc etiam Cabalistarum more valde bene demonstratur è verbis his, quæ scripta sunt in libro Samuelis secundo: *Dixit Dauid, filius Isai, dixit, inquam, vir, qui constitutus est excelsus, unctus Dei Iacob, & dulcis in carminibus.* Dicit vir *hukam al*, der hoch erhoben ist. Sic enim in lingua Germanica vulgari sonat. *Hukam* enim proprie est, Erectus, & *Al* altum. Secundum scientiam Cabalisticam & artem arcanam illam literarum numerariarum facit vox hæc, per literas *aiin* & *lamed* scripta, centum: & sensus est: Dicit vir, super quo erectæ vel institutæ sunt Benedictiones vel precationes laudatoriæ centum. Hæc res ex archiuo Theologiæ Iudaicæ artificiali desumpta est, in quod archiuum *al goi*, siue gentili non cuiuis intrare permittunt. Harum vero rerũ tam artificiosarum multæ ad- 2 Sam. 23. 1.

huc in lucem prodibunt. quæ causa est, quod hoc in loco de talibus nihil vlterius loqui velim; sed pergere potius, & explicare, quomodo Iudæi post preces matutinas absolutas domi se gerant. Deus per prophetam Iesaiam, *Et quum extendetis*, inquit, *manus vestras, occultabo oculos meos à vobis: etiam cum multiplicabitis orationē, non audiam.* nam *manus vestræ sanguine plenæ sunt.*

Ies. 1. 15.

Idem 59. 2. 3.

Vates idem alibi quoque, *Iniquitates*, inquit, *vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra abscondere fecerūt faciem à vobis, ne exaudiat. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate; labia vestra protulerunt mendacium, lingua vestra iniquitatem loquitur.*

## CAP. VI.

### *Quomodo Iudæi post preces matutinas sese gerentes, ad prandium sumendum parent.*

PRius quam mariti è schola domum reuertantur; fœminæ probæ verrentes eandem ita purgabunt atque mundabunt, ne mariti quicquam inueniāt, quod ipsos in bonis ipsorum cogitationibus perturbare & molestare possit: quippe quod cogitationes eorū adhuc ad *schem schamaiim*, Deum in cælo existentem erectæ sint. Iam si quis maritus domum è Synagoga reuersus inuenit pura omnia, tum,

Orach chaiim num. 155.

Brādspiegelium c. 10.

tũ manet ei *Sechel*, aut intellectus eius & animus purꝰ & imperturbatus; si vero inueniat cõtrarium, tunc intellectus ipsius inde turbidus existit. Vxor quoque proba, marito eius *sepher* siue librum quendam super mensa ponet, qui vel Pẽtateuchus Mosis, vel *sepher musar*, liber reprehensorius & morum correctorius sit; vt ex eo timorem Dei & ciuilitatem morũ discere possit: ideoque in eodem cum minimum horam vnam legat, prius quam ex ædibus negotiorum aliorum perficiendorum causa egrediatur. Illud *Chachamim* sapientesque Iudæorum viri didicerunt è verbis his, quæ apud Salomonem in Prouerbiis eius habentur, sic aientem: *Initium sapientiæ timor Domini est.* Per id enim ipsum docere voluisse volunt, quod in rebus agendis omnibus timere Deum, & discere verbum eius oporteat. Eodem quoque modo sapientes isti Rabbini *Pasuk* siue versum hunc Mosis *Vehaiah ekebh tischmeun* exposuerunt, vt Iudaicè nobis significet, Et erit calcaneus, vos audietis. id quod ipsis deinceps esse oportet, prius quam calcaneum extra domum efferatis, *thorah* siue legem discetis, legendo quidpiam in lege, audiendoque quidnã Deus præcipiendo fieri velit. Magna profecto *mitzuah*, & opus bonum est, quando *thorah* seu lex discitur, prout econtra peccatum ingens est, quando quis ei discendæ

Deut. 7. 12.

operam non nauat. Tempore templi prioris populus Hierosolymitanus multa mala peccataque commisit, incestus & idololatriam patrando. Peccata nihilominus eiusmodi Deus illis ignouit tantisper, dum lege contemptui habita, *thorah* amplius discere noluerunt. Tum enim Deus eos profligauit; quin etiam magna ex parte occidit, templumque eorum sanctum prorsus euertit. Hinc Deus apud Prophetam Ieremiam, *Quis* est *vir* inquit *sapiens, & intelliget hoc? & ad quem loquutum est os Iehouæ, & renũciabit illud propter quod* scilicet *perierit terra, & desolata sit veluti desertum, vt non sit transiens? Dixit autem Iehoua, eo quod dereliquerunt Legem meam, quam dedi coram eis, & non paruerunt voci meæ, nec ambulauerunt in ea.* In libro de-

Ieremi. 9. 12. 13.

Deut. 29. 24. 25.

inde Mosis quinto scriptum est sic: *Dicent omnes gentes, Quare fecit Iehouah sic terræ huic? quæ est ira furoris magni istius? Et dicent, eo quod dereliquerunt pactum Iehouæ Dei patrum suorum, quod pepigit cum eis, quum educeret eos è terra Ægypti.* Quibus ita sese habentibus, Iudæus quilibet religiosus post preces matutinas non statim ad negotia eius seruilia peragẽda excurret, sed vel domi propriæ, vel in *Beth hammedrasch*; siue schola studiis dicata prius aliquid in lege studebit ac discet, quod eum ad timorem Dei, piam & honestam vitam conuersationemve cum a-

liis

liis incitare possit: vt ea ratione adimpleat id, quod Dauid propheta regius affirmat: *Eunt de turma ad turmam, donec conspiciatur* quisque eorum *ante Deum in Sion.* Vel, quemadmodum bene secundum Iudaicam sagacitatem in *sepherle* siue libello de timore Dei scripto, expositum est: E cubiculo vno ingrediebantur in aliud, vt thorah nimirum discendo perciperent. Psal. 84. 4.

Cum domum reuersi sunt, tum *tephillin* seu fascias oratorias iterum deponentes, eas in cistulam reponunt. Et capitis quidem *tephillin* prius, post vero *tephillin* manuum; cum in finem, vt postea, cum rursus induturi sunt, *tephillin* manuum prius & attingant & induant. Nonnulli quoque vestem *Arba canphos* siue palliolum mandatorum diuinorum recordatorium appellatam, cui *zizis* adhærent, similiter exuunt. quanquam iudicio meo iustius esset, si ea sine intermissione vlla induti manerent, ne mandatorum Dei obliuiscerentur, & legem perpetuo exequerentur. Qui vero valde pii reputari volunt, ii vestem illam die toto sub thorace, lacernaue, cuius generis vestem plerumque semper gestare solent, gestant ita, vt *zizis* aliquantulum propendeant, & sub vultum eorum subire possint; eum scilicet in finem, vt à peccatis absterreantur. Sic ego tetricum quendam morosæ Sepher haiireach R. Mosis Gerundensis.

sanctitatis Rabbinum, synagogarcham, cum talibus *zizis* incedentem aliquando vidi tam longis, vt calceos propemodum pedum eius attingerent. Perinde enim, vt aliquis rei cuiusdam obliuisci nolens nodum nectit in cingulo, vt intuens in eum, rei, cuius obliuisci nollet, recordetur: ita fimbriæ hæ quinque nodales Iudæorum tot chartæ rememoratiuæ sunt; admonentes eos, vt à peccatis patrandis abstineant. Hinc sane fit, quod Iudæi omnes tam pii sint, vt mandata Dei seruent omnia; scilicet.

Salubre quoque ducunt, edere aliquid prius, quam tempore matutino opus suum peragere quis aggrediatur. Etenim cùm morbi sexagintatres fellis sint; hos tamen omnes fructulum panis & vini haustulus persanare potest. Quisquis autem vinum non habet, ei vel cereuisiam vel aquam bibere permissum est: *Raschi* dicente: *Kittun schel maiim lemi scheen lo iaiin*, quod est, poculum aqua plenum isti, qui vino destituitur, imperti. Ita ad res suas rite peragendas aptus erit.

Brãdspiegelium cap. 43.

Vxores probæ interea temporis cibos apparabunt, coquentes eos, vt mariti nimirum tempestiuè, cum domum reuersi sunt, cibum probè paratum inuenientes, diu præstolari necesse non habeant. In Talmudi tractatu de sabbato determinatum & ordinatum est, vt, cum iam horarum

rarum quinque spatio dies, quod circiter horam est vndecimam, luxit, prandium sumatur. Quod si quis expectet diutius, is facilimè in morbos incidat, quorum malitia debilis euadat. Corpus enim circa tempus illud nutritionem eius naturalem requirit. Quod si eam contrà nactũ nõ sit, tum cibat seipsum membris quodque ipsius, perinde atque aper tempore hyberno facere consuêuit. Illo enim tẽpore cibum nullum inueniens pedes proprios sugendo depascit. Vxores deinde operam dabunt, vt cibum purè coctum pure quoque apponant: prout scriptum est: *Ne impuras reddatis animas vestras in omni reptili, quod reptat, nec polluatis vos in eis, neque coinquinetis vos per ea. Quia ego Iehouah Deus vester. Sanctificate ergo vos, & estote sancti, quia sanctus sum, & ne polluatis animas vestras per aliqua reptilia, quæ reptant super terram*, &c. Leuit. 11. 43. 44. Hunc locum sublimiter sapientes Rabbini nobis interpretantur sic, vt dicant; quod ipsi per Deum iussi cibos puros edere debeant, vt hominibus, non pecoribus, mos est. Et certè si quis cibos tales non edat, ille se polluendo facit, vt coram Domino sanctus nõ sit. Mensa purè sternenda est, panemque integrum, qui & mundus & bene pistus, combustus interim non sit, super eadem ponere oportet; vt & gratiarum actio super eo fieri, & cibus assumendus rite be-

nedici queat. Quod si matres familiâs animalia domi habeât nutriēda, tunc illis prius pabula ministrabunt, quam ipsæ ad mensam sessum eant: prout *Rabbi Iuda* in Talmudo & docuit & mandauit, ideo quod scriptum sit: *Et dabo herbam in agro tuo pro iumentis tuis, comedesque, ac saturaberis.* Ibi *thorah* loco priore pecoris mentionem faciens vult, vt eius homo prius quam suiipsius misereatur: quod ita futurum sit, vt cibus ei saluatis sit, eodemque sumpto satur euadat. In libello *Sepher mitzuos naschim*, de mulierum moribus scripto legitur, quod officium mulierum sit, vt mox post preces matutinas, adeoque, prius, quam infantes e lectis elatos induant, pecus cibent: quod literis proditum sit: *Cognoscit iustus animam iumenti sui: miserationes autem impiorum crudeles.* Ergo si materfamilias Iudæa pecori tempestiuè cibum porrexerit, tum & iusta & proba nuncupatur. Eodem in loco legitur vlterius, quod domi pecus alere bonum sit: ideo quod *maareches* siue sydus & planetæ cælestes infortunium patri matriue familiâs familiæve ipsi superuenturum esse præsignificent. Iam, si temporis interea maritus vel vxor eius eleemosynas communicauerit, operaque id genus bona fecerit alia, tum *Saphra rabba*, magnus ille Cancellarius (hic angelus aliquis est) qui bonis operibus præpositus, para-

In tractatu Gittin cap 3. & 5.

Deut. 11. 15.

Prouerb. 12. 10.

tus est ea mox in commētarium eius referre; quo facto, in ipsum Dei prodit conspectum, & eum oratione affatur huiusmodi: *Ribbono schelolam*, quod est, Domine mundi, auerte infortunium syderis à viro hoc familiaue ipsius. Etenim hæc vel illa opera bona fecerunt. Tunc infortunium illud (cælum enim cursum suum necessario retinet) hominem quendam impium inuadit: quemadmodum scriptum est: *Iustus de angustia liberatur, impius autem venit loco eius.* Quod si fortassis impius nullus adsit, tunc infortunium illud pecus eius infestat, &c. Negotium autem hoc nimis est prolixum, & à mulieribus intelligi nequit vniuersum. Iam quoque prius, quam ad mensam assideatur, ad *bes hakkisse* siue locum secretum cuique abeundum est, ibidemque tentandum, si ventrem exonerare possit, vt ita cum stomacho vacuo corporeque puro ad mensam sessum eat. Etenim si corpus plenum ad mensam adducat, tunc ei cum corpore eodem morborum pleno rursus à mensa discedendum est. Hanc quoque rem sapientes Iudæorum sublimiter docti è versu hoc: *Et vetus propter nouum educetis*: cōcluserunt: quod per id, cibum è stomacho veterem prius, quam nouus in illum recipiatur, educēdum esse, significari putarint.

Prouerb. 11.8.

Leuit. 26. 10.

Lotio manuũ ante cibi sumptionem.

Orach chaiim num. 1571.

Ante omnia vero manus ita lauandæ sunt, vt purę purę fiant. Ad eam igitur rem aqua recens & pura, non turbida putridave sumenda est. Aqua verò pura est, quæ ad labores nullos vsurpata est. Impura est, in qua tempore æstiuali vinum frigefactũ est, vitra poculaque potoria alia eluta sunt, è qua denique gallinæ canesve biberunt. Vulgo familia prius se lauat, post eam materfamilias, postremo *baal baiis*, siue paterfamilias: eum in finẽ, vt & mox & recèns lotus ad mensam se conferens gratiarum actionem super pane pronunciet; prout deinde subiicietur. Et scribunt *Chachamim* siue Rabbini sublimiter sapientes isti; quod, quicunque paterfamilias id ritè peregerit, dum ad mensam assidẽs cibo fruitur, lædi non possit. Iam manus lotæ probè tergendæ sunt. Hinc legitur in Talmudo, *Rabbi Abhahu* dicere, quod quisquis panem manibus humidis & non bene prius absterfis edat, perinde faciat, ac si panem impurum edat: quemadmodum scriptum extet: *Sic comedent filii Israel, lachmam tame, panem suum pollutum inter gentes ad quas eiiciam eos.* Scriptura hæc iuxta interpretationem Cabalisticam sensum habet hunc, vt voces illæ duæ *lachmam tame*, secundum linguam Hebræam ratione literarum in se 168. comprehendant: quot numeros etiam constituant voces sequentes *Belo niggubh iadaiim*,

Tractatu Sotah, c. 1.

Ezech. 4. 13.

לחמים טמא בלא ניגוב ידים

*daïim*, quod est, sine lotione manuũ. sensusq; Cabalistic⁹ est, Israelitę panẽ ipsorũ sine manuum lotione edent, id est, impuri eum edent. *Rabbi* quoque *Iose* dicit in Talmudo, quod quisquis manibus illotis panem edat, perinde faciat, atque si apud meretricem cubet. Et hoc è Prouerbiis Salomonis quasi triturans excussit; vbi scriptum reperitur: *Propter mulierem meretricem* veniet homo *vsq; ad frustum panis*. Manuum lotionẽ cum ante cibi sumptionem, tum post eandem Iudæi certe tam diligenter obseruant, vt ex illis non facile reperias vllum, qui lotionis huius obliuiscatur. Tanta, inquam, solicitudine lotionem manuum obseruant, vt nemini se lauanti annulum in digito retinere liceat, ne quid forsan immundi sub annulo restet. Quam annuli de digito detractionẽ tam accurate obseruant quoq; ipsam, vt si quis se lauans illũ nõ detraxerit, eum perinde facere existiment, atque si manibus illotis ad mensam cibi capiendi gratia sessum se conferret. Legitur in Talmudo, quod *Rabbi Akibha* inter *Goïim*, quod est, inter gẽtiles seu Christianos in carcere vspiam fuerit detentus. Huic *Rabbi Iehosua* Garsites diebus singulis aquæ tantum afferebat, quãto ei & ad manus lauandum, & ad sitim restinguẽdum opus erat. Tempore vero quopiam custos carceris, seu incarceratorum magi-

Tractatu Sotah. c. 1.

Prou. 6. 26.

Tractatu egubhin. cap. 2.

ster ei aquam abstulit, partemque dimidiam illius in terram effudit. *Rabbi Akibha* viso quod aquæ non satis attulisset, ad *Rabbi Iehosuam*, Porrige mihi (aiebat) aquam istam ad manus meas lauandum. Cui *Rabbi* Iehosua, *Rabbi* mi, inquit, aqua ista tibi non sufficit ad potum. Cui *Rabbi Akibha*, Quisquis inquit, manibus illotis cibum capit, is mortis reus fit. Melius ergo mecum agetur si præ siti moriar potius, quam vt maiorum meorum traditiones contemnam.

Tractatus Ioma de festis c. 8.

Historia de lotione manuum legitur in Talmudo præter hanc, alia. *Rabbi Meir*, *Rabbi Iosa*, *Rabbi Iuda* simul aliquando proficiscebantur: Venientesq; ad hospitem quẽdam Iudæum petebant ab eo, vt ipsos hospitio exciperet. Tẽpore namq; sabbatino Iudæis proficisci permissum non est. Et *Rabbi Meir*, ex hospite, quidnam ei nominis esset, quærebat. Hospes ei respondens, sibi nomen *kiddori* esse dicebat. Quo responso accepto *Rabbi Meir*, statim cum animo suo cogitat, Hospitem hunc hominem improbum esse oportet, qui nomine tam malo vocetur, vt me sententiæ huius: *ki dor tahapuchot hemma.* Deut. 32. 20. *Generatio peruersitatum sunt, & filii, in quib. nulla est fides*, commonefaciat. Quod quãuis ita cõtingeret: *Rabbi* tamẽ *Iose* & *Rabbi Iuda* hac hospitis nomenclatione tam ominosa adeo nõ offendebantur, quin sar-

cinu-

cinulas eorum eidem per diem sabbati committerent adseruandas. *Rabbi* vero *Meir* id facere non volens, abibat, sacculumque eius in sepulchrum patris hospitis defodiebat. Tempore nocturno hospes per somnium monebatur, vt ad sepulchrū patris festinanter sese conferret, quod effosso illo sacculum pecunia refertum inuenturus esset. Mane iam facto hospes *Rabbi Meir* somnium quod ipsi de nocte fuerat oblatum, narrauit: *Rabbi Meir* ei respondens, Somnia, inquit, illa, quæ quis de nocte sabbatum præcedente somniat, nihili facienda sunt: quibus dictis ab eo discedens per sabbatum totum sepulchrum patris hospitis custodiebat, ne veniens iste sacculum ei auferret: sollertiaque tanta sacculum sabbato iam præterito recepit. Die dominico cæteri sacculos ipsorum ab hospite repetierunt; quos iste se non accepisse constanter affirmauit, illos apud ipsum nihil plane custodiendum deposuisse confirmans. Adducunt igitur illum in œnopolium, speratites se ab isto per tractationem illam amicā, sacculos se recepturos esse. Quod dum facerent; forte conspicati, quod adhuc siue lentes siue pisa in barba haberet hærētia, cogitabant, eū tempore meridiano sine dubio lentes edisse. Rursus ergo discedentes ab ipso, redibant ad vxorē eius aiebantq;, quod ipsa illis sacculos ipsorū

quos marito adseruandos tradidissent, reddere deberet. Hoc enim vt faceres, maritus tuus, per nos indicari, & vt id sic esse credere posses, se meridie lentes edisse, tibi significari iussit, aiebant. Mulier signo bono illo percepto, reddidit illis sacculos ipsorum: quib. iterũ acceptis iter inchoatum absoluere cœperunt. Maritus autem mulieris domum reuersus, audito quomodo res gesta fuisset, vxorem verberibus adeo multis onerauit, vt paulo post vitam cum morte commutarit. Hæc historia docet euidenter, quod post cibum sumptum quisq; lauare se debeat. Etenim si hospes hic manus lauisset, os quoque ipsum & barbam absterssisset: viatores isti duo signum in barba eius non animaduertissent; quo non animaduerso, sacculos etiam suos non recepissent, & hospita eorum vitam non amisisset.

Historia quædam alia legitur in Talmudo de Iudæo, qui carnes edit suillas, ideo, quod manus ante cibi sumptionem nõ lauisset. Res autem gesta fuit hoc modo. Hospes quidam Iudæus erat, qui tam Christianos quam Iudæos hospitio recipiebat. Quoties Iudei ad eum diuertebãt, eos in primis agnoscebat ex eo, quod sẽper ante cibum capiendum manus abluebant; ideoque ille ipsis carnem & puram & bonam, quæ in lege & præcepta & permissa erat, ad edẽdum proponebat. Quo-

ties

ties vero *Goiim* siue Christiani veniebant, illis carnes suillas apponebat edēdas. Accidebat igitur aliquando, vt veniens aliquis Iudæus ad mensam se conferret, ante id manuū lotionis oblitus. Hospes igitur sibi persuadens eum *Goi* siue Christianum esse, carnes ei suillas apposuit gustandas. Iudæus iste ea de re non cogitans quicquam, carnes (præ nimia fortassis esurie) suillas istas appetitu cum magno comedit. Cum deinde hospes eum cibos assumptos satis magno redimere iuberet, Num caro (inquit ille) bouina tam magni æstimatur? Cui hospes, amice mi, inquit, tu carnes suillas & assatas & non paucas edisti. Carnes autem suillæ nunc temporis valde carę sunt. Quo perspecto Iudæus ille miser perterritus nō parum, quod peccatum tam grande commisisset, pœnitentiæ & mulctæ subiectus est ingenti. Hoc vsuuenit Iudæo isti, quod ante cibi sumptionem manus non lauisset: qui casus aliis omnibus admonitioni esse debet, vt quotiescunque cibis aliquibus vesci velint, prius quam tales attingāt, manus lauare meminerint. Iesaias, *Pedes*, inquit, *eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes iniquæ, vastitas & contritio in viis eorum. Viam pacis non nouerunt, nec est iudicium in viis eorum: semitas suas peruerterunt sibi, quisquis gradi-* Iesa. 59. 7. 8.

Matth. 15.1.2.3. *tur per eas, nesciet pacem.* Matthæus Apostolus, *Tunc*, inquit, *accedunt ad Iesum Hierosolymitani quidam Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, quum edunt panem. At ille respondens dixit eis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram?*

Marci 7. 2.3.4. Marcus, *Tunc*, inquit, *coguntur ad eum Pharisæi, & quidam ex scribis, qui venerant Hierosolymis. Et quum vidissent quosdam ex discipulis eius pollutis manibus (id est, illotis) edere panes, questi sunt. Nam Pharisæi & omnes Iudæi, nisi certatim lauerint manus, non edunt, tenentes traditionem maiorum. Et à foro venientes, nisi loti fuerint, non edunt; & alia multa sunt, quæ acceperunt tenenda, nempe lotiones poculorum & sextariorum, & æramentorum, & lectorum.*

## CAP. VII.

### *Quomodo Iudæi cibum capientes vulgo se gerere consuêrint.*

CApite præcedente dictum est, quod paterfamiliâs vulgo postremus manus lauet, idq; ideo, vt euestigio ad mensam sessum ire, benedictionemque super mensæ impositis pronunciare possit: ita, vt inter manuum lotionem & mensæ benedi-

nedictionem rem nullam siue tangendo siue verba faciendo gerat aliam. Id autem sic obseruatur; nō solum ob id, ne ei, quis-quis id eum in modum facit, interim dū cibum capit, mali quid eueniat; sed & ob hoc, quod *Chachamim* eius rei argumentum siue probationem è Psalmi cuiusdam Dauidici sententia hac: *Attollite manus vestras* ad *Sanctuarium*, *& benedicite Iehoua*, depromserint. Inde enim sapientissimi isti res duas didicerunt: quarum vna est, quod quādo mānus ante cibi sumptionem lauantur, tollendæ sint in altum, ne videlicet aqua illa, quæ prima manibus superfunditur, statimque immunda fit, deorsum labens digitos faciat impuros. Altera deinceps est, quod quam primum manus lotæ sunt, & ita sanctificatæ, orandum sit, actioque gratiarum super cibo capiendo dicenda. Psal 134. 2. Tractatu. Talmud. Sotah cap. 1.

Mensæ cum assederunt, oportet vt panis aliquis integer & sal super eadem prę-sto sit: sumitque *baal habbais* siue paterfamiliās, vel etiam *Rabbi* supremus ad mensam assidens panem illum in manus, & ea in parte, vbi & purissimus, & omnium optimè pistus est, scindit quidem; sed non ita, vt panem in partes duas partiatur; depositoque mox pane duntaxat inciso manus ambas superimponit, & *beracha* siue benedictionem super eo- Orach chaiim num. 167. & 201.

pronunciat verbis his: Benedictus esto domine Deus noster, rex mundi, qui panem è terra producis. Frustulum deinde prius incidendo tantummodo factum à pane toto defringit, illudque in salem indens, vel in bullitionem quandam (siquidem aliqua præsto sit) immergens, edit euestigio, verbum loquês interim nullum. Id enim si faceret, benedictionem denuo dicere teneretur. Frustum vero à pane satis magnum scindêdo aufert: ne pro *Tzaraiin*, id est, auaro & parco, qui in opere bono parsimonia vti cupiat, habeatur. Est autem in hoc casu necessarium, vt, cum minimum, duo vel tres mensæ assideant vnà: aliàs quilibet pro se *beracha* siue benedictionem illam pronunciare cogeretur. Hoc ita peracto paneque in manus resumpto, scindit ab eodem pro quouis vno quotquot eorũ sunt, frustum apponês cuiq; prout sedet: vt singuli portionẽ capientes ea vescantur sic, vt ipse eis vel in manus, vel in os non indat quicquam.

Similiter etiam *beracha* seu benedictionem super vino pronunciat, in regionibus præsertim illis, in quibus vinum plærumque bibunt, & vbi *minian*, numerus integer, decem scilicet non solum, sed & pauciores, vt sunt tres, adsunt, præsentes. Deinde poculum habens singulare vino plenum, apprehendit illud primo quidem manibus ambabus, postea vero retinet

tinet in manu tantummodo dextera. Quod si poculum & magnum & ponderosum sit, licet ei manum quoq; sinistram ad id applicare: sic tamen, vt manum sinistram illam dexteræ subiicere teneatur. Quo facto, eleuat id super mensa in altum quam lata manus est; oculisque immotis in poculum conuersis, honoris ergô paululum surgens; Benedictus (inquit) esto domine Deus noster, rex mundi, quod fructum vitis condidisti. Communiter vero receptum est inter Iudæos, vt quotiescumque cibus non capitur per eorum complures vna sedentes; singuli, cum primo bibunt, benedictionem pro seipsis super vino pronuncient. Vbi cereuisia vel hydromeli bibitur, ibi benedictio eadem super istis adhibetur. Iudæi vero diuites poculum vini benedictum epotant: quantumuis deinde cereuisiam pitissent. Super aqua benedictio pronunciari per eos non vlla consueuit. His ita peractis, paterfamilias Psalmum Dauidis vigesimum tertium proponit. Deinde & ipse, & reliqui vescentes laute viuunt, si, vnde possint, eis suppetat. Peropus autem est, vt cæteri, qui benedictiones non peragunt, pronunciatione vocis Amen obsignêt eadem. Hinc legitur in Talmudo, quod, quisquis *Amen* illud cũ bono animi zelo & attente pronunciet, is & multo dignior & pluris æ-

stimetur, quam qui benedictionē ipsam, super cibo recitauit, affirmatur. *Chachamim* & sapientes *Rabbini* assimilant, hanc rem ei, qui epistolam nomine alieno conscribit, quæ tum demum pro rata, firmaque habeatur, si is, cuius nomine exarata fuit, accedens, obsignet eam: sic & illi, qui post benedictionem peractam dicant *Amen*, benedictionem eandem obsignent, & vt rata sit, præstent.

Quod salem super mensa esse oporteat, id ad recordationem sacrificiorum temporibus antiquis fieri solitorum fit. Mensa enim nunc temporis altari assimilata est.

Leuit. 2. 13. Cibus autem mensæ impositus sacrificiis comparatus. Iam vero quia scriptum est: *Omnem oblationem minha tua sale sales, neque cessare facies sal fœderis Dei tui à minha tua: in omni oblatione tua offeres sal.*

Quare mensa nulla sine sale erit. Quod panem scindendo non diuidunt in partes prius, quam benedictionem super eo protulerint, ideo fit, quod *Chachamim* docentes affirment, eum quicunque panem scindendo partiatur, Deum per id offendere: cum scriptum sit, *vhozeah berechnietz adonai*, id quod Iudaice bene transfertur sic: Quicunque prorsus abscindit, benedictionemque pronunciat, is Deum offendit.

Psal. 10 3.

Vers.

Verbum illud Hebræum *bozeah* equidem nonnunquam scindere vel abscindere designat: hoc autem in loco significatum istum non habet: quemadmodum in Psalterio Germanico illi quoque ipsi sic redditum non habent.

Sed secundum intellectum Rabbinicum sic reddi oportet, prout in *Orach chaiim* (qui liber est paruus, in gratiam & mulierum & puerorum Germanicè trãslatus; in quo breuiter describitur, quo modo mortalium quilibet per vitam totam gerere se debeat) videre est.

Quod manus ambas digitis earum de- Pag. 41.
cem expansis, pani superimponunt; id in recordationem decem mandatorum diuinorum, quæ Deus causa frumenti, vnde panis conficitur, promulgauit, ab illis fieri consueuit.

Mandata vero illa hoc in loco breuitatis causa recensèri non possunt: quæ & ipsa scripta reperiuntur loco paulo prius adducto.

Faciunt autem deinceps id ipsum propter sententias quasdam scripturæ, vt earum recordentur.

E sententiis illis hæc est vna: *Qui germi-* Psal. 104.
*nare facit fœnum pro iumentis, & herbam* 14.
*ad vsum hominum, vt educat panem è terra.*

Psal.145. 15. Altera est hæc: *Oculi omnium in te sperant, & tu das illis escam suam in tempore suo.* Tertia est hæc: *Iehoua enim Deus tuus introducit te in terram optimam, terram torrentium, aquarum, fontium, & voraginum erumpentium, per valles & per montes. Terram frumenti, & hordei, & vitis, & ficus & malogranati, terram oliuæ, olei & mellis*: aliæque generis eiusdem complures: quæ in lingua Hebręa verbis tantummodo decem spectantur. Ita precatiuncula benedictionis quoque ipsa verbis totidem constare deprehenditur.

Deut. 8. 7. 8.

In benedictione super vino facienda rerum cumprimis quadruplicium rationem habere oportet. Harum omnium signum recordatorium vel memoriale, est vocula *chamischah*. Huius litera prima *ches* significat *chai*, quod recens est: cum vinum & recens esse, & è cantharo pleno in poculum infundi debeat. Litera secunda *Mem* significat *male*, quod est, plenum: cum poculum vino impleri debeat: prout scriptum est: *O Naphthali satur beneplacito, & plene benedictione Iehouæ, occidentem & Meridiem possidę*. Hîc enim quia dicitur Naphthali benedictione Iehouæ plenus futurus, Chachamim concludunt, poculum ipsorum tale, super quo benedictio proferatur, vino plenum esse debere.

חמשה

Deut 33. 23.

Si

Si quis è poculo tali bibisset prius, quã benedictio super eo pronũciata fuisset, è cantharo recente plenoque rursus implẽdum esset. Quod si vini in cantharo non restet quicquam, tum illud quod adhuc in poculo est, in cantharum purum, rursumque è cantharo in poculum infundere oportet. Tum enim *caschar* & bonum est vinum. Litera tertia significat *schetiphah*, quod est, ablutio: innuens quod poculum exteriore eius parte aqua frigida ablui debeat. Litera postrema *He* significat *Haddacha*, elutionem. Cum poculum interiore quoque eius parte frigida elui debeat. Quod eos poculum manibus ambabus eleuare super mensa deceat, id sententia hac: *Attollite manus vestras ad sanctuarium & benedicite Iehouæ*, magistraliter ostendunt. Psal. 134. 2.

Dum cibus mãditur, tum quilibet modestissimè se gerens, sedere se in cõspectu Dei ipsius, cogitabit: prout de decimis agrariis: *Et comedes coram Iehoua Deo tuo*, &c. Item; *Hac est mensa, quæ est coram Iehouah*, dicitur. Paterfamilias diu apud mensam manebit, expectans dũ pauperib. aduenientibus de mẽsa eius aliquid impertiatur. Opus hoc in primis bonum est. Quisquis enim diu apud mensam manẽs cibauerit egenos, eius vita prolõgabitur, vt legitur in Talmudo. De talibus quoq; propheta locutus est: *Nonne*, inquiens, *hoc* Deut. 14. 23. Ezech. 41. 22. Tractatu berachos de benedictionibus. Iesa. 58. 6. 7.

*iciunium est, quod elegi, vt frangas esurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum?* Nemo quoque plus quam sat sit, edere debet; prout *Rabbini* isti sublimiter sapientes in Talmudo scripserunt; Semper, aientes, erunt in ædibus tuis egeni. Id enim intelligunt isti sic, quasi nunquam quisquam ad satietatem edere debeat; quemadmodum homines egeni, qui quantum sufficiat ad edendum, non habeant. Panis purè sanctèque tractandus est: quemadmodum in Talmudo præscriptum legitur. Panis nimirum honore triplici afficitur. Primò enim, vas nullum super eo statuitur. Secùdo, nulla patina pane suffulcitur. Tertio, panis post rem nullam iacitur. Quisquis panem dedignatur & contemptui habet, is in paupertatē prolabitur ingentē. prout scriptū est: *Vagatur ipse ad panem.* Rabbini sapiētes scribunt in Talmudo quod genius quidā singularis ad hoc solum deputatus sit, vt obseruet eos qui tam negligentes sint, vt panem ipsorum incogitantia humi prolapsum pedibus conculcari sinant. Hic, si quos tales inuenerit, illos ad paupertatem redigit. Huic genio Nabeli nomen esse ferunt. Angelus hic virum quendam diligentissimè quondam obseruans, nihil aliud cupiebat, quam efficere, vt in paupertatem incideret. quod vbi accideret, genius fore sperabat, vt

Tractatu berachos de Benedictionibus.

Iob. 15. 23.

Tractatu cholin c. 2.

panem

panem aliquando super terra relinqueret pedibus conculcandum. Tempore quodam vir ille super viride gramen in agro sessum se recipiebat, edebatque panem. Tum genius iste mox cogitare sicque cum animo suo dicere: Iam tandem aliquando sic se geret iste, vt compos voti mei futurus sim: micas enim istas, quæ è manibus edentis in gramen incident, indidem rursus eligere non poterit, vnde cogetur illas ibidem pedibus conculcandas relinquere. Vir autem iste cum edisset, pala in manus accepta gramen vna cum micis in id delapsis è terra excindebat, & in mare coniiciebat: vnde fiebat, vt pisces micas istas è gramine collectas & manderent, & satiarentur eisdem. Quo facto vir idem vocem in aëre percepit, Væ inepto mihi, dicentem; quod me vir hic ex habitatione mea in vanum elicuerit! Nulla enim puniendi ipsius mihi per ipsum occasio data est.

Interim dum quis edens cibum adhuc in ore masticat, non loquetur quicquam, prout in Talmudo scriptum est; ne forte cibus aliò quàm in œsophagum labatur, vnde mandens sermocinando præfocatus emori posset. Et quamuis aliquis sternutaret; tamen is qui edit, sternutanti illi non debet *assusa*, quod est, *salus*, vel *Deus te iuuet*. &c. Sapientes isti sanctiq; Rabbini scribũt, quod vates Elias semper adsit

Tractatu Taanis de ieiunio. Orach chaiim num. 170.

cibum super mensa capientibus; quodq; mortalium quilibet genium vel angelum habeat proprium, qui assiduus ad mẽsam astans, quomodo oretur, quidnam dicatur, quid apud mẽsam geratur, auscultet. Quod si mensæ assidentes de verbo Dei è sancta illa *thorah* colloquuntur, tum manet apud illos; quo fit vt illis cibus assumptus salutaris sit. Qui, si contra nugis inanibus tempus terunt, discedit ab illis, venitq; genius alius quidam malus & inauspicatus in boni illius & auspicati locũ, rixas, verberationes, morbos, quam primum mensa fuerit remota, causans, &c. Istiusmodi quoq; non saturantur, quantumuis edãt quamplurimum, prout scriptum est: *Iustus comedit ad saturitatem animæ suæ; venter autem impiorum egebit.* Et quoniam genius aliquis siue bonus siue malus ad mensam adstat, inde fit, vt osficulà spinulasque piscium nec in latus, nec in tergum quis abiiciat, metuens nimirum, ne quam creaturarum istarum inuisibilium attingat. Idea quoque de causa non faciunt Iudæastri, ne sese canes ob eiusmodi res abiectas mordeant, & ipsi ab illis apprehensi in pedibus saucientur. Ea quoque ratio est, cur numquã cultellum super dorso iacere permittant: ne creaturæ videlicet angelicæ nec non spirituales istæ per aciem cultellorum sic iacentium lædantur. Medulla quoque ex ossib. eius

Prouerb. 13. 25.

super

super quadram excutienda non est. Per id enim & mali & impuri spiritus excitati opinantur, quod hominum inter se digladiantium alii verberent alios, ideoque accedentes nocent iisdem. Panis autem frustulum ossibus excutiendis supponendum, & in id medulla leniter excipienda est, &c.

Temporibus quoque superioribus inter carnium nec non piscium esum & manus & os ipsum lauare soliti fuerunt: id quod hodiernis non admodum curant. hoc saltem videndum putant sanctuli, ne carnes & pisces edant coniunctim, sed illas post hos seorsim. Id tamen faciendum est sic, vt prius quam pisces in os ingerantur, dentes eius à carnib. inhærentibus emundentur: quo facto & frustulum panis sicci edatur, & haustus vini in os ad id eluendum sumatur: sicque discrimen aliquod inter carnes pecudum pisciumque statuatur. Cultrum, quem ad carnes edendas adhibuerunt, ad butyrum vel caseum, vel quicquid è lacte cõfectum fuerit, edẽdum adhibere nefas esse ducũt. Lac quoque vnà cum carnibus tempore vno & eodem sibi apponi nõ permittunt adeo, vt illud has attingere religionem putent. eaque super re & leges & ordinationes habẽt complures; de quibus in capite quodam seorsim per nos aliàs agetur.

Probus quoque vir mensæ assidens cogitare debet, quam vana transitoriaque res sit homo: cibus item & potus quam vana res & inanis sit; cum parte eius omnium minima in homine manente, maxima per secessum ex homine eodem excernatur; prout de hoc *Marzuira* super prophetæ Dauidis sententia hac: *Propter hoc orabit omnis misericors ad te, tempore inueniendi*, lees metzo, id quod Iudaicè est, tempore illo, quo id extrahitur, vel excernitur. Sentiunt nimirum Rabbini isti tam profundè docti, quod ille vir probus sit, qui, quando edit & bibit, cogitat, quod quicquid ingesserit in ventrem, id indidem per secessum naturalem rursus excernere cogatur. Voces autem duæ illæ *lees metzo* vulgo significant *tempore inuentionis eius*, id quod est, *tempore oportuno*, quando Deus inuenitur, vel eo tempore, quo iustum virum anxietas & necessitas vrget. Sed vt ad rem redeamus; Iudæus superiora illa apud mensam cogitans, vt vitam temperantem ducat, sibi perneceſſarium esse meminerit; videbitque ne conuiuiis sumptuosis instituendis superbiens res suas insumat: qua parsimonia pecuniæ multum colligens ditissimus euadet.

Tractatu berachos de benedictionibus, c. 1. p. 8. Psal. 32. 6.

Quod si inter edendum vinum melius, potusve melior secundum vulgarem ordinariumque potum super mensa po-

sa ponatur, tum is, qui primus de potu tali bibiturus est, precatiunculam quandam super eo pronunciare tenetur. talem nimirum: Benedictus esto Deus, domine noster, domine mundi vniuersi, qui misericors sis, & bene facias hominibus.

Eodem quoque modo super cibis eximiè singularibus, quibus quotidie vesci mos non est, is qui sumpturus est illos; Benedictus (inquit) esto Deus, &c. qui cibos multiplices crearis. Quod si quis fructibus ex arbore crescentibus; quales sunt vuæ, ficus, poma aurantia, oliuæ, amygdala, castaneæ, poma vulgaria, pyra, iuglandes; fraga, &c. ille, Benedictus (inquit) esto Deus, &c. qui fructus arboreos hosce crearis. Super eo quod non ex arboribus, sed è terra simpliciter exortum est, Benedictus, &c. qui fructus terræ crearis, pronunciari consuêuit.

Super cibis aliis, qui neque ex arboribus, neque è terra creti sunt; super caseo nimirum, butyro, piscibus, carne, lacte, melle, &c. Benedictus, &c. per cuius sermonem quodcunque creatum est, dici mos est. Quod si quis pomum, vel simile quid in manus sumat, & benedictionem seu precationem super eo pronunciet, illudq; ipsi prius quam in os ingerat, è manibus excidat; tum, Benedictum,

(inquit) esto nomen maiestatis regni eius, ex hoc & in æternum. Et ita quidem loquitur ob id, quia prius in vanũ precatus est, eaque precatio illi non profuit, nomenq; Dei frustra nominauit; id quod peccatum magnum est. Quod si pomum ei è manibus elabatur prius, quam precatiunculam super eo edendo faciẽdam absoluerit; tum: O domine, (inquit) doce me mandata tua. Quod si quis oblitus est orare, & iam tum alimenti quidpiam in os ingessit; si quidem potus sit, in ventrem bibendo demittet, moxque deinde precatiunculam super eo dicet: si vero cibus edulis sit, tum in laterali oris parte seorsim retinebit tantisper, dum precatiunculam super eo recitarit: quo facto in stomachum demittet. Cibus idem si integer adhuc & nondum masticatus sit, tunc super eo mox ex ore rursus exempto precatiunculam conuenientem sibi dicendam esse probe nouit. Iam, quemadmodum neque edere neque bibere fas est, sine precatione & gratiarũ actione; ita nec odore aliquo bono qualicunq; frui licet, absq; gratiarum ad Deum directa actione. Super odore bono ex eo, quod è ligno prouenit, qualis est rosa, thus, cynnamomum, &c.

Berachos cap. 7. pag. 50.

Orach chaiim num. 218.

Benedictus esto Deus, &c. qui bonum gustum indideris ligno aromata proferenti, dicere solent. Super odore bono fru-

fructuũ, quales sunt poma cõmunia, nux moschata, Benedictus, esto Deus, &c. qui bonum odorem pomis indideris. Super balsamo, oleoque alio bene olenti, vel aquis bene olentibus: Benedictus esto Deus, &c. qui & dulcia & bene olentia olea crearis. Super herbis bene olentibus: Benedictus, &c. qui herbas ad instar aromatum bene olentes crearis. Quod si quis Iudæus in pharmacopoleum, vel cubiculum aliud ingrediatur, vbi aromata multiplicia nec non odores boni fragrẽt, Benedictus, (inquit) esto Deus, &c. qui aromata generis omnis bene fragrantia crearis. Quid multis? Opinionem hanc tuentur mordicus, scribuntque, nulla re, vbicunque terrarum ea nobis offeratur, vti frui fas esse cuiquam, nisi super ea precatiuncula prius ad Deum facta. Hinc est, quod quisquis vtatur fruatur aliqua re, & de ea Deum non laudet, is prædo vocetur, quippe qui Deum & donis & bonis eius iniuste spoliare non vereatur. Hæc consuetudo illorum si animo ad Deum intento sineque superstitione fieret, improbanda non esset. Illi vero prout in hac, sic & in rebus aliis agendis omnibus potius ad opus externum, quam internum respicientes, virtutem dignitatemq; omnem in verbis defigunt: his nimirum prolatis omnia quamoptime sese habere putantes.

Semper super mensa frustum panis re-

fiduum relinquunt; idque religione tanta, vt quisquis idipsum non faciat, is benedictionem nullam consecuturus esse videatur: quemadmodum in Talmudo super sententia hac: *Non est quod reliquum sit ad comedendum illud, propterea non multiplicabitur bonum eius*: disputatur. Quod autem reliquum quidpiam faciendum sit, id verò in libro Chronicorum secundo præceptum est. Ibi enim scriptum est: *Ex quo cœperunt oblationes inferre ad domum Iehouæ, comedimus, & saturati fumus, & reliquimus in magna copia.* *Rabbi* vero *Eliezer* asseruit, panem integrum super mensa relinquêdum non esse propter id, quod idololatriam quandam præ se ferret, prout seculis superioribus vsuuenerit; de quò iccirco vates Esaias conquestus: *Vos autem*, dixerit, *qui derelinquitis Iehouam, qui obliuiscimini montis sanctitatis meæ, qui paratis exercitui cæli mensam*, quique *adimpletis numero* stellarum *libamen, numerabo certè gladio*, &c. Iam verò mensa illa, super qua fructulum panis relictum est, non dicitur instructa; quod talis esse dicatur duntaxat ea, super qua panis integer relictus sit. Id quod temporibus illis priscis fieri consuêuit. Etenim cum comedissent saturatique fuissent, loco gratiarum actionis, deastris quoque mensam adornauerunt. De pane vero illo, super quo ante cibi

Tractatu Sanhedrin c. 11. Iob. 20. 21.

2. Paral. 31. 10.

Esa. 65. 11.

cibi sumptionem benedictio pronuncia-
ta fuit, semper particula super mensa re-
linquitur; ideo, vt super ea aliquid sit, su-
per quo benedictio requiescere possit.
Quod si panis totus ederetur, tum bene-
dictio super mensa nulla residua futura
esset.

Iam prius quam à mensa discessuri pre- Minha-
centur, cultros abscondunt. Vel tollit v- gim p. 6.
nusquisque illum qui eius est, & in vagi-
nam recondit. Legitur enim in *Gemara*,
quod, cum quidam cultros in mensa re-
liquissent, & is, qui cæteris ad precandum
præiret, in actione gratiarum seu preca-
tione super mensa dicenda veniisset ad
verba hæc; *Reædifica ciuitatem sanctam il-
lam Hierosolymam, idque citissimè in die-
bus nostris; Benedictus esto Deus, qui ciuita-
tem tuam Hierosolymam reædificas*, &c. & i-
ta deuastationis vrbis Hierosolymitanæ
& templi eius sancti recordatus fuisset,
tam tristis vecorsque factus fuerit, vt cul-
tellum mox arreptum in cor sibi adege-
rit, & semetipse vita priuauerit.

Temporibus quoque vetustiorib. con-
suetudo fuit, vt in loco sub mensa & cir-
cum eandem sito micæ scopis conuer-
rerentur; manus item, nec non os apud
mensam super mallùuio, non super hypo-
causti superficie (illud enim præstigiarum
causa cum periculo coniunctũ fuisset) ab-
luerẽtur prius, quam mensis remotis gra-

tiæ Deo dicerentur, & illud ea quidem de causa, vt oratio, & nomen Dei ore puro proferri nominarique possent: tempestate verò nostra id pigritiæ causa in desuetudinem abiit; fitque tum primum, quando oratur & à mensa plane resurgitur.

Itaque cum Iudæi ad satietatem ederũt, tum *baal habis*, paterfamilias, vel *Rabbi* quispiam; vel extraneus & hospes, siquidem talis adsit, gratiarum actionem post mensam recitat. Precatio vel oratio prolixa est, in qua Deum laudantes gratias eidem agunt, quod & ipsos & creaturas alias omnes cibet, potet, per bonitatem eius sustentet, patres ipsorum ex Ægypto eduxerit, eisdem terram Canaanem hæreditariè possidendam dederit, cum illis pactum pepigerit, legem quoque dando promiserit, quod illos in perpetuum conseruaturus esset. Rogant & obsecrant eum, vt vrbis Hierosolymitanæ misereatur, templum sanctum, & regnum Dauidicum mox in diebus ipsorum reædificare & restaurare; illis & Eliam & Messiam mittere, è diutissima hac miseria liberare; contra paupertatẽ, ne à Christianis (quos in hac oratione homines, qui nihil aliud sint, quam caro & sanguis, dicere volentes, quod nos miseri, mortales, perditæq; creaturæ simus; quibus cum Deo cõmercii nihil intercedat, qui execrationi subiecti & plane reiecti, moriamur pereamusq;

musque non aliter, quam pecora: cum ipsi contra populus sanctus, peculium & hæreditas Dei ipsius sint, appellitãt) quicquam commodato, vel eleemosynas accipere cogantur, præseruare; plenitudine manus eius sustentare; neque vt pudefiant, permittere dignetur; sed vt iugum Christianorum à ceruicib⁹ ipsorum abrumpere, manifeste in terram ipsorum reducere, benedictionem super mensam domus istius, in qua comederint, amandare, patrẽ & matrẽfamiliâs, liberos eorum, posterosque omnes opulenter ditare velit, &c. Ad quæ alii omnes clara voce succlamantes *Amen*, cum animis eorum è Psalmo Dauidico, *Timete*, dicunt, *Iehouam sancti eius: quoniam non est penuria timentib. eũ. Leunculi indigebunt, & famem patientur: sed quærentes Iehouam nõ deficient omni bono.* Hoc autẽ ore panis carniumque tam vacuo, ne vel mica panis aut carnis vlla in dentibus eius vspiam hæreat, secum dicere tenentur. Cum scriptum sit: *Repleatur os meum laude tua, tota die gloria tua.* Psal. 34. 10. 11. Psal. 71. 8.

Preces autem semper eo in loco, in quo comestum fuit, fieri necesse est. Hinc enim *chachme hakkabalah*, sapientes Cabalistæ scribunt, quod, quicunque non orent loco in eo, vbi conuiuium celebrarint, ii non perueniant *al kebhurah*, id est, ad sepulturam, quippe qui moritu- Orach chaiim nũ. 184.

ri sint morte tali, quâ sepulturam consecuturi non sint; quum vel suspendendi, vel in aquis, vel alio modo non absimili periturisint. Fuit aliquando tempus, quo Iudæus quidam & pius & probus in agro cibis refectus & saturatus precationis aut gratiarum actionis oblitus est.

Itaque cum per aliquod temporis interuallum sat longum ab eo loco, vbi cibum sumpserat, discessisset, seque actionis gratiarum oblitum fuisse recordaretur, ad viæ comitem conuersus se ad locum illum, vbi cibum cepisset, redire oportere dixit: quod ibidem vtensile preciosum quoddam liquisset. Cum reuersus eô precatus fuisset, Deus effecit, vt *nes* vel miraculum quoddam contingeret.

Creauit enim illi columbam auream, quam Iudæus probus ille mercedem probitatis & pietatis eius secum abstulit, quod præceptum Talmudicum hoc diligentia tanta seruasset. Hoc mirum fuit in loco isto. In Paphlagonia mirum non fuisset, tametsi columba ad ignem bene assata in buccam eius inuolasset. Miraculum autem hoc sine dubio non procul ab aurifodinis Indianis abesse potuit.

Quis enim non credat è fodinis illis auriferis columbam euolasse hanc, & volatu fatigatam, hîc super terram ex alto quiescendi gratia delapsam fuisse?

Chachu-

*Chachamim* siue sapientes probique Iudæi iubent etiam, ne quis per septimanam conuiuia multa instituat, caueatque ne se gerat ita, quasi dicta septimana diebus feriationi soli destinatis cõtet: quod etiam facere quis non debeat, vt aliqui, facere non dubitent, qui conuiuium apparantes, & ad id alios inuitantes, Hodie (aiant) vos apud me conuiuabimini; cras apud te, perendie apud illum, & ita deinceps conuiuabimur nos. De talibus scribẽtes *chachme hakkabalah*, sapiẽtes Cabalistæ, dicũt quod apud *Iudos* vel conuiuia talia, spiritus malus *Samael* vocatus, cum *chabrusah* siue societate eius cibum capiat, conuiuas ad peccata incitans multiplicia. *Rabbi Leui* dicit causa *Rabbi Abbhen*, nomine *Rabbi Iehosua*, quod omnium, quotquot ita vorentque potentque, facientes *Iudos* aut conuiuia septimanalia, postea, quam mortui in sepulchrum positi fuerint, die tertio venter dissiliat; vnde fiat, vt stercus intestinorum super *panim* seu faciem ipsorum exũdet, quemadmodum scriptum sit: En, ego peres siue stercus festorum *vestrorum vultui vestro inspergam*, &c. Eo facto veniunt *schedim*, id est, diaboli quoque ipsi, nasoq; eos suspẽdunt adunco: Vora iam, dicentes, quod iãdudũ coaceruasti, &c. Apud missum hũc ego Iudæos hoc in loco sedentes relinquam, quomodo post cibũ captum se gerant, porro narraturus.

Libro Reschit chochma, cap. 15. p. 64.

## CAP. VIII.

*De precatione Iudæorum serotina siue vespertina; quomodoque cubitum euntes se gerere consuerint.*

Minhagim pag. 6. Orach chaiim num. 232.

IN ciuitatibus magnis, vbi scholas siue synagogas habent, scholæ pulsator (idem apud istos qui apud alios ædituus) circiter horam quintam pomeridianam circumiens, & ianuas ipsorum malleo quodam tundens ad scholam eundum esse, vt *minchah* seu precationem faciant vespertinam, ostendit. Quamprimum in Scholam venerunt, mox sessum eunt, & precatiunculam quandam, ob voculam eius initialem *Aschre* vocatam, & beatum Latinis notantem, percurrunt. Psal. 84. 5. Est autem hæc è Psalmo 84. per hanc vocem eandem incipiente, transumpta. Precatio igitur illorū sic habet sic: Beati sunt, vel bene illis est, quotquot habitant in domo tua, sine intermissione te laudantes: *Sēlah* (verbis his gloriātur de diligētia ipsorum qua scholam frequentantes assidue precentur) Beatus populus, qui sic est: Beatus populus, cuius Deus est Iehouah. Psal. 144. 15. Psal. 145. 1. Exaltabo te Deus meus rex, & cætera: quoniam Psalmum istum recitare pergunt ad finem eius. Quem permagni æstimantes scriptum reliquerunt, quod, quisquis eū quotidie precetur ter, ei promissa sit *chelek leolam habbha*, hoc est, pars, quam

Kimchi in hunc Psalmū.

quam habiturus sit in vita æterna. Deinde surgens præcentor eorum precationis sanctæ illius quam isti *kaddesch* appellant, dimidium tantummodo cantillat. Postea synagoga siue communio eorum tota precatur precationes octodecim laudatorias istas, de quibus in precibus eorum matutinis per nos explicatum est. Quo facto & absoluto præcentor è loco suo sublimi isto, quem Christiani suggestum vel cathedram appellarent, discedens, super gradibus ante arcam congestis in genua se prouoluit, facieque super manum sinistram prolabitur: id quod populus deinde facit vniuersus, caputque ad latus sinistrum pendere sinens, vultumque tegens è corde toto (cor enim in latere sinistro est, sicque cor & caput in latus sinistrum, ceu modo dictum est, pendentia, coniuncta sunt) verba deuotissime pronunciat sequentia: *Misericors & clemens Deus, ego peccaui in conspectu tuo: tu vero misericordiæ plenus es. Miseretor igitur mei, precationemque meam ex humili corde profectam susципito. Iehouah, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Psalmum autem sextum hunc totum vultu terram versus & inflexo & cooperto precari pergunt. Quod præcentor è regione arcæ, in qua liber legis est, in genua procumbit, hoc ad imitationem Iosuæ facit: de quo scri-

Orach chaiim num. 130.

Psal. 6.

Ios. 7. 6.

ptum est: *Itaque scidit Iehosua vestimenta sua, cecidit que in faciem suam coram arca Iehoua vsque ad vesperam ipse & senes Israel, & posuerunt puluerem super caput suum.* Quod faciem tegunt, ideo fit; quod, quia olim, quando magnum latumque templum habentium, & peccata confitentium, alii ab aliis mensura quatuor vlnarum separati steterint, ne quod hic confiteretur, id alius exaudiret; ea de causa & ipsi faciem tegere velint, ne alius ipsorum videre possit, quid ab alio dicatur. Quod inclinantes se super manum sinistram incumbunt, id inter causas alias fit etiam propter hanc, quod scriptum esse
Cant. 2,6 meminerint; *Laua eius sit sub capite meo, & dextera eius amplexata est me*; & quod Isaacus iam nunc immolandus super latere sinistro iacuerit. Mox eorum sese rursus erigentium præcentor, *Vaanachnu*, inquit; &c. Et nos ignoramus quid aliud facere debeamus; nisi vt oculos nostros ad te dirigamus erectos: quasi dicere vellent; Nos te, ô Deus, sedentes, & stantes; sublimes, & humiles; erecti, & incurvati adorauimus, nescientes quid amplius faciendum sit: Nos tamen faciem nostram rursus ad te eleuabimus, &c. Tandem adhuc semel orant *kaddesch* illud totum: quo peracto precatio ipsorum vespertina finem eius consecuta cessat.

Iam

Iam quidem rectè facerent, si domum redeuntes cœnarentur, & post cœnam se rursum cõgregarent, ad preces nocturnas in synagoga faciendas: sed quoniam illud valde inconueniens esset, fieri quoque posset, vt multi se de nocte inebriarent, ac ita precum nocturnarum memoriam facilimè deponerent, Rabbinis cõsultum est visum, vt mox post vesperam, siue preces vespertinas, preces etiam nocturnas exequerentur. Expectant autem moramq; inter *Minhah* & *Maaribh*, hoc est, inter preces vespertinas & nocturnas aliquam trahunt, vt discrimen inter eas notari possit. Hoc precationum tempore singularis quoq; dissidentium inter ipsos consuetudo est. Etenim si cui cum alio quopiam litigii quid sit, & ille hunc eõ adducere non possit, vt inter se reconcilientur, tunc is qui aduersariũ suũ sibi amicũ reddere nõ potest, ad librũ precationũ, è quo præcentor precationes cãtillat, se cõferẽs, claudit eum, manuq; percutiẽs eundẽ, *ani kelao*: Ego negotiũ, inquit, concludo: quasi dicat; Ego precationem eo vsq; dũ aduersarius meus mihi reconciliatus erit; obtero quasi claudoque. Ex eo tempore ipsis amplius precari licitum non est, nisi talis voti eius compos effectus sit. Inde fit, vt sæpenumero nõ precati domum reuertantur; quin etiam contingit, vt si pars litigantium altera irreconciliabilem

se præbeat, per dies aliquot integros eorum preces intermittantur.

Inter cætera verò precantur iterum, vt Deus eos à Christianis liberare, & in terram ipsorum reducere velit: in oratione quapiam *baruch Iehouah* exordiente, O Deus, (inquientes) domine noster, iuua nos, congrega, libera nos à gentilib. (hoc est, à Christianis) vt nos nomen sanctum tuum profitentes, nos in laude tua gloriando iactemus. Populi omnes, quos tu creasti, venientes inclinabunt se in conspectu tuo, nomenq; tuum celebrabunt, &c. Id oculi nostri videbunt, cor nostrum gaudebit, anima nostra in auxilio tuo re vera iubilabit, quãdo in Sione: Dominus regnat, Deus est rex, Deus regnat & in æternum regnaturus est: regnũ enim tuum est, &c. dicetur. Tu verò miserabilis Iudææ, lætitiam hanc frustra præstolaris. Etenim iamdudum, ante annos nimirum sedecies centum aduenit ille, quem tu aduenturum gaudiumque tibi allaturum imaginaris. Orant quoq; adhuc iterum orationem illam, qua vindictam contra Christianos, cum omnes in genere, tum magistratũ eorum in specie; de qua in precatione istorum matutina dictum fuit; petere non desistunt. Quisquis anno isto patrem suũ amisit, is per annũ illum totũ precationẽ illã quã *kaddesch* paruã vocare solẽt, precatur. Hac precatione pater eius

è pur-

è purgatorio liberatur: id quod ego Deo // institutum meum clementer adiuuante, alio in loco copiosius exponere conabor. Quando è in schola exeunt, sententias eas, quæ capite superiore quinto notatæ fuere, dicunt. Hîc rursus disputationem prolixam super oratione siue precatione incipiente *Schma Iisrael*, quod est, Audi Israel, dominus Deus tuus, Deus vnus est, instituunt: inquirêtes nimirum, quomodo, quando, quo loco precatio talis orari debeat, qua de re nunc agere nimis prolixum foret. Talmud. & R. Alphes tractatu de benedictionibus, cap. 1. Orach chaiim num. 235. & seqq.

Cœnantes modo se gerunt eodem, quo meridiantes. Quando cubitum eunt, de pede sinistro prius, quam dextero sibi calceum detrahunt. Induuium iacentes stragulisque tecti exuunt, ne trabes parietesque domus corpus eorũ deforme nudum conspiciant. Ea quoq; causa est, quod vrinam in cubiculis ipsorum nudi non reddant. Id facere istis dedecus magnum est; causaturq;, vt quisquis vrinam nudus in cubiculo reddere veritus non sit, pauper euadat. Etenim res illa earũ vna est, quas Deus exosus auersatur. Quisquis precationẽ illam *Schma Iisrael, audi Israel*, super lecto cubans orat, ille super ea iam plene orata somnum inire conabitur; cauebitq; ne quid loquatur amplius: quemadmodũ Psal. 4. 5. scriptum est: *Loquimini in corde vestro super cubili vestro, & tacete. Selah.* Quod si statim

obdormire nõ poterit, tum repetet eam tamdiu, dum ea absoluta tandem aliquando somnum capessat. Id enim faciens, molliter & quiete requiescet, eique somnus in bonum cessurus est.

Lectus, in quo vir & vxor dormiunt, mundus & purus semper erit. Fieri namque potest, vt vir meditetur aliquod *peschàt* eius, quod de die discendo retinuit, legendove scripturam sacram memoriæ mandauit; oretve Deum, vt liberos per eũ dicto audientes adipiscatur: aut vxor eius orare velit. Peccatum vero grande foret, de nomine Dei in loco non satis puro cogitare. In Talmudo scriptum legitur, quod discipuli *Rabbi Sina* ex eo, præceptore eorum, qua de causa vitã viueret adeo longæuam, quæsierint. Quib. ille, Ego, inquit, Dei nomẽ, nunquã didici, nunquam nominaui, nunquã, quod amplius est, cogitaui in loco qui purus nõ esset. Lectum quoq; eorum vulgo sic ponere solent, vt caput quidem in illo cubantium meridiẽ; pedes autem Septentrionem versus spectent. Qui fecerit hoc, ei liberi mares cõplures nascentur; quẽadmodum illud valde pulchre & in Talmudo, & in *Rabbi Alphes* disputatur, valdeq; subtiliter è psalmis Dauidicis probatur. Locus autẽ mundi Aquilonaris, perinde vt & ventus aquilonaris, spirãs ex eodẽ, Hebraicè *Tzaphon* appellatus est. Iam verò apud prophetam scriptum

Tractatus Taanis de Ieiunio.

Tractatus berachos c. 1.

scriptū est, *Vizephonecha malle bitnam*, &c. Ps. 17. 14.
id quod Rabbinis valde bene scilicet, est:
Et aquilo implebit illis ventrem, liberorum q; multitudine abundabunt. Quanquam vero *Rabbini* bene sciant ipsimet, quod verborum propheticorum sensus longe sit diuersus; scientia tamē magistralis per eos reputatur, quando tales, aliasq; similes interpretationes subtiles sup. Scriptura sacra facere possunt. Quoniam vero demōstratio hæc infirma est; ideo philosophus *Rabbinicus* aliquis alius loquutionem hanc physicè siue naturaliter in libello quodam *Reschis chochma*, principium sapientiæ vocato, exposuit, quā expositionē hoc in loco commemorare necesse nō est. Habent quoq; Iudæi Ethicen cubiculariā valde pulchram, agentem in primis de eo, quomodo maritus cū vxore eius gerere se debeat; subtilissimè, prout isti sibi persuadere solent, disputando tractatam: à qua tamen cum aures castæ sint abhorrentes, eam commemorare fas non est. Quam si quis nosse desideret, ille mihi libellum *Orach' chaiim* vocatum, perlustret. Ego vero Iudæos, quod ad hoc attinet, hîc in pace quiescere permittens, in sanctitatis & probitatis eorum descriptione perrecturus sum.

Schaarhakkeduscha c. 16.

Nū. 24. & Brandspiegelū c. 38.

## CAP. IX.

### *Quomodo Iudæi diebus & Lunæ & Iouis omnibus feriari consuerint.*

Tractatu Babha kama, cap. 7.

LEgitur cum in Talmudo, tum *Rabbi Alphes*, quod propheta *Ezras* in captiuitate Babylonica Iudæis res generum decem præceperit obseruandas; quarum 1. fuerit, vt die Sabbati, 2. diebus (ceu vulgo loquuntur) & lunæ & Iouis septimanatim è libro legis in Synagoga cæremoniis singularibus quibusdam, sanctitateq; non vulgari adhibitis, publicè partes aliquot lectionesque recitarent: 3. diebus & Lunæ & Iouis iudicia publica exercerent, per eaque vt quilibet, quod eius esset, consequeretur, efficere curarent. 4. die Iouis, res immundas lauarent, domum verrendo mundarent, omniaq; domorum loca in honorem sancti sabbati purgarẽt: 5. viri die Iouis porrum manderent: 6. mulieres valde mane surgentes panem coquerẽt, eum in finem, vt ita, simul atque sol exortus esset, homini pauperi frustum panis communicare possent: 7. mulieres modestiæ maioris ergò supparo corpus circumcingerent; 8. mulieres eædem capillos earum probè pexos in balneis à se inuicem accuratè secernerent dispescerẽtq;: 9. mercatorib. & negociatorib. per ciuitates omnes circumeuntibus, merces eorum vendere liceret: vt ita mulieres Iudaicæ res generis omnis bene fragrantes, mundumq; muliebrem coemerẽt, indeque cùm in honorem sabbatorum & festorum aliorum, tum ad be-

nepla-

neplacitum maritorum earum pulcrè se comere possent. 10. ii, quibus de nocte semen è genitalibus effluëret; indidemq; immundi fierent, se purgandos abluerẽt. Hinc apparet, quod quamuis ante tempora Ezræ vates ipsi ordinarint atq; mandarint, vt die Sabbati è lege Mosis populus cõcione coacta doceretur: oportuerit tamen, vt Ezra pietatis maioris declarandæ gratia ordinaret, ne dies vnquam tres in septimana præterirent, quin aliquid è lege legeretur, prędicaretur, auditorque populus edoceretur. Ordinationẽ hãc, vel institutũ hoc, post Ezrã doctissimi in populo, legẽ docentes & exponẽtes, cõfirmarũt & corroborarũt hoc, quod scriptũ est: *Egressique sunt in desertum Sur, atq; perrexerunt tribus diebus per desertum, & non reperierunt aquas*: per aquas *thorah* siue legem accipiẽtes; quod lex aqua vocaretur, quẽadmodum scriptum esset: *Omnes sitientes venite ad aquas*, etiam *vos quibus non est argentum: venite inquam, emite absque argento, & absq; vllo precio vinum & lac*: hoc est, Venite ad legem & verbum Dei. Itaq; cum tribus diebus in solitudine sine *thorah* ambularint, ob id septimanã sic partiti sunt, ne deinceps vnquam dies tres sine lectione & auscultatione legis diuinę præterirent. Idem deinde fit etiam diebus & lunæ & Iouis; in recordationem eius, quod Moses die Iouis (seu feria po-

Exod. 15. 22.

Esaiæ 55. 1.

tius sexta) secundùm in montem Sinai se contulerit, indidemque tabulas legis cedrinas istas attulerit, & veniam peccati per vituli aurei conflationem patrati impetrauerit, & die lunæ de monte eodem illo reuersus fuerit. Hinc Iudæorum etiã probissimi quique tẽporibus adhuc hodiernis dies hosce duos ieiunare solent, quẽadmodum Pharisæus quoque fecit tempore Christi, superbissime, *Gratias* (aiẽs) *ago tibi Deus, quod non sim vt reliqui homines, rapaces, iniusti, mœchi, vel, etiam vt iste publicanus; Ieiuno bis in hebdomade, decimo omnia quæ possideo.* Iam tertio necessarium quoque est; ob dies iudiciarios, vt in auscultatione legis & consideratione verbi diuini diligentia singularis adhibeatur. Hinc est, quod dies iidem Iudæis adhuc hodie dimidia eorum parte festiui sint. Temporibus enim dictorum dierum valde matutinis in synagogis ipsorum conuenientes, precantes item & cantillantes præter precationes matutinas ordinarias orãt multas alias; prout in ipsorum *Minhagim*, templis item & libris oratoriis videre est. Egregia quoq; libri legalis exarca cum eximendi; tum in eandem rursus indendi gesticulatione se venditare solent: de qua istorum iactantia superstitiosa deinceps aliquid dicendum erit.

Luc. 18. ad.

Iam quod precationes concernit, ad matutinas ordinarias addunt adhuc aliam,

am, quam à vocibus duabus eiusdem initialib. *Vehu rachum* nominant: cui profecto quamplurimi per eos fieri solitæ virtutes operationesque maximas assignant: quantumuis annorum sedecies cẽtum præteritorum spatio ne tantillum quidem operata sit. Eam vero stantes magna cum animi attentione precari consueuerunt; historiam de eadem ipsa memoriæ prodentes hanc sequentem. Cum Iudæi per imperatorem Vespasianum ab Hierosolyma fugati fuerunt, Imperator idem ipse præcepit, vt naues tres Iudæis impletæ sine gubernatoribus sinequeremis in mare dimitterẽtur. Hoc facto naues istæ tempestatibus & ventis impetuosis disiectæ & ita separatæ fuerunt, vt in regiones diuersas totidem eiectæ sint. Vna earum in regione, quæ *Louanda*; altera in regione, quæ *Arlado*; tertia denique in regione, quæ *Burdeli* vocaretur, appulit. Nomina vero talia nunc temporis incognita sunt. Iudæorum deinde quotquot in naui tertia fuerunt, à domino regionis illius humanissime excepti, per eundem & solum & vineas ad colendum adepti sunt: ea ipsis illo liberalissime offerente. Huic autem mortuo dominus successit alius, qui miseros illos nõ aliter, quam Pharao rex Ægyptius maiores eorum, durissime nimirum nec non inhumanissime, tractauit, ad eos; Num

vos, aiens, Iudæi veri, nec ne, sitis, id ego probabo non aliter, ac olim, num *Hananias*, *Misael*, *Azarias* illi tres Iudæi veri essent, nec ne, per Nebucadnezarem probatum est. Quod si vos in flammā ignis media non aliter acisti, manseritis illæsi, tum & ego Iudæos veros esse vos, credere non tergiuersabor. Cui Iudæi respondentes, *Adonimelech*, Clementissime domine rex, concede dixerunt, igitur nobis & tu, quemadmodum illis a Nebucadnezare dabantur, dies tres; & Deum nostrum inuocabimus, vt & nos liberare dignetur, prout eos liberare dignatus est.

Quod cum à rege obtinuerunt, tum *Iosephus* & *Beniamin* fratres & *Samuel* è fratre patris ipsorum natus, Iudæorum & probissimi & piissimi congregati, quid agendum esse videretur, deliberauerunt. Qui tandem per dies tres integros & ieiunandum & orandum esse, statuerunt. Cui rei dum diligēter incubuerunt, quolibet eorum precationem meditante, tres tandem extitere; quas tres paulo post in vnam conflauerunt: quam deinde per tres & dies & noctes sine intermissione precati sunt.

Tempore diei tertii matutino vnus eorum, per somnium (aiebat) mihi visus sum audire, quod mihi quispiam *pasuk* seu ver-

versiculum è Bibliis prælegerit, in quo ki, bis; & lo, ter occurrerit. Vbinam verò loci versiculus iste scriptus sit, & quidnam sibi velit, ignoro. Tum respondens ei alter, *pasuk* siue versiculus ille consolatio, inquit, tua, & auxilium tuum erit. Significat enim quod Deus è cælis iuuare te velit. Scriptus autem est in prophetæ Iesaiæ capite quadragesimotertio Hebraicè verbis his: *Ki taabhor bammaiim, ittecha ani, vbanneharoth lo iiseiphucha, ki telech bemoesch, lo tikkaueh, velehabbah lotibhhar bach*, id quod est; *Quum trãsieris per aquas,* Esa. 43. 2. *tecum ero, & flumina non operient te: quum ambulaueris per ignem, non combureris, nec flamma ardebit in te.* Die tertio ignis ingens instruebatur, & populus innumerabilis vndecunque concurrens, qualiter igni cõburerentur, conspicere cupiebat. Tum viri tres isti non coacti, nec nõ iniussi venientes sese in ignem coniiciebant, canentes & precantes tantisper, dum lignis omnibus exustis, ignis extingueretur, illique indemnes manserunt. Miraculum hoc postea in locis omnibus, vbicunque Iudæi commorarentur, tres isti publicarunt. Quo facto & mandatum & ordinatum fuit, vt precatio hæc singulorum Lunæ Iouisque dierum tempore matutino in synagoga Iudæorum diceretur: id quod isti ad diem hodiernum vsque diligenter obseruantes, sperarunt antehac

incessanter, prout adhuc sperare non desistunt, se virtute precationis huius è captiuitate diuturna nec non exilio longissimo liberatum iri. Id vero quemadmodum hactenus in vanum per eos speratum fuit; sic in vanum sperabitur in posterum tamdiu, quamdiu Christum contemptui habentes, in superstitione ipsorum horribili perseuerare non dubitabunt. Fabulam hanc prolixius ego, quam *Antonius Margarita* è libro *Colbo* vocato volui narrare.

Precatio vero ipsa per eos tam magni æstimata, & Hebraice per *Vehu rachum* incipiens, est hæc: *Et ille misericors est, condonansque peccata peccatorem non perdit. Ille iram eius sæpenumero à nobis auertit, furoremque non omnem incendit. Tu ô Deus mi, misericordia tua me expertem esse ne velis, oro: clementia & veritas tua custodiant me semper. Adiuua nos Deus, Deus noster, & recollige nos è gentibus*, &c. Summa vero precationis huius totius est hæc. Petunt, vt illis Deus peccata ipsorum cõdonet, deuastationis ciuitatis Hierosolymæ, & templi eiusdem sancti misereatur, ipsos à quatuor mundi cardinibus recolligens, hæreditatem eius, quæ sint ipsi, pudefieri ne permittat.

Hic quoque Christianorum non obliuiscuntur, aduersus quos precantur sic: *O Deus, quamdiu fortitudo tua captiua,*

*pul-*

*pulchritudo tua* (verba hîc quædam sequẽtia in multis exemplaribus iussu magistratuũ Christianorum omissa sunt, spatio interim vacuo relicto, vt illa vel ipsi in eo scribant, vel per alios, omissa fuisse commonefacti, quomodo sese res habeat perspicere queant) *in manu molestantis erunt? O domine Deus, excita fortitudinem vindictamque tuam ardentem super inimicos nostros. Ita enim robur istorum pudore perfusorum peribit.* &c.

Per hæc Christianos intelligunt, aduersum quos vindictam à Deo petere non cessant.

His ita peractis, iterum super faciesipsorum cadunt, prout capite præcedente narratum est; precesque complures alias precantes Deum orant, vt iram eius ab illis auertat, in manibus hostium ipsos persequentium ne relinquat, sed promissionis, quam maioribus illorum fecerit, recordatus, semẽ illorum tam multum, quam multæ stellæ in cælo scintillent, facere dignetur.

Posteaquam aliquamdiu vel incuruati vel erecti sic orauerunt; tum vero pompam illam circa librum legis exorsi, lectionem ex eodem septimanalem recitant, quemadmodum per Ezram, prouæ prærendunt, facere iussi sint. Illud

hunc fit in modum: In synagogis omnib. librum legis habent, pentarateuchum nempe Mosis, super membranis pellium vitulinarum in longum consutis, literis magnis descriptum, quæ in extremitatibus ipsorum ambabus ad ligna dupliciter formata sunt agglutinata, vt per ea ligna liber eiusmodi legalis & subleuari & portari possit.

Liber iste in arca siue cista singulari, eademque muro cuipiam synagogæ imposita perpetuo asseruatur. Ante arcæ ostiolum peripetasma est phrygionis opere confectum. Et quo festa celebriora sunt, tanto peripetasma precioſius quoq; est: valde aũt amãt peripetasmata, in quibus aues elaboratæ sint. Et enim super arca fœderis testaméti veteris aues quoque fuerunt: Liber ille semper alicui panno lineo inuolutus est, in quo & verba quædã Hebræa, & nomina similiter insuta sunt. Exterius deinde pannus quidam lineus circumpẽsus est, palliolo cuidam similis, è serico nonnunquam, nonnunquam ex holoserico siue purpura villosa, quin ex auro nonnunquam puro factus. Ad eundem lamina quędam argentea è catenula aurea, super qua scriptum est: *Keser thorah*, hoc est, corona legis, vel *Kodeschh adonai*, sanctitas domini: appensa est. Circumit etiã quidã, qui clamãs, Quis, inqt, *gelilah etz chaiim* emet? Est autem *gelilah*

*lilah etz chaiim* officium, quod quis habēs ligna libri legalis attingit, eūdem librum euoluens & inuoluens: quod officiū venditur ei, qui solus prò eo habendo, quam quis alius, pecuniæ plus obtulerit. Pecunia autem ista in emolumentum pauperum adseruatur. Ligna verò ista, per quæ liber legis portatur, *etz chaiim*, quod est, *ligna vitæ*, vocantur: idque è Prouerbiis Salomonis, vbi scriptum sit, quod sapientia arbor aut lignum vitę sit, omnibus apprehendentibus eam. *Gelilah* plicationem, quæ in implicando vel explicando quid obseruari potest, designat. Itaque quando *chasan* siue præcentor librum illum sanctum ex arca depromsit, & cum libro eo in locum illum altum, qui ipsis prò suggestu est, ascendit; tum verò cantillant omnes è libro Mosis quarto, sequentia hæc: *Quum autem cœpit proficisci arca, dicebat Moseh, Surge Iehouah, & dispergantur inimici tui, & fugiant odio habentes te, à facie tua.* Item ex Esaia: *Et ibunt populi multi, & dicent; Venite, & ascendamus ad montem Iehouæ, ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimᵛ in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Iehouæ de Ierusalaim.* Præcentor autem iste, quando librum eum brachio superimponit, canere exordiens: *Magnificate*, inquit, *Iehouam mecum, & exaltemus nomen eius simul.* Ad quæ concio tota mox accinens,

Prouerb. 3.18.

Orach chaiim nū 135.

Num.10. 35.

Esa.2.3.

Psal.34. 4.

Psal 99. 5. *Exaltate*, inquit, *Iehouam Deum nostrum, & incuruate vos scabello pedum eius, quia sanctum est. Exaltate Iehouam Deum nostrum, & incuruate vos monti sanctitatis eius; quoniam sanctus Iehouah, Deus noster.* Super alta ista quadrangulari structura mensa quædam cum sericeo holosericove panno est, super quem *chasan* siue præcentor istelibrum legis imponit: venit deinceps ille, qui officium *gelilah* redemit, fasciasque siue panniculos, quibus liber inuolutus est, ab eo aufert, & ex iis eum euoluit. Tum *chasan* & alter iste qui officium dictum redemit, euocant quendam è congregatione vniuersa per eius ipsius, & per patris etiam nomen, iubentes, vt accedat. Qui veniens in medio duorum istorum consistit, & librum deosculatur, non quidem super membrana illius nuda (illud enim facere peccatum foret ingens) sed per panniculos, quibus circumdatus est; perque ligna duo illa ad libri extremitates agglutinata manibus apprehendens, clara voce; Laudate (inquit) Dominum, &c. Benedictus esto Deus, qui nos præ gentibus aliis omnibus elegeris, legemque tuam nobis dederis. Benedictus esto, Deus, legis dator. Iam persuadet sibi Iudæus hic, quod rem bonam nactus sit, quippe qui lignum vitæ in manus acceperit, ideoque præ populis omnibus beatus sit. Præcen-

centor deinde legit *parscha* siue caput è libro isto: quo facto reuersus ille, qui paulo prius euocatus erat, librum denuo deosculatur; Benedictus, aiens, esto, Deus mi, qui dederis nobis legem veram, vitamque nobis implantaueris æternam: Benedictus, inquam, esto Deus, legis dator. Quo facto euocatur adhuc duorum aliorum vnus post alium, geritque se vterq; illorum prout primus iste se gessit, descenditque primus per ostiolum, non illud, per quod ingressus erat, sed per aliud quoddam. Post hos accedit alius quidam, quem brachiis fortibus præditum esse oportet. Is enim librum istum apprehensum eleuat in sublime tam late expansum, quam eum portare valet: circumiensque facit, vt omnes scripturam legis istius contemplari queant: clamitansque temporis interea congregatio tota, Hæc est, inquit, lex illa, quam Moses Israelitis proposuit. Officium hoc officium *haghahah* vocatur, & pro pecunia vēditur ei, qui plurimā omnium pro consequendo eodem promittere nō dubitarit. Interim dum hæc modo hoc geruntur, mulieres in synagoga ipsarum rixantes se trudunt & tundunt inter ipsas, conaturque quælibet præ alia fenestram quampiam timulamve occupare speculatoriam, vt & ipsa scripturam legis adeo sanctæ visu assecuta intueri possit. Etenim ꝙ ipsis

librum illum non ita quemadmodum viris, osculari permissum est, ex eius intuitu voluptatem quandam se percepturas esse sibi persuadent. Habent autem mulieres synagogam singularem pro ipsis à synagoga virorum fenestris clathratis siue cancellatis discriminatam, prout hac de re in Talmudo disputatur, adeoque è propheta Zacharia, demonstratur, *plangetque*, dicente, *terra; familiæ singulæ seorsum: familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum: familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familia domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: familia Simri seorsum, & uxores eorum seorsum: Omnes* denique *familiæ reliquæ, familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum*, Vnde perspicitur omnino, quod synagogam mulierum à synagoga virorum seiunctam esse oporteat: idque modestiæ probitatisque maioris causa: cum non solum viri, sed & mulieres ad cogitationes malas suscipiendas facilime incitari possent, si illæ cum his permistæ starẽt. Quod si Iudæus hîc cum libro, quem gestat, titubaret caderetque, spatio temporis longo ieiunare tenerentur omnes; vt taceam, quod casus eiusmodi calamitatis cuiusdam magnæ super eos venturæ præsagium foret. Tandem rursus accedunt isti, qui *gelilah & etz chaiim* emerunt, eorumque vnus quidem ligna libri exterioraat-

Tractatu Succha, de tabernaculorum constructione, cap. vlt. Zach. 12. 12. 13. 14.

ra attingit, vt rursus inuoluatur (hanc ad rem rite peragendam experientia singulari peropus est, si & recte & ordine bono confieri debeat) alter vero panniculos reddit, vt in eos iterum inuoluatur; cumque palliolo extremo, cui argentum appensum est, induatur, &c. Deinde venientes omnes tam iuuenes, quam senes; librum istum osculantur, digitis tantummodo duobus attingunt, quos postea faciei impellunt. Ea enim res cum sanctitate singulari coniuncta, contra cœcitatem fluxusque oculares saluberrima est. Dum liber hic rursus ad arcam gestatur, canit præcentor: Laudate, inquiens, nomen domini. Nomen enim eius vnius forte est. Ad quod commune seu synagoga tota accinens, Laus eius, inquit, super terra est & in cælo. Ille dominium populi vnius exaltauit ad laudem sanctorum omnium. Vos Israelitæ, populus eius ei proximus omnium laudate Deum. Interea dum inditur in arcam, populus cantillat; *Quãdo*, inquiens, (arca) *requiescebat*, dicebat (Moses) *Reuertere Iehouah* ad *decem millia millium Israelis*. Deinde finiunt preces, prout in tractatu de precibus eorum matutinis annotatũ est, semper dũ è synagoga egrediuntur, *Iehouah*, dicẽtes, *duc me in iustitia tua propter inimicos meos: dirige coram me viam tuam.* &, *Iehouah custodiat exitum & introitum meum, ex hoc nunc vsque in se-*

Orach chaim nũ. 147.

Num 10. 36.

Psal 5. 9.

culum. quod ipsum quoque sic orant, quotiescunque ex ædibus ipsorum ad iter faciendum, vel aliud quippiam exequendum prodeunt.

## CAP. X.

### Quomodo Iudæi ad sabbatum sese præparantes, illud exordiantur.

Exod. 16. 5. 23. LIbro Mosis secundo legitur: *Die vero sexta parabunt quod inferãt* in domos, *eritq; duplum supra illud quod colligẽt quotidie*, &c. Et paulo deinde post: *Cessatiũcula, cessatio*, inquã, *sancta Iehouæ erit cras: quod coctur i eratis, coquite: & quod elixaturi eratis, elixate, hodie: quicquid vero superfuerit, reseruate vobis in custodiam vsq; mane.* Hæc isti accipiunt sic, quasi præcipiat Deus, vt sibi de omnibus, ad honorem & necessitatem Sabbati celebrandi spectantibus, inprimis autem de cibis bonis prospiciant, eosq; maturè coquant, vt die sabbatino tanto melius requiescere possint. Veneris itaq; die ante noctem sequentem omne id, quo die sabbatino vesci se velle cogitant, coquunt. Et in primis quidem mulieres vt placentas bonas easdemq; multiplices parẽt, obligatæ sunt. Hæ dum farinam subigunt & præparant, massam subigendo conficiunt; quam deinde confectam integram relinquunt. Quod si ea nimis magna sit, prout in familiis magnis vsuuenire & solet & potest; ideoque diuidere

dere eam in partes necesse sit, tum pars eius vna mappâ tegitur, ne partis alterius causa pudeãt, turpitudoq; eius isti cõspicua fiat, in eo, quod ipsa postremo omnium, vt placenta sabbatina sit, paretur. Sabbatum vero conuiuiis tribus honorant, quæ tam lautè sumptuoseque quam possunt, instruere non grauantur. Conuiuium primum celebrant diei Veneris nocte; quo tẽpore sabbatum exordium capit. Alterum diei sabbati ipsius tempore meridiano. Tertium sabbati tempore nocturno. Legem hanc Rabbini è libro Mosis quinto sumpserunt. Etenim cum ibi de Manna scriptum sit; *Comedite illud hodie, quia sabbatum est hodie ipsi Iehouæ: hodie illud non inuenietis in agro*: Hìc, aiunt sapientes Iudæorum tam præclari, ter scriptũ est; *hodie*. quo Moses significare voluit, quod Israelitæ manna ter ordinatim die sabbatino comedere debuerint. Habet institutum hoc, vt sapiẽtes iidem isti præterea in Minhagim ipsorum Germanicis scriptum reliquerunt, vtilitatẽ simul hãc; vt, quamuis conuiuium vnum ordinatum fuisset, nõ tria; quilibet id vnũ taliter obiturus fuerit, vt se cibo potuque implesset, seq; exaturasset, adeo vt per sabbatum totũ à cibo sese abstinere facile quiuisset. Iã vero quoniã quilibet bene scit, ꝙ pter eõuiuiũ illud vnũ supersint adhuc alia duo, ergo dum agitat primũ, cibi capiẽdi tam

Exod. 16. 25.

Pag. 13.

auidus nō est, quam alias futurus fuisset, sed viuens moderate cibum capit cum voluptate, sibi mox ad mensam redeundum esse non ignorans. Quid præter hæc agitent, in posterum quoque dicetur.

Hic quoque nemini cogitare licet, se loco tam alto natum, tam diuitem & intelligentem esse, vt ipsi indecorum sit futurum, si manibus propriis in honorem sabbati quidpiam laboret, præparationemque sabbatinam adiutet. Atque tametsi quis esset, qui & ancillas & seruos haberet centies millenos; ille tamen ipse in honorem sabbati molestias aliquas suscipere in se dedignari non deberet: prout ea de re legitur in Talmudo; quod nimirum bonus ille probusque *Rabh chasda* olus in partes minutissimas conciderit; doctissimique viri illi *Rabba* & *Rabh Ioseph*, ligna fiderint; *Rabbi Sira*, ignem inflammarit; *Rabh Nachman*, domum verrendo mundarit, & omnia insuper instrumenta, quorum vsu mensa carere nequeat, præpararit; &c. Carnium & elixarum & assatarum, quæ meliores calidæ sunt quam frigidæ, in furno quoad eius fieri potest, calide seruantur. Mensa per sabbatum totum tam de nocte quam de die vt immota, sic perpetuo strata manet. id quod significationem singularem, sicuti postea dicetur, habet.

Tractatu de sabbato & kiddusschin c. 2. Orach chaiim num. 250.

Orach chaiim nū. 260.

Capita quoque sibi lauari curant. Viri, quam-

quando necessarium est, barbitonsorem accersunt. Mulieres capillos pure ornateque pexos inter ipsos implicari faciunt. In balnea quoque calida se conferunt: aut alias manus ac pedes aqua lauant calida. Die Veneris singulo vngues de digitis abscindunt, idque ipsum superstitione quadam mirabili. A manus sinistrę digito quarto incipientes, ad secundum pergũt; deinde ad quintum, deinde ad tertium, postremo ad pollicem progrediuntur. quo fit vt vngues ordine non amputentur, sed semper aliquis transiliatur. Iam à manus dexterę digito secundo amputationem exorsi pergunt ad quartum, &c. Quisquis eorum vngues abscissos pedibus conculcandos in terram abiicit, is est *rascha*, id est, peccator magnus, adeoque homo impius. Satan enim super vngues eiusmodi potestatem habet, homines q; mali per hos ipsos præstigias exercere norunt. Quod si quis alius quoque ingrediens pedem super illos forte ponat, cum periculo coniunctum est idipsum permagno. Econtra, quisquis eos in terram defoderit, is *tzaddik*, id est, iustus & probus est vir. In ignem vero si quis eos iniiciat, ille *chasid*, id est, vir honore quocunque dignus & sanctus est. Et totum hoc è sententia superius allegata, qua Moses Iudæis mandarit, vt die sexto se præpararent, euidenter ostendere se posse Exod. 16.

iactant. Iam quoque necesse est, vt quilibet cultellos emundet, coti adhibeat, acutos denique reddat. id quod è libro Iobi demonstrant, vbi scriptum sit: *Et scies, quod pax* erit in *tabernaculo tuo, visitabis que habitaculum tuum, & non peccabis. Scies, inquam, quod multum erit semẽ tuum,* &c. E sententia Iobi hac *Chachamim* sapientes q; Iudęorum magistri docuerunt, quod vbicunque culter hebes, & ad scindendum non aptus est, ibidem apud mensam pax nulla, domusque tota male curata sit. Post hæc ita rite peracta vestes eius sabbatinas quiuis vnus sibi induens tam bene sese ornat, quam potest. Iudæi, diuitiis abũdantes, vestes sabbatinas singulares, quas diebus aliis gestare soliti nõ sunt, habent. Etenim Rabbini sabbatũ *Malchah* siue reginam nominarunt. Iam, si quis vestes regales, ante reginam illam compariturus, non indueret; quales alias causa regum honorandorum quilibet induere soleret; per id regina talis dedecore magno afficeretur.

Iob. 5. 24. 25.

Orach chaim nũ. 262

Mensam quoque pannis puris & mundis operiunt. Mantilibus etiam, orbibus, poculis, puluinis, scamnis, aliisque rebus eodem pertinentibus, vt bene prouisa sit, efficere non negligunt; vt in aduentum reginæ istius, Sabbati nimirum, omnia, ceu decet ac oportet, præparata sint.

Tem-

Tempus aliquando fuit, quo vel cornu, vel tubâ inflatâ signum daretur, vt quilibet tempestiue ad sabbatum digne peragendũ se præpararet: Iam verò *schoeliach tzibbur*, siue templi siue scholæ custos, aut ædituus, circumiens clamat, vt quilibet ab opere quolibet se abstinens ad *hachneses callah*, id est, ad sabbatum sanctum, quod ad instar sponsæ cuiusdam pulchertimæ incedat, decorè nec non honorabiliter excipiendum se paret. Itaque post tempus vespertinum opera domestica non vlla deinceps obeuntes, sabbatum bene mane ordiuntur, illique de septimana nonnihil addentes, inque Synagogam ingressi & canunt & orant satmutum, vt id apud eos in more positum est. Orach chaiim nũ. 256.

Dum dies adhuc mediocriter clarus est, & soliam primum montium & arborum cacuminibus incumbit, tum mulieres lumina sabbataria accendunt. Orach chaiim num. 263.

Lampades autem, quibus vtuntur, ex orichalco sunt, & in hypocaustis vbi cibum capere consueuere, pendent; quarum ellychnia quamprimum ardere cœperunt, tum Iudæa quælibet domi eius manus ambas lumen versus expandens, Benedictus, ait, esto tu, ô Deus, Deus noster, mundi rex, qui nobis per mandata tua sanctificatis, vt luminare

sabbatinum accenderemus, imperaueris. Idem ipsum diebus festis etiam aliis facere tenetur. Cum tempus nebulosum, cælumque nubibus obductum est, iuxta morem gallinarum se gerit Iudæa. Gallinæ enim in gallinarium subuolitantes, indicio sunt ipsi, (Iudææ mulieri) tempus nocturnum, & tale, à quo sabbatum inchoare oporteat, appetisse. Quodsi qua foris habitet in pago, vbi gallinæ nullæ sint, ibi secundum coruos & mendulas se gerit. Aues enim & istæ locum earum, vbi de nocte requiescant, tempori quærere consueuerunt. Quod autem mulieribus potius quam viris hoc ad exequendum, fuerit iniunctum, eius quoque rei Rabbini sublimiter sapientes & docti rationes afferunt duas. Prior est, quod, quam primum Eua aspexit, post ponum Deo quidem mandante edi vetitum, esse vero contra mãdatum eius comestum, mortis reã se esse factam, voluit, vt vir eius, Adamus, bonus ille, de pomo eodem veseeretur; Si ego, inquiens, mori debeo, oportet vt tu mecum moriaris. Eo dicto, instãdo instabat apud illum, vt & ipse pomum esitaret. Ipso vero id facere nolente, illa ramo vel fuste ex arbore defracto tam diu verberauit eum, vt nolens volens tandem veseeretur; prout *pasuk* siue versus Gen. 3. 12. ibi loquitur: *Et ipsa*, inquiens, *dedit mihi de arbore ipsa* (ictum nimirum satis gra-

grauem fuste ex arbore defracto: ita nimirum exponitur in *Orach chaiim* Germanico) *& comedi.* cap. 2.

Sic Adamus & stultus & amens ille se per mulierem verberari & seduci permisit adeo, vt mandatum diuinum transgressus, mortem & super ipsum met & posteros ipsius omnes attraxerit. Praeter hoc etiam sol, non aliter quam iustis in vita altera lucebit, ante quam peccasset Eua, luxit. Quam primum vero peccatum commisit illa, sol quoque ipse lumen eius extempore mutauit, vt Eua ea quoque ratione verum istud praestansque mundi totius lumen extinxerit. Posterior causa propter quam mulieres luminaria domi accendere teneantur, est; quod illae semper domi resideant, viris vt plurimum foris ob occupationes absentibus. Scriptum praeterea est; *Veattah tezauueh*, &c. *Tu quoque praecipe filiis Israel, vt accipiant tibi oleum oliuae purum, contusum, pro luminari, vt ardere faciant lucernas semper.* Hic nugas agentes Rabbini sapientes isti quaerentes Cur, inquiunt, scripsit Moses *tezauueh*, Tu debes imperare, cum literam *tau*: cum simpliciter *zau* scribere potuerit? sibique super eo respondentes, Eo, inquiunt, ostendere voluit, quod *naschim* siue mulieres luminare accendere debeant. Exod. 27. 20. Brandspiegelium c. 37.

*Naschim* enim vox numero quadrilit-

genta comprehendit, quot numeros literæ Tau quoque facit. Argutum hoc certè. Ergo cum mulier lumen vitæ in mundo extinxerit, in recompensationem istius, sabbatis festisque diebus aliis & omnibus & singulis tempore vespertino luminaria accendere tenetur. idque in signum pœnitentiæ, quasi animam hominis, quæ luminari confertur, prout scriptum est; *Lucerna Iehoua* est *animus hominis*, quæ *inuestigat omnia interiora ventris*: rursus & incendere & reuiuificare velit.

Prouerb. 20, 27.

Scripserunt quoque *Chachamim* isti, quod si qua alia fœmina cum bona *cauuanah* & attenta intentione luminaria ista inflammet; opus illius hoc ipsum perque sanctum habeatur, atque si candelabrum aureum istud in templo sancto inflammasset.

Tractatu de sabbato cap. 2. pag. 31.

In Talmudo quoque legitur, quod mulieres ob peccata triplicia in puerperio moriantur: vt quando nimirum massam è farina subacta factam (hæc olim massa farinacea erat, ad placentam infermentatam faciendam oleo permista, de qua libro Mosis secundo scriptum est) sumere oblita est: Luminaria diebus sabbati non accendit, menstruorumque cius rationem non habuit.

Exod. 29. 23.

Hæ res tres more quoque Cabalistico per nomen *Chauah* vel *Eua* adsignificantur.

חוה

tur. Litera enim prima *Cheth* significat *Challah*, litera secunda *Vau*, *Veseth* notat, quod vocabulum *Rabbinicum* est, quo isti fluxum menstruum muliebrem vocant. tertia *He*, *hadlakah*, inflammationem seu incensionem, repræsentat. Fœminæ vero quotquot mandata tria hæc diligenter executæ sunt, & facile & cito emituntur.

חלה
וסת
הדלקה

Luminarium horum cõmuniter duo, vel etiam plura, secundum qualitatem cubiculi vel domus accendere solent. Eaque singula corporis humani membra tam viri quam fœminæ repræsentant. Vir enim membra habet ducenta quadraginta octo: at fœmina ducenta quinquaginta duo: secundum anatomiam Iudæorum veram dinumerata.

Numeri vero duplices hi simul computati, quingenta conficiunt. Totidem quoque facit Hebræa vox illa *Ner* (luminare) duplicata, posita videlicet voce *ner* vna pro viro, altera pro fœmina.

נר
נר
500

Significaturque per voces hasce duas *ner*, *ner*, luminaria (non narren siue stultos) quod luminare vitæ & in viro & in muliere rursus accendetur.

Iam vero quod manus etiam ambas luminaria versus expandit mulier Hebræa,

hoc ideo facit, vt obnoxiam se quidem esse, quæ precetur ante, quam luminaria accendat, demonstret; sed quoniam id facere non possit, nisi precationem illam frustra & in vanum pronunciare velit, ideo manus ante luminaria illa expandit, impeditque ne splendor eorum oculis eius affulgeat, luminariaque, per inflammationem splendentia, cum nondum accensis paria vel eadem sint. Ex qua vero materia ellychnia lampadum harū sint, quo item oleo ad ea vrēdum sit, de duob. his disputatio Iudęorum in tractatu Talmudi de sabbato, prolixa est. quo quemlibet amandatum volens, de illis hoc loco nihil amplius attingam.

Quod autem sabbato quid adiicientes illud tempestiue auspicantur; id animarum vita defunctorum causa fit. quæ ex inferno quoque ipso siue igne purgatorio ad sabbati requiem perueniunt. Quā primum enim in schola precatiuncula quædam, cum *nigum* tonove muficali incipiēte, *barechu*. Gratias agite, & pulchro & amabili fuerit decantata, tum animæ vita defunctorum ex igne purgatorio exilientes, in aquas omnes vbi vbi aliquas inuenire possunt, sese immergunt, aliquantulum refrigerare sese satagēntes: id quod causa quoq; est, cur Rabbini sapientissimi isti seuere præceperint, ne tempore

sab-

sabbati quisquâ aquam vllibi exhauriat totam, & hic, vt nihil relinquat; ne miseræ scilicet istæ animæ aqua refrigeratoria priuentur, prout hac de re in ipsorũ *Minhagim* legere est. Pag. 14.

Interim dum in synagoga seu schola sunt orantes, angeli duo, bonus vnus, malus alter venientes, ante synagogam se sistunt; qui quando audiunt, quod quis diligenter orat, & lectionem, in primis autem versiculum hunc; *Perfecti sunt cæli & terra, & omnis exercitus eorum*, &c. & quod deinde sequitur de sabbati sanctificatione, profert; eum angeli isti duo domum reducunt, manusque eorum capiti ipsius imponentes, *Ecce*, aiunt, *tetigit hic carbo labia tua, & auferet iniquitatem tuam, ac peccatum tuum expiabitur*. *Rabbi Iose* causa *Rabbi Iehuda* dixit, quod angeli duo hominem quemcunque diei sabbati tempore vespertino è synagoga in domum eius reducant, quorum bonus quidem sit hic, malus autem ille. Quod si angeli hi in domum Iudæi è schola venientes luminare sabbatinum bene ardens, mensam instratam, omnique re necessaria instructam, lectum purè candideque paratum inueniant; tunc angelus ille bonus, Deus, inquit, velit, vt die sabbati proximè futuro hoc in loco res se habeant vti nunc: ad quod angelus iste malus nolens volens *Amen* subiicere tenetur. Econtra verò si

Tractatu de sabbato cap. 16. p. 119.

Gen. 2. 1.

Isa. 6. 7.

venientes omnia se male habere comperierint, tunc angelus iste malus, Sabbato, inquit, etiam proxime futuro res eodem modo hîc sese habebunt. ad quod angelus ille bonus inuitus *Amen* subiicere cogitur. id quod & alius qualisqunque non sponte profecto, sed inuitus facturus sit.

Quando sic exeunt è synagoga, domumque reuertuntur, tunc alius alii sabbatum lætum precati, mox ad mensam se parant. Scriptum enim est, *Recordare diei sabbati, vt sanctifices illum*: id quod, cum Hebraice *lekaddescho* sit, quam primum sabbatum inchoatum fuit, tum tu memineris, vt *kiddusch* super eo facias, hoc est, poculo vini pleno sabbatum tibi solenniter initiandum esse memineris, designet. Vnde quoq; fit, vt in synagogis compluribus mox à precatione absolura poculum vini plenum habeatur, & ob egenos hospites q; peregrinos, domi vinum non habentes, benedictum, porrigatur iisdem, vt sabbatum hoc ipso in locis, vbi cõmorantur, initiare possint. Quisquis autem benedictionem super vino isto in synagoga pronunciat, ille de eo nõ bibit quicquam: sed puero cuidam iuueni de eo quidpiam bibendum impertit. De vino namque sic benedicto propriè non nisi domi apud mensam bibi solet; prout ibidem benedictio simul ipsa proprie quoq; dici consueuit.

Exod. 20. 8.

Minhagim p. 9. Orach chaiim nũ. 269.

Mox

Mox igitur ad mensam accumbunt. Super illa salem esse oportet; poculum item vini plenum; panes duos panno lineo mensali coopertos. Tum paterfamilias poculum vini plenum capit, sabbatūque benedicendo initiās, *Iom*, inquit, *Haschischi, Vaieculla Haschamaiim*, &c. (Literę quatuor primę verborum horum quatuor nomen Dei summè benedictum, nempe IeHoVaH, per quod Deus secundum essentiam eius æternam notatur, designant. Et mysterii huius ergô, voces priores duas ad totidem sequentes, è libri Mosis primi capite secundo desumptas addiderunt; eiusq; rei respectu dum recitant verba hęc, surgentes nomini Dei reuerentiam exhibent cōuenientem) hoc est, *Die primo perfecti sunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum. Et perfecit Deus die septimo opus suū quod fecerat, quieuitq; die septimo ab omni opere suo quod fecerat. Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum: quia in illo quieuerat ab omni opere suo, quod creauerat Deus vt faceret.* Hîc interim *Sabbri morai*, ait; i.e. rationē habete precationis, vos ô domini mei Rabbini, vt quinis vnus per eam nō aliter excusetur, quā si illemet ipse precatus esset: sicq; pergens in oratione, Benedictus, inquit, esto tu, Deꝰ, domine noster, mūdi rex, qui fructū vitis creauisti. Benedictꝰ esto tu Deus, domine noster, mūdi rex, qui nos per mand-

Orach chaiim nū. 273.

Gen. 2. 1. 2. 3.

data tua sanctificauisti, nobisq; sabbatum tuum sanctum dedisti, illudque ipsum voluntate & dilectione bona spontaneaue nobis hæreditarium reliquisti, memoriâ operum tuorum, creationis nimirum. Est enim principium congregationis sanctorum, & exitus ex Ægypto memoriale. Etenim tu nos è populis aliis omnibus elegisti & sanctificauisti, sabbatumq; sanctitatis tuæ cum dilectione & voluntate hæreditarium reliquisti. Benedictus esto tu Deus, qui sabbatum sanctificas. Mox de vino bibit, poculumque, vt bibant ex eodem, aliis omnibus porrigit. Quo facto mantile pani superpositum ab eo aufert, panesq; duos accipiēs ante precationem non scindit, prout aliàs econtra in septimana fieri solet, sed statim, *Birschus morai verabbosai*. Cum venia, inquit, dominorū meorum & Rabbinorum: Benedictus esto tu Deus, domine noster, mundi rex, qui panem è terra educis. Postea fructum à pane abscindit, edit, & vnicuiq; ad mensam secum sedenti fructum itidem impertit; & id quidem maius & largius, quam dieb. aliis: in honorem sabbati, quo parco esse licitum est nemini. Deinde edunt præterea, quicquid eis Deus elargitus est.

Orach chaiim nū. 274.

Dum benedictio super vino pronunciatur, quilibet in luminaria sabbatina diligenter intuetur, ideo, quod sicut sapientes,

entes Rabbini scribant, quando quis passus seu gressus latos in septimana facit, tum pars quingentesima de visu oculorum eius decedat, contra quod malum medicina sit intuitus iste luminariũ sabbatinorum præsentissima, tum temporis, quo vino benedicitur, factus. Vox enim Hebræa *Ner* (luminare) bis sumptũ, quingenta facit. Tractat. de sab c. 15. p 113.

Quod panem tegentes occulunt, hoc ideo fit, quod ipse (panis) dedecus eius causa vini præsentis aspicere non debeat: cùm vinum præsertim ad vsum sabbati prius sanctificetur, eo nõ obstante, quod panis in lege prius nominetur, quemadmodum scriptum sit; *In terram frumenti & hordei, & vitis, & ficus, & malogranati, terram oliuæ, olei, & mellis* te introducet. Hic triticum, è quo panis fieri solet, primo omnium nominatur: quod quamuis ita sit, loco tamen ad vsum sabbati postremo benedicendus est. Res hæc ei pudorem incuteret, si tectus non esset, ingentem. Alii quidam sublimiter sapientes affirmant, quod panis in mannæ recordationem tegi consuêrit. Primo enim omnium ros quispiam lapsus est in desertο, postea manna, rursum post manna ros quidam: iacuitque manna istud inter rores duos istos tanquã inter mantilia duo. Ita quoque panis iacet super mantili vno, superiusque mantili tectus est altero. Ea Deut. 8. 8

quoque causa est, cur mulieres bonæ probæq; faciant tucetā quampiam, vel aliud simile quid coquant, quo loco mānæ vescantur. Tuceta enim massulam quādam tenuem pro fundo habet, & in medio caro est infarcta, superius itidem tegumentum quoddam ad mannæ similitudinem paratum.

Quod panes sumunt duos, hoc ideo fit, quod olim manna die Veneris duplici mensura collegerint; prout scriptum est,

Exod. 16. 22. *Fuit autē die sexto collegerunt panē duplicem.*

Pag. 11. In summa, in eo, quodcunq; facimus in hoc mundo (scribūt isti in *Minhagim* ipsorum) die sabbatino corporū nostrorū curam præcipuā gerere debemus, prout nobis *thorah* sancta locis aliquāmultis præcepit: vt, *Tu sabbatū vocabis Oneg. delicias, sabbatū deliciarū*, quod nimirū nos *taanugim* die sabbatino voluptatib. omne genus afficere debeamus. Similiter de dieb. nostris festiui *pasuk* siue versus habet sic: *Lætaberis in solenitate tua, tu & filius tuus*, &c. vt nimirū res vel actiones nostræ omnes in honorē Dei fiant. Ede igitur & bibe, & bene tibi fac, & id in honorē sabbati facere te memento: sed nō sensu eo, vt quis opinetur, sibi die Veneris opsonia multa coëmēda, ad gulā implēdam, & in primis inops aliquis, qui sumptui tanto ferendo non sit. Tale. n. quippiā in eo peccatū potius, quā opus bonū reputaretur. Cogitaret

Isa. 58. 13.

Deut. 16. 14.

ret.n.die sabbati,quoddie dominico cibū tā bonū habiturus non esset, ideoq; contristatus die sabbatino hilarem se præbiturus non esset.

Totū hoc summariè quoq; cōprehensum est in libello quopiā & *sepher Haiirah* vocato,& quomodo Iudæ⁹ in timore Dei vitā agere debeat,docēte;Rhythmisq; per Iudæos ipsos redditum sequentibus:

Gegn dem Sabbat solst seyn bereit/ Pag. 13.
Vnd solst lassen all dein arbeit/
Selbst zum Sabbat rüst/ ist gar recht/
Ob du schon hast vil Mägd vñ Knecht.
Gegn all Gbott ist der Sabbat gleich/
Sey wolgmut/vñ gdenck du seyst reich.
Reine kleider trag/vnd schön gwand/
Deñ der Sabbat ist ein Braut gnant.
Gegn dem Sabbat kauff in das best/
Vnd all seine Gebott halt vest.
Hungerig gegn dem Sabbat solst seyn/
Hab Fleisch vñ Fisch/ vnd guten Wein.
Dein Beth solstu recht thun schlichten/
Den Tisch auch fein ordnlich richten.
Dein Haupt solstu sauber zwagen/
Vnd keinerley bey dir tragen.
Dein Meßr solstu recht thun schleiffen/
Vnd die Speise recht angreiffen.
Schneid ab dein Negel/ wirff sie ins Fewr/
Wein zu segn/soll dir nicht sein z'thewr.
Dein Händ vnd Füß solln sein gar rein/
Denn dieß Gebott ist gwiß nicht klein.

Auch solstu haben guten mut/
Brauch alles wz deim Leib sanft thut.
Vnd solst gantz frisch vnd frölich sein/
Alß wern geschehn all wercke dein.
Thu hinweg alln kummer vnd leid/
Tisch vnd Bäncke solln sein bereit.
Weiß vnd schön thu jhn außschmücken/
Den Braten vom Fewr solstu rücken/
Alle Trinckgeschirr sauber schwencken/
An keinen schaden nit gedencken.
Kauff das best alß du kanst finden/
Frew dich mit deim Weib vnd Kinden.
Mit gutem Tisch drey Maalzeit mach/
Red nicht/denn nur ein lustig sach.

Inuenitur quoque liber ipsorum de benedictionibus vel precibus super mensa adhibendis; in quo precationes multiplices diebus festiuis omnibus per annum integrum faciendæ continentur, Hebraicè & rhythmis Teutonicis descriptæ. Et inter alias precatio quædam est, quæ incipit *mah iedidus menuchaſech*, id est: Quã valde amata est requies tua! &c. vbi sic habetur:

Lustig solstu dich bekleiden/ (brent.
Ein segn mach vbrs liecht / daß wol
Von allr arbeit thu dich scheiden/
Alle werck am Freytag vollend.
Allerlei wollust thu dir an/
Mit Fischen/Wachtlen vnd Kapaun/
Am Abend thu dich fein schicken/

All-

Alleley gute ding zu wegn bring/
* Gmeste Hüner/viel gutr stückn/
Gewürtzten Wein halt nit gering/ &c.

*Quid sit Gmeste Hüner thu wol spicken.

Item;

Sanfft soll seyn dein gang/
Der sanfftigkeit sich befleissen/
Vnd am Morgen schlaffen lang/
Hat das Gesätz geheissen.

Item;

Leinen vnnd seiden Kleider seynd viel werht/
Damit sie sich bekleiden/ wird köstlich geehrt/
Der Sabbat/ist ein heyliger tag/
Wol dem/der jhn recht hüten mag.
Ewr hertz euch nit sey betrübt vñ schwer/
Wann euch schon ist der Seckel leer.
Ihr solt frölich sein vnd wolgemut/
Wañ je schon viel Gelts entlehnẽ thut.
Kauf dir guten Wein/Fleisch vñ Fisch/
Stell die dreyerley auff den Tisch/
Ein gutr Lhon wird dir sein bereit/
Hie vnd dort in der ewigkeit.

Item;

Ihr Frawẽ zündt an die liecht gar fein/
Auff die zeit habt achtung allein/
Deß werdn jhr gnieſſen gar geschwind/
Wenn jhr werden gehn mit eim Kind.
Wenn jhr gute Küchlin thun bachen/
Werdet jhr m Kinds nöthen lachẽ/&c.

Ne quis autem putet hæc & figmenta esse poetica, & fabulas; historias equidem

nonnullas è Talmudo in medium proferam satis facetas, per quas clare, egregie adeoque miraculose ostenditur & cõfirmatur, quod voluptas & vita iucũda sabbati honor supremus sit. Legitur in Talmudi tractatu de sabbato, quod *Rabbi Chaia* dicat: Ego aliquando in Cypro (alii in Ludkia fuisse narrant) apud *Katzubh* siue lanium quendam pernoctaui: Tunc adferebatur ad eum mensa quædam aurea, cui viri sedecim portandæ vix sufficiebant. Ad mensam illam cathenæ aureæ sedecim erant affixæ. Iam præter supellectilem auream multam super eadem mensa supellex non erat vlla. Patinæ igitur istic erant aureæ, cochlearia aurea, quadræ aureæ, pocula aurea, cum cibis genus omne lautissimis pomisque præstantissimis.

*Cap. 16. pag. 119.

Cum mensa ista ante eum statueretur, incipiens laudare Deum, Dei (dicebat) est terra, & omne quodcunque est super ea. Et cum mensa rursus amoueretur, denuo laudans Deum, Cælum (dicebat) Dei est, & terram dedit filiis hominum. Tunc ego ad eum, Rabbi mi, (dicebam) vnde tam diues extitisti? & quid in vita tua tota boni fecisti? Tunc respondens paterfamilias, lanius ille, Ego, aiebat, per vitæ meæ dies omnes lanius fui, & cum pecus aliquod bonum nactus sum, id semper in gratiam sabbati mihi reseruaui, vt sabba-

tum

tum videlicet carnibus bonis feriando celebrarem. Inde mihi *Mamon* opulentiaque mea prouenit, quam mihi Deus elargitus est, quod sabbatum tam diligenter obseruauerim. Tunc ego, Benedictus, (aiebam,) esto Deus, qui tibi opulentiam istam impertitus est, teque dignum, vt tam dives euaseris, effecit. Hoc laniotali contigerat.

Legitur præterea pagina eadem, quod fuerit aliquando quispiam *Ioseph Mokir schabbas*, hoc est, *Iosephus honorans sabbatum*, vocatus. Huic nihil nimis carum videbatur in honorem sabbati coëmendotum omnium, si modo quicquam boni in forum afferretur. In primis autem pro piscibus emendis pecuniæ prorsum nulli parcebat. Iosephus hic vicinũ habebat, qui magnus *aschir*, id est, vir valde locuples erat. Per hunc ille semper ludibrio habebatur, Age, quid prodest tibi, quod sabbatum tam sanctè colas? aientem. Tu certè ditior ob id non es, quam si sic colere non studeres. Ego sabbatum non colo tantum, quantum tu colis, & te tamen opulentior sum. Iosephus ille bonus verba ista flocci pendens, fiduciam in Deo collocabat, sperans quod is ei impensas istas abundè recõpensaturus esset. Erat aũt tum temporis astrologi in ciuitate, qui huic diuiti, Amice noster, aiebant, quid quæsõ te iuuat, quod tam di-

ues es, qui pro pecunia tua ne piscem quidem bonum edere audeas? Nos in stellis obseruauimus, quod bona tua diuitiæq; tam grandes in manus *Ioseph mokir schabbas*, Iosephi sabbati cultoris & obseruatoris illius peruentura sint; qui profecto tempore sabbatino pro pecunia eius morsum quendam bonum manducare solet. Homo diues iste sermonem astrologorum istorum in corde meditabatur, abiensque bona, quæcunque possidebat, diuendebat omnia, vnionesque meros & margaritas pro pecunia è bonorum illorum venditione coacta emebat, lapidesq; pretiosos istos in cingulũ pilei implicabat omnes, cum istis in regionem aliam sese conferre satagens; idq; ea de causa, ne Iosephus iste bonus bonorum eius particeps aliquando fieri posset. Cumq; mare transiturus, iam super mediis aquis esset, ecce tibi, ventus quidam tempestuosus in mari exortus nauim impetebat adeo, vt parum abesset, quin in maris profundum summergeretur. Is ventus fortissime spirans pileum ei à capite ablatum in locum maris remotissimum ferebat. Tunc euestigio piscis aliquis ingẽs adnans pileum illum cum cingulo, quod vnionibus margaritisque pretiosis plenum erat, deglutiebat. Paulo post piscis magnus ille capiebatur, portatusque die Veneris in vrbem in foro vendebatur. Cumq; mundus

totus

totus piscem hunc liceretur, sed præ nimia caritate emere non posset, tandem aliquando *Ioseph mokir schabbas*; Iosephus sabbati obseruator ille accedens, cum semper pisces magnos quanticunq; precii essent, emere solitus fuisset, & hunc ipsam in honorem sabbati magna cum animi promptitudine lætitiaq; non vulgari emere non dubitauit. Quem cum ille domum portatum dissectumq; exenterari curasset, cingulum istud vnionibus & margaritis refertum inuenit, quod dies iste Euclio perdiderat: verificaturq; tũ re ipsa quod astrologi prædixerant esse futurum. Tum vero Iosephus iste vir ditissimus fieri, mirumque in modum gaudere, quod vniones isti regnum integrum valere iudicarentur. Tum senex quidam sapiens ad Iosephum hunc accedẽs; Quisquis, aiebat, diei sabbatino multum mutuatur, eidem sabbatum quoq; multum rependit: quisquis sabbatũ vel paruo duntaxat honorat, huic Deus quadruplum retaliare solet, &c.

Legitur in Talmudi tractatu ieiuniorum de quopiam *Rabh Chonech* appellato. Hic Veneris diebus omnibus seruos in forum dimittens, olera omnia quæcunque hortulani vendere non poterant, per eos coëmi curabat, eaque manibus correpta in aquas abiici mandabat. Tum Rabbini in Gemara (quod est cõplemen- Tractatu Taanis cap 3.

tum verumque Talmudici textus interpretamentum) quærebant, cur olera ista nõ donasset *anus* siue pauperib. in Israele: quibus ad interrogata ipsorum respõsum datum est hoc, quod, si donasset pauperibus, isti hac re freti die sabbatino olera nulla empturi fuissent; siquæ euenisset, vt hortulani aliàs olera ipsorum omnia distraxissent, & egeni olera habere nequiuissent, tum sabbatum ab illis honorari nullo modo potuisset. Rabbini vero isti quærebant amplius, cur pecoribus non dedisset edenda, quod id faciendo melius acturus fuisset, quam quod taliter in aquas abiiciendo tota perdidisset. Quibus iterum responsum fuit, quod noluerit hoc, quo mortalis vesci posset, per pecora mundi. Et quãuis in aquas abiecissent, quod homines tamẽ ea ex eisdem excipere rursum potuissent, eisque sic exceptis vti frui. Cur autem olera omnia coëmi curabat? Id in finem faciebat hunc, vt hortulani diebus Veneris singulis ea tanto & alacrius & libentius in vrbem portarent. Etenim nisi die vno alterove olera distrahere nequiuissent omnia, tum aliàs domi plane mansissent, egenique die sabbatino quod comedissent, non habuissent quicquam: sabbatumque ob id rectè cultum minimè fuisset. Ita *Rabh Chonech* hic quoq; fecit quantumcunque potuit, vt sabbatum voluptuose viuendo

vel

vel per pauperem, licet holuscülum viride comedentem, ceu par esset, honoraretur.

In tractatu de sabbato legitur itidem deinde sic: Quisquis die sabbatino frontē exporrigit, hoc est, sabbatum & voluptate & gaudio peragit, ei Deus dat hæreditates, terras, populos denique innumeros & infinitos. quēadmodum scriptum est: *Tū* (nempe quando tu sabbatum gaudens & lætus ages, ipsamq; adeo voluptatem vocabis, prout in versiculo præcedente scriptū est) *tu oblectabis te in Domino, egoq; te super excelsa terræ constituam, & hæreditate patris tui Iacobi te cibabo:* de quo nēpe scriptum est: *Tu expanderis Occidentē & Orientem, Aquilonem item, & Meridiem versus, in angulos mundi quatuor.* Rabh Nachman asseruit, quod quisquis die sabbatino hilarem se præbeat, liberandus sit è seruitute regnorum: quēadmodum scriptū sit: *Ego te super excelsa terræ cōstituā:* Item, *Super excelsis inimicorum tuorū incedes.* Rabh Iehudah dixit (ait *Rabh*) quod, quisquis sabbatum animo lęto peragit, ei Deus det, quicquid animus eius expetere ausit: quemadmodū literis proditū legatur: *Et delecta te in Iehouah, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Cap. 16. pag. 118.

Psal. 37. 4.

Quoniam verò Iudæi per sublimia terræ inimicorum ipsis aduersantiū nondū incedunt, & ita nequaquā consecuti sunt, quicquid cor eorum iamdudū desiderat (vt isti nimirum domini magistriq; Christianorum sint, imo, terrarū mundiq; ad-

eo vniuersi dominio fruantur, quêadmodum diebus sabbatinis, aliisque feriatis quibuscunque in precationibus ipsorum exoptant) manifestũ est, quod sabbatum adhuc nunquam debitè rectèque obseruarint, seque in eo nondum satis oblectarint.

Quando igitur cibum sabbatinũ primum cum lætitia sumpserunt, oratur per eos, quemadmodum superius indicatum est. Mensa vero ad noctem vsque diei sabbati instrata relinquitur. Luminaria quoque sabbatina in lampadib. ipsorum lucentia non extinguuntur. Hic acerrima disputatio quoque inter istos est, quid apud luminaria hæc vel faciendum vel omittendum sit. Pulices (exempli gratia) pediculosve splendoris eorum beneficio venari; item scribere legereve permissum non est; ne quis nimirum luminaria illa emungere forte commotus, sabbatum profanet.

Orach chaiim nũ. 280.

Itaque cum istis sabbatum voluptatem significare debeat, ideo *Chachamim* sublimiterq; sapientes isti bonum, sabbatoq; singulariter honorabile futurum esse duxerunt, si maritus quilibet, inprimis autẽ *Talmid chacham*, doctus sublimiterq; sapiens *Rabbi*, nocte hac sabbatina plus quam noctibus aliis vxorem deosculetur. Hæc nimirum causa est, cur porrum edât ante sabbatum, vt tanto potentiores ad coi-

coitum sint. Eadem de causa nuptię persępe die sabbatino cõficiuntur, vt cõcubitus nimirum nocte sabbatina hac tanto fortunatior sit, honorque tanto maior sabbato ipsi exhibeatur. Hinc etiam fieri putatur, vt infantes isti, quotquot nocte hac concipiuntur, vulgo fortunati sint, & omnes *Talmide Chachamim*, sublimiter sapientes & sancti viri fiant, idq; cura primis, si, dum seminandis eis opera datur, bonæ puræq; *machshchabhos* cogitationes adhibeantur, minimeque carnalium voluptatum, sed totum *lichbhod haschabbas*, honorandi sabbati causa fiat, quicquid eius rei fit.

Postremo, quando Iudæus die Veneris peregre proficiscitur, & adhuc amplius quam vnum *tchumschabbas*, hoc est, viæ tantum, quantum die sabbatino confici-te permissum est, ab hospitio vel ædibus eius propriis abest, tunc in agris, vel sylua etiam media, vbi vbi fit illa sit, manere, ibidem quiescere, & sabbatum peragere, periculo latronum prædonumq; omniũ omni, penuria item cibi potusq; neglectis, debet. Hac de re legitur historia quædã vera hunc se habẽs in modum: Tępore quodam Iudæi quidam tres peregrinabantur. Cum iam serum factum fuisset sabbatumque appetiisset, tunc alius alii, Quid, inquiunt, agemus? Via est valde *mesukkam al gaslanim*, hoc est, valde pericu-

losa prædonũ metu. Currunt etiam *chaios* in sylua hac, hoc est, feræ & indomitæ & malæ multæ: multo melius est si pergamus, nosterq; vitę cuiusq; *chaius matzil*, id est, liberator sim⁹, quã vt sabbatũ cũ corporis animęq; nostræ piculo obseruemus.

Tum tertius illorum, Ego, aiebat, hinc non discedã prius quam sabbatum decursum, sit. Etenim qui sabbatum sanctificare iussit, is me quoque in sylua hac vel media conseruare potest. Quo audito, reliqui duo pergebant, erantq; *mechallele schabbas*, hoc est, sabbati profanatores. Iste vero tertius ibidem quasi solo affixus manebat, tentoriumque extendens, linteum quoddam super terram loco mensæ explicabat, eidemque panem, & si quid aliud haberet, imponebat, precationemque vespertinam faciens ad mensam, cibum sabbatinum primum sumpturus, se sessum recipiebat. Interim aper quidam ad eum accedit, tam horribilis & immanis, vt talem mortalium nemo se vidisse meminisse potuisset. Hic iuxta ipsum se locans, gestibus aliquibus certis indicare videtur, quod famelicus sit. Iudæus ille bon⁹ quodammodo perterrefit, frustumque panis ei obiiciens, cogitat, quod Deus eum facile, modo velit, incolumem conseruare possit. Aper nihil se mouẽs, at panem obiectum edens, ibi perseuerat. Postquam Iudæus ad satietatem cœnasset, precationem

nem vespertinam dicit: quo facto somnũ capturus super terram se expandit: iuxta quem aper etiam sese prosternit. Diluculo facto supra quam dici queat, lætus erat Iudæus de eo, quod aper eum non devorasset: ob id beneficium laudãs Deum, eidemq; gratias agens debitas. precationem quoq; matutinã ordinarie faciebat. Deinde cibum & meridianum, & vespertinum sumebat, precationes simul omnes exequẽdo. Cumq; sabbatum prẽteriisset, tum faciens ipse *habdolah*, sabbatum à septimana (qua de re capite proximo sequẽte dicetur) separabat, iterq; suum pergebat, apro ipsum per noctẽ istam totã comitante. Nocte eadem ipsa comites eius duo in prædones inciderant, perq; eos omnibus, quæcunq; habuerãt spoliati fuerant. Tandẽ hic apro comitatum prębẽte duos istos alteros offendit. Quos quamprimum aper ille conspicatus fuisset, ad eos accurrens, dilacerauit ambos. Per hoc Iudæus hic & probus & pius valde perterrefactus, vitã se similiter exutum iri cogitat. Interea quoque prædones alterorum ad eum appropinquantes, quis esset, ac vnde veniret, ex eo quærebant. Quibus ille, Iudæus, aiebat, ego sum; (spe enim sua firmiter in Deo collocata, seipsũ abnegare nolebat) & è regis aula huc progressus sum. Quẽ illi ꝑterea interrogãtes, Vbinã, inquũt, aprũ istũ nactꝰ es? Quib. ille,

Rex, aiebat, illum mihi ad deducendum me adiunxit. Tum prædonum vnus ad alterũ, Iudæus, aiebat, iste regi fine dubio valde charus & alter idẽ est, quod eũ per aprum istũ secure deduci voluerit. Et eorum alter, Nos, inquiebat, cum illi argentum nostrum communicauerimus quod habemus totum, è sylua insuper ne prodat nos, deducemus. Sicq; dãtes ei mammonem seu diuitias ipsorum totas, ne per illum proderentur, viæ satis longæ se ei comites adiungebant. quibus postea profectionem reliquam continuare pergentibus, aper in syluam recurrit. Quod cum ita sit, Iudæus quilibet se Deo cælos altissimos habitanti committens, sabbatum studio accuratissimo sibi obseruandum esse, meminisse debet. Selah.

## CAP. XI.

### *Quomodo Iudæi sabbatum genuinum ferientur & ad finem perducant.*

TEmpore sabbati matutino non tam cito quam solent aliàs, cubitu surgentes, in lucem multam, voluptatis certe magis, quam sabbati debitè colendi causa ſtertunt. Quanto enim voluptatis isti plus percipiunt, tanto se deuotius sabbatum colere statuunt. Rabbini autem istorum & hoc ipsum iuxta morem ipsis ysitatum è lege magistraliter, si diis placet, enucleauerunt; è libri nempe Mosis

Orach chaiim nũ. 281. in Nouella addit Nũ. 28.

quar-

quarti cap. 28. Vbi de oblationibus quotidianis agitur, & ita scriptum reperitur, *Babboker*, Tempore valde matutino. Sed cum agitur de offerto diei septimi, sabbati nimirum, scriptum est, *baiom hasschabbas*, die sabbati; cuius sensus est; oblationes quotidianæ tempore valde matutino ante lucem fieri solitæ sunt (quorum loco nunc isti tempore valde matutino in synagogam se conferre solent, vt preces ipsorum matutinas ibi, prout antea declaratum est, peragãt.) tempore vero sabbatino diutius expectari, ipsoque die lucidissimo sacrificari cõsueuit. Quare Iudæi tantisper dum diescat, dormire debent, tardiusque quam aliàs, preces ipsorum matutinas expedient, & longius aliquantulum ob *oneg schabbas*, id est, voluptatem lætitiamve sabbatinam in lecto se voluent.

Cùm iam in scholã venerunt, orãt perinde, vt & aliàs; quanquam & precationes & cantillationes longe plures in honorem sabbati peragere consuêrint. *Tephillin* ligulasve precatorias (de quibus superius capite quarto mentio facta est) nõ induunt, ideo, quod sabbatũ ipsummet fidei Iudaicæ signũ; idẽq; Iudæis solis solum ad feriandũ & datum & mandatũ sit, prout isti credũt; sicq; signis aliis, qualia & circũcisio & *tephillin* notæ duæ sunt, per quas Iudæos à cæteris hominib. discernere liceat, opus non habeant.

Librum legis ex arca cum pompa ista, de qua capite 9. significatum est, ferunt. Septem *parschios* lectionesve è *thorah* legunt: ad quam rem peragendam viri singulares septem euocantur. Quisquis euocatur, is per ianuam sibi proximã ascẽdit, & per alteram rursum descendit; quod populum Israeliticum id ita fecisse legatur. Scriptura, *Porta*, inquiente, *atrii interioris, quæ respicit Orientem, erit clausa sex diebus operis: die autem sabbati aperietur, & die Calendarũ aperietur. Et ingredietur princeps per viã vestibuli illius portæ*, veniendo *desoris, stabitque ad postes eius portæ: Et facient sacerdotes holocaustum eius*, &c. Hinc scilicet apparet, quod, quando tempore sabbatino in templum sanctum intrare consueuerint, tum per ianuam vnam in id ingressi, at per alteram rursus egressi sint. Ezech. 46. 1. 2.

Isti quoque legere solent *haphtaros* seu lectiones quasdam è prophetis, in quibus idem tractatur, quod è libris legitur Mosaicis. Consuetudo hæc inde extitit, quod ipsis antiquitus lectione Mosis per synagogas ipsorum interdictũ fuit. Ibi namque loco lectionum Mosaicarum, lectionem è prophetis conformem (quam isti *haphtarah* vocãt) legerunt, quæ quodammodo legis Mosaicæ, vel eius, quicquid die quouis è Mose legi solitum fuerat, expositio quępiã fuit. Secundum consuetudinẽ hanc, in testamenti noui actibus Apostolo-

postolicis: *Qui enim*, dicitur, *habitant in Ierusalem & principes eorum, quum ignorarent illum, & eo damnato, voces Prophetarum, quæ per omne sabbatũ legũtur, impleuerunt*: Item, *Moses ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent; quum in Synagogis per singula sabbata legatur*. Quamuis autem nũc temporis illis vetitũ non sit, Mosen in synagogis ipsorũ legere & docere: retinẽt tamen adhuc cõsuetudinem illam, vt legãt etiam prophetas. Etenim boni nimio plus fieri nequit. Act. 13. 27. Act. 15. 21.

Pro animabus quoque vita functorum Minhaistis, quæ sabbatum nõ recte feriatæ sunt, orant. Etenim *Chachamim* sibi persuadẽt, quod eæ in inferno, vt ante, sic quoq; post sabbatum, ex latere in latus alterum vertantur. Ideoque super illis die sabbatino precantur. Precatio in synagoga perficienda diutius quam ad horã sextam diurnam, non durat. Diutius enim ieiunare, quinetiam diutius orare, vetitum est: prout sapientes è sententia sæpius adducta, Tu sabbatum *Oneg* appellabis, dicerũt. Hic, inquiũt, vocula *Oneg* delicias vel voluptatem designans, sine litera *Vau* sex numero faciente scripta est. Hac re vates arcanè indicare voluit, quod vltra horas sex, id est, vltra tempus meridianum ieiunari non debeat: quod aliàs sabbatum non voluptas, sed iniucunditas voluptati contraria merito dicen-

gim pag. 12. Orach chaiim num. 288.

dum foret. Itaque post preces matutinas peractas edunt edulium sabbatinum secundum: se lætos in honorem sabbati præbentes. Quod si vero quispiam ominosum quiddam per somniū vidisset, vt si (exempli gratia) *sepher thorah* librum legis comburi, vel trabes ædium propriarum corruisse, vel dentes è maxillis excidisse, aliaque similia forte somniauisset, is ad noctem vsque seram non immerito ieiunet. Somnia siquidem talia nihil boni portendunt. Quod si somnianti cuipiam videatur maxillas eius loco ipsarum motas decidere, somnium tale, somnium bonū est; quippe quod inimicos eius, quia mali aduersus eū deliberarint, omnes demortuos esse, designet. Iam cuicunque cibus molestus, ieiunium verò volupe est, ei sane ieiunare licitum est. Quisquis item tam tristis est, vt à lacrymis abstinere se non possit, ei lacrymare permissum est. Tale siquidem lacrymare ipsi lætitia, aduersique recreatio est: & per voluptatem quoque hanc sabbatum sanctè peragitur. Quisquis tamen die sabbatino ieiunat, idem die quoque sequente ieiunabit, ad pœnam pœnitentiamque eius, quod sabbato voluptatem, ipsi debitam, subtrahere non dubitarit.

Præterea sapientibus Iudæorum consultum est visum, vt post cibi sumptionem studendo quippiam discceretur, &

in li-

in libris sacris legendo nonnihil percurreretur. Tempore enim quopiam sabbatum apud Deum conquestum fuit, quod quælibet res in hoc vniuerso sociam sibi parem nacta esset; qua sabbatum solum destitutum videretur. Tunc cuestigio Deus ad id respondens, Populus, inquit, Israëliticus socia tua deinceps erit. Isti namque *thorah* tempore sabbatino studendo discent, quippe qui præter id aliàs ocioſi tempore illo quiescant. Tunc accelerans quoque *thorah*, multumq; apud Deum querulans; Quando Israel, aiebat, in terram eius redibit, tunc vnus in agrũ pratumve eius, alius in vineam prodibit. Quis, quæso, discet me tunc? Cui Deus, Israelitæ (aiebat) te discẽt; quippe qui die sabbatino ocioſi ne tantillum quidẽ præterid laboraturi sint. Querelarum talismodi causa cõsultum est visum, vt tempore sabbatino post prandium quippiam in verbo Dei studendo se occuparent, vel in libris de moribus aliquid ruminarent; quo ad timorem Dei incitarentur; sicque sabbatum & lex ipsa nihil amplius, de quo conquererentur, haberent. Quam rarò tamen apud istos in libris bonis aliquid legatur, id verò experientia demonstrat ipsa. Etenim per spatium septimanæ totius sat prolixum, de *ribbis* & vsuris, vendendo & emendo, tam multum non loquuntur Israelitæ tales tam sancti, quam

Minhagim pag. 13. Caphtor vberach pag. 43.

tépore sabbatino factitare consueuerunt.

Tempore *Minhæ* seu vespertino rursus in synagogam ingrediuntur, factaq; precatione serotina mox edulium sabbatinum tertium, & ita postremum, dum dies adhuc durat, sabbatumque nondum totum decursum est, peredunt. Edulii huius non multum edunt. Temporis enim ipsis parum est, cum sabbatum benedictionibus ad hanc rem dicendis adhuc claudere teneantur. Sæpenumero quoq; dum edulium hoc ipsis edendum apponitur, famelici non sunt: quod nimirum tempore meridiano tanto liberalius sese tractarint: quod sæpius ad vesperam vsque continuari mos est. Edulia siue conuiuia tria hæc isti cum pro mandato valde magno, tum opere singulariter excellenterque bono reputant, deque eodem in Talmudo permulta scribentes, opinantur in primis, quod quisquis ea frequetet diligenter, is in infernũ non veniat, & aduersus bellum formidabilissimum *Gogi* & *Magogi* defendatur; aduersus anxietatem & angustiam, quæ tempore aduenientis Messiæ, quam *Chebhle hammaschiach* appellant, extatura sit, præseruetur.

Tractatu de sab. cap. 16. pag. 118. Orach chaim nũ. 291.

Inter vespertinum nocturnumq; tempus aquę recentis exantlatione rursus interdictum est. quemadmodum & è torrente bibere licitum non est; ob animas nimirum impiorum vita functorum, quæ

sese

sese postremò adhuc refrigerantes abluant; attento, quod eas in infernum redire mox oporteat.

Cum iam sabbati finis instat, edulium-que postremum siue tertium peresum est; plerique in more habent, vt mantile celerrimè promptissimeque à mensa abripiant; ita fore somniãtes, vt quisquis id ipsum facere potuerit, ei quamprimum nomina eius persoluenda sint. Nocte instante denuo conuenientes, tantisper dum noctescat, orant; cantionesque sabbatinas suaues decantant; in primis autem precationem istam *Vehurachum*, cum suaui venustoque *Nigun*, in melodia peramabili (qualis nempe felium mẽse Martio lasciuientium notatur) decantant; vt hoc faciendo sabbato sancto canẽtes valedicant. Cantiones autẽ has in noctem multã è misericordia erga animas *reschaim* vel impiorum Iudæorũ producũt; eum scilicet in finẽ, vt istæ tanto tardius in infernum reuertantur, quanto diutius cantiones istæ prolõgantur. Perinde.n.vt de nocte diei Veneris clamor apertus in inferno fit, vt *reschaim* seu impii omnes ex inferno ad tẽpore sabbatino requiescendum, vt & Israel vniuersus requiescit, profiliant: ita quoque de nocte diei sabbatini rursum clamor aliquis fit, quo animæ eædem in infernum redire iubentur, tum, quamprimum populus Israeliticus precationem eius vespertinam finiuit. In

Minhagim pag 3. Orach chaiim. nũ.295.

cantionibus nocturnis his & multum & sæpe vocitat Eliam prophetam; ipsis promissum esse nugantes, quod venturus Elias ad eos non sit, nisi tempore vel sabbati, vel diei feriati alius cuiusdam vespertino. Itaque cum sabbatum iam præterierit, illeque nõdum venerit, rogant eum, vt sabbato proximo sequente accederene dedignetur, aduentum Messiæ nunciaturus. (Forsitan auditu non satis bono præditus est Elias ille bonus, quod spatio tẽporis tam longo, vt veniret oratus, nondum venerit tamen.) Etiam *Chachamim* sapientesque Rabbini docuerunt, quod Elias propheta sub arborem vitæ in paradiso stantem sese collocans, merita operaque Iudæorum bona, quibus sabbatum diligenter obseruarint, cõscribat. Postremo, quando cantionem quandam, cuius initium est *Barechu*, modulantur; tum vero mulierum ad fontes quæque suos festinãtissimè properantes, aquas exantlant ex iisdem.

Minhagim. p. 4. Orach chaiim nũ. 299. in fine. Colbo cap. 41. Num. 20.

Scribunt enim, quod fons *Miriam*, è quo biberint in deserto, in mare Tyberiadense influat, seque ex eodem in fine sabbati exonerãs, fontibus omnibus immisceat. Iam fieri posset; vt illo ipso temporis punctõ Iudæa quæpiam aquæ illius aliquid hauriret, quæ ad conficiendam medicinam aliquam nobilissima certe foret. Quisquis enim de fonte tali bibit,

sana-

sanatur, quantumuis scabie Gallica per corpus eius vniuersum scateret. Tempore quodam mulier aliqua post precationem hãc *Barechu* nominatam, aquam petitum egressa est. Tunc in tempore opportuno fons iste *Miriam* isti præsentem se præstitit. Cuius rei causa cùm tardius domũ reuersa fuisset, maritus eius ei grauiter succensuit irâ totus inflammatus. Quo animaduerso, mulier præ metu nimio, per iracundiam viri tantam ipsi incusso, hydriam è manibus in terram labi fiuit, vnde guttulæ saltem nonnullæ viri istius irati corpori aspersæ fuerunt. quæ guttulæ quantumcunque corporis eius attigerunt, tantumcunque sanum quoq; euasit. Tantum vir bonus coniugi succensendo consecutus est: qui si aquam istam totam bibisset, totus etiam fortasse, non dimidius, sanatus fuisset. Hinc dicunt Rabbini, quod vir iracundus, per iracundiam suam præter iram ipsammet, non auferat quicquam.

Tandem Iudæi isti *habhdalah*, diuisionem siue discrimen inter sabbatum nouamque septimanam, faciunt: Deo gratias agentes, quod ille ipsis gratiæ tantũ, vt sabbatum tam bene celebrarint, impertitus sit.

Hoc ipsum facit aperte præcẽtor ipsorum in Synagoga post preces vespertinas absolutas. Idque Iudæorum pauperum

causa facit, qui domi præ paupertate id ritè exequi non possent. alias paterfamilias quilibet idipsum domi propriæ hunc facit in modum. Candela magna faci cuidam non absimilis accenditur: quæ *Ner habhdalah*, luminare differiminationis appellatur. Pixis etiam paruula quædam vulgo ex argento fabrefacta, eaque aromatibus optimis impleta, in medium affertur. Paterfamilias poculum vini plenum (in regionibus autem istis vbi vinum nõ crescit, sed cereuisia tantummodo coquitur, cereuisia loco vini sumitur ab eo patrefamilias, qui vinum sibi comparare non potest) in manum sumens dexteram, voce & clara & alta

Ies 12.2. *Ecce*, canit, *Deus salus mea, confidam, & non pauebo: quia fortitudo mea, & laus*
Psal.3.9. *mea Deus Iehouah, fuitque mihi salus. Ex*
Ps 46.8. *omni angustia eruit, & in hostibus meis,* quod volui, *vidit oculus meus. Iehouah*
*exercituum nobiscum: arx sublimis* est *no-*
Ps. 116.13. *bis Deus Iaacob. Selah. Calicem salutum*
Esth.8. *accipiam, & nomen Iehoua inuocabo. Iehu-*
16. *dæis fuit lux, id est, lætitia, & gaudium & honor.*

Post hæc benedictionem sũper poculo vini pleno pronuncians, aliquantulumq; vini interim è poculo eodem in terram profundens, Benedictus, inquit, esto domine Deus noster, rex mũdi, qui fructum vitis creas. Hoc ita peracto, poculoq; in manum

manum siniſtram ſumpto, pixidulam illam præſtantiſſimis plenam aromatibus in manum ſumit dexterã; &, Benedictus, inquit, eſto domine Deus, qui aromata creas multiplicia. Pixidulamque ad nares, odoris bene olentis inde percipiendi gratia, admouet; eandemq; familiæ mox vniuerſæ in finem porrigit eundem. Poculum deinde rurſus in manũ dexteram ſumit, & ad candelam abiẽs magnam illam, diligentia non parua vngues manus ſiniſtræ contemplatur, ita vt digiti intra manum curuati, in ea vmbram quandam efficiant. quos digitos poſt extẽdens aſpicit forinſecus adeo, vt apud candelam cognoſcere poſſit, vngues iſtos digitis candidiores eſſe. quo perſpecto, Benedictus eſto, inquit, domine Deus noſter, rex mũdi, qui luminare quoddam clarum crearis. Sumit deinde poculum rurſus in manum ſiniſtram, vngues digitorum manus dexteræ contemplans ſimiliter. Mox iterum poculum idem in manum reſumens dexteram, Benedictus, inquit, eſto, domine Deus noſter, rex mundi, qui diſcrimen inter ſanctũ & nõ ſanctum, inter lumẽ & tenebras, inter Iſraelem & populos, inter diẽ ſeptimũ & dies alios ſex opi deſtinatos cõſtituis. Benedict⁹ eſto domine, qui diſcrimen facis inter ſanctum & non ſanctum (interea dũ precatiunculam recitat hãc, iterũ vini pauculũ è poculo in terram

effundit) Parum deinde bibit ex eodem, impertiens aliis etiam quid indidem pitissandum. Hîc sabbato finem eius plenè consecuto, septimana econtra capit initium.

Inter preces istas nocturnas vna est, incipiens *Vaiehi noam*. In illa litera *Zaiin* nulla est. *Zaiin* autem arma significat. Quisquis igitur precatiunculam istam animo attento precatur, is per noctem illam sequentem totam contra generis cuiuslibet arma secutus est, adeo; vt nec cædi, nec etiam pũgi queat, &c. Eodem modo contra diabolum tutus est, quando *krias* illud *schma*, precationem, inquam, illã *Schma Iisrael*, audi Israel, deuotè precatus est. Versus enim iste à litera *Schin* orsa in *Dales* terminatur; quæ literæ duæ simul iunctæ faciunt *Sched*, quod diabolus est, &c.

Discriminationem sabbati à septimana reliqua è sententiis demonstrant hisce: *Vt discernatis inter sanctum & profanũ*: Item, *Diuisit Deus lucem à tenebris*.

Leuit 10. 10. Gen. 1. 4.

De vino benedicto illo *habhdalah* quidam aliquid oculis illinunt: quidam faciẽ lauantes eodem totam, oculorum visui fluxuique eorundem medicinam fore putant. Quidam arteriæ de eo aliquid superlinunt: quippe quod inde sibi vitam prolongatum iri delirent: quidam de eo in angulos omnes, itidemque circum lectos,

Orach chaiim nũ. 296.

ctos, infantes, cunas aliquid spargunt; illud aduersus incantationes & præstigias omnes salutare esse somniantes. Vinum hoc isti quam maximi faciunt, prout & illud alterum, quo sabbatum initiari consueuit.

Aromatibus autem istis nares admouent, ne in lipothymiam quandam incidant, dum anima videlicet vna ex illorum corporibus denuo discedit. Die enim sabbatino præter animam consuetã præditi sunt & alia. Hac de re Antonius *Margarita* in libro eius de fide Iudæorũ hunc scribit in modum: In Talmudo ipsorum scribunt Iudæi, quod homo quilibet animas habeat tres: id ex Esaia propheta; *Sic ait dominus Deus, qui cælos creat & expandit, qui terram facit, & quicquid enascitur ex eadem; qui populo super eadem versanti animam* (vel habitum) *dat, & spiritum eis, qui super terra eadem sunt*; dicente, confirmare se posse sibi nugaciter imaginati. Iuxta textum vatis hunc animas in homine duas inueniunt, quibus si anima hominis vere naturalis annumeretur, animę tres existunt. Vnde scribere deinde pergentes, ex homine dormiente animas additicias duas egredi somniant: & vnã quidem earum sursum ad Deum se conferentem, res ibidem discere futuras; alteram verò deorsum descendentem in terram ingredi, in eademque hinc inde discur-

rentem, non aliud quicquam nisi quod iniustum, peccatum, stultitia, vanitas deniq; sit, contemplari: hancq; animā peristos *ruach behemis*, animam brutalem nominari: quæ primo omniū per hominem accepta, maneat prope cor eius, omniaq; videat, quæcunq; animæ cæteræ duæ ex eo egressiæ audiāt, videant, faciāt. & quod inde sequātur orianturq; somnia omnia: quæ iccirco non semper contemnenda sint. Aiunt autem, quod homo die sabbatino animam adhuc aliam possideat, quæ ipsi cor eius dilatet, vt sabbatum multo honorabilius peragere, seque longe plus exhilarare possit, quam destitutus eadem facturus nō fuisset. At quando sabbatum finitur, tunc anima quoq; hæc rursus ab homine discedit, indeque debilis ille fit; contra quam debilitatem aromatib. hisce valde bene fragrantibus feliciter vti queat; quod inde corpus iterum vires amissas recuperare habeat. Hucusque Margarita. Vndenam vero quæ scripsit, habuerit, ego in libris Iudaicis hactenus inuenire non potui.

Tractatu Betzah cap. 2. pag. 16.

De anima vero superflua in Talmudo memini legisse me talia. Dicit *Rabbi Iose* nomine *Rabbi Simeon*, qui filius fuit *Iochai*, quod mandata illa omnia, quæcunque Deus populo Israëlitico dederit, dederit ipsi palam, Sabbato solo excepto: quod Sabbatum illis clam dederit, quemadmodum

dum per literas memoriæ proditũ extet: *Ipſum* (ſabbatum) *inter me & filios Iſrael ſignũ eſt in perpetuũ*: vbi Iudęi ſignum perpetuum pro ſigno abſconſionis accipiunt, volentes Sabbatũ populis aliis abſconditum Iſraelitis ſolis manifeſtatũ eſſe (Nota itaq; diligenter, Lector Chriſtiane, quod vox textus Hebraici *Leolam* ſecundũ intellectum humanũ ſiue rationalẽ & non brutalẽ ſignificans *in æternũ*, ſecũdum interpretationẽ Iudaicã *abſcõſionẽ* & *cælationẽ* deſignare cogatur.) Hic *Rabbini* ſapiẽtes quærunt in *Gemara*, Quod ſi, inquientes, populi Chriſtiani nec nõ alii, non ſciunt, quod nos ſabbatũ habeamus; quî fit, quod iſti propter ſabbati cõtemptũ tandem aliquando puniendi ſint, quod & ipſi ſabbatum non obſeruarint? ſibiq; reſpondent ipſi, Sciunt, aiẽtes, iſti ſat bene, quod nos ſabbatũ ſeruemus, illudq; ipſum eiſdẽ obſcurum nõ eſt; ideoque, quod obſeruare noluerint, eruat puniendi. Mercedem vero obſeruationi Sabbati deſtinatã non norunt; ea ab illis abſcondita eſt. Quanquam ſi ſabbatũ rectè obſeruarẽt, mercedẽ quoq; ſcire poſſent & ipſi. Id autẽ iſtis prorſus impoſſibile eſt, cum anima ſuperflua deſtituantur: quippe quod ea die ſabbatino hominibus abundantius detur quam dieb. aliis, eademq; corda ipſorum dilatet, vt tempore ſabbatino facile quieſcere, cum lætitia bene & mandere & bibere queant, curaſque omnes & mole- Exod. 31. 17.

Tractat. Taanis de Ieiunio. c. 4. pag. 27.

stias è pectoribus exterminare. Hinc *Rabbi Simeon* filius *Lakis* affirmauit, quod Deus animam superfluam tempore sabbatino circa vesperam homini dederit, eandemque ab ipso rursus auferat, sabbato iam finem eius consecuto, prout scriptum sit: *Schabbath vaiinnapheſch*, hoc est, *Quando sabbato durante ad satietatem quieuit, tum exanimatur*, hoc est, tum anima eius superflua, ab eo quoque discedit. Hucusq; Talmudus. Vbi rursus attendas, velim, ad bellam illam Iudæorum scripturas interpretandi rationem. Verbum enim *iinnapheſch* superius positum, Rabbinis *exanimatus*, vel *anima spoliatus* esse oportet, cũ re vera significationem isti è diametro repugnantem habeat; *refotillauit*, *recollegit*, *recreauit*, *animum excitauit*, designans. propriissime *respirauit* est. id quod humano more Deo ipsi adscribitur, de quo tamen nullatenus dici intelligive potest, quod animam amiserit aut perdiderit. In cœcitate hac Iudæi prudentiam sapientiamque ipsorum summam ponere non erubescunt. De anima superflua hac disputat etiam subtilissimè *Rabbi Abraham* in *Medraſch* vel expositione eius super pẽtateuchum Mosis, qui liber *Zeror hammor*, fasciculus myrrhę vocatur. Interpretes hîc alii nonnulli modo significatis semeliores exhibentes aiunt, quod nares ad aromata illa adhibeãtur ideo, quod ignis infer-

infernalis tempore quidem ſabbatino nõ
puteat: quamprimum vero ſabbatum
finitum ſit, & fores infernales redaper-
tæ, vt *reſchaim* & impiorum vita functo-
rum animæ in infernum rurſus intrare
teneantur, tum rurſus putere incipiat,
contra quem putorem odor aromatum
horum remedium præſentiſſimum ſit na-
ribus admotis exceptus: prout in Germa-
nicis ipſorum *Minhagim* ſcriptum legi-
tur, &c. Vngues autem fœcunditatis i- pagina 3.
pſorum cauſa contẽplantur; quod quam-
uis diebus Veneris ſingulis abſcindantur;
ſemper tamẽ repullulent iidem. Alii nar- Minha-
rant, quod fiat ob veſtem illam, quam gim pag.
Deus Adamo primo in paradiſo fecit. il- 4.
lam enim caryophyllorum, vel vnguium
è digitorum extremitatibus excreſcenti-
um colore fuiſſe. Alii ſcribunt, diſcriminis
illius, quod inter vngues & carnes eorum
eſt, admirandi cauſa fieri: quæ conſidera-
tio admiranda ab Adamo quoque primo
profecta ſit. qui cum vidiſſet, mundum
tenebris oppletum fuiſſe, lacrymans, Væ
mihi, exclamarit, ob cuius vnius pecca-
tum mundus obtenebratus ſit vniuer-
ſus! Tum Deus animo eius ſuggeſſit, la-
pidum duorum alterum alteri allideret: Vide tra-
quo facto è lapidibus iſtis inter ipſos con- ctat. Tal-
cuſſis ignis exiluerit, ex quo ille lumen mud. Pe-
accenderit. Animaduertens autem Ada- ſachin
mus, quod vndecunq; nudus eſſet, partib. cap. 4.
pag. 54.

digitorũ extremis, quæ vnguib. quasi vestitę essent, dũtaxat exceptis, ea de re Deũ cũ admiratione ingẽti laudauit, prout de hoc in libello Colbo vocato, legere licet. De vino illo *habhdalah* benedicto effundunt aliquid in terram, boni ominis ergô, quod effusio talis, domum illam, in qua vinum tale effundatur, reb. ad vitam sustentandam necessariis omnibus affatim abundaturam, designet: idque adeo, vt hinc scribere non vereantur, quod vbicũque vinum tale perinde ac aqua nõ effundatur, ibi quoq; *simã brachah*, signum benedictionis nullum sit. Opinantur pleriq; effusionem illam vini ad refrigerationẽ Choræ istius omniumque eius rebellium sociorum fieri. Hos enim per terram deglutitos sub eadem adhuc viuere, perque vinum taliter benedictum refrigerium quoddam sentire nugantur.

Paulo superius aliquid de fœtore ignis infernalis narratum est: ad cuius confirmationem ampliorem historia talis in Talmudo perscripta est. Impius iste *Turnus rophus* tempore quopiam è *Rabbi Akibha* quæsiuit, in quonam sabbatum Iudæorum excellentius esset diebus aliis, quantumuis id isti honoribus tantis prosequi non recusent. Cui *Rabbi Akibha* respondens, Cur, inquit, & te plus honorare oportet, quam mortales tui similes alios? Qui ad ista subiiciens, ideo, inquit, quod

Tractat. Sanhedr. cap. 7.

rex

rex, dominus meus hoc ita fieri velit. Cui *Rabbi Akibha* rursum respondens, Ita, inquit, Rex regum omnium, Deus noster etiam vult, vt nos sabbatum plus honoremus, quam dierum reliquorum quēquā. Tunc impius iste Turnus ad ista rursum respondens, Quis, aiebat, tibi pro certo affirmare potest, vel, vndenam tu pro certo scire potes, quod sabbatum vestrum dies septimus & ita sabbatum genuinum sit? Fieri potest, vt dies alius quispiam sabbatum id vestrum sit. Cui *Rabbi* respondens, Hoc, inquit, primum probari potest flumine *Sambatione*, quod spatio dierum septimanæ sex fluit tam potenter, vt lapides ingentes secum auferat: cuius rei gratia per septimanam totam flumen illud nemo transire valet: die vero sabbatino in sabbati honorem stans immotum quiescit. Deinde idem tibi demonstrare possum per sepulchrum patris tui: ex eo enim per septimanam totam & fumus & fœtor ignis infernalis exhalat, quod ille septimana tota durante igni infernali vratur. Die vero sabbatino sepulchrum istud idem non fœtet. Eo enim tēpore pater tuus ex inferno egressus requiescit, adeo scilicet, vt ignis infernalis vim in eum nullam prorsus exerere possit: quam eandem ob causam ignis infernalis idem tēpore sabbatino non fumat. Cum iā Turnus iste videret, quod res illa sese sic habe-

ret, tunc ad *Rabbi* conuersus, Forsitan, inquit, iudicium contra ipsum infernale expirauit? Cui *Rabbi*, Vade, inquit, ad sepulchrum sabbato iam finito, videbisque quod fumet adhuc. Qui dicto *Rabbi* audiens abiuit, remque ita, ceu *Rabbi* dixerat, sese habere expertus est.

Qui ob id facinus audax aggressus, patrem præstigiis ex inferno reduxit, eumque mox alloquens, Quî fit, inquit, quod cum in vita tua tota sabbatum non sanctificâris, illud iam vitâ functus obserues? Quantum temporis decursum est, ex quo Iudæus tam probus factus es? Cui respondens ille, Fili mi, dicit, Quisquis apud vos viuens adhuc sabbatum nõ obseruat spõte, is cogitur illud hoc in loco contra voluntatem eius post mortem obseruare. Cui filius respondens, Qualis, inquit, est apud vos diebus profestis negotiatio? Ad quod pater subiiciens, Diebus, inquit, profestis vrit nos aliquis igne, die verò sabbatino requie perfruimur. Etenim tempore sabbati vespertino, seu Veneris die vox aliqua semper existit, quæ tempus requiescendi esse, clarè pronuncians, iubet, vt impii ad requiem captãdam discedant. Quo audito, nos voci isti morem gerentes, ad requiem recipimus nos, sabbatumque requiescendo sanctificamus. In fine verò sabbati, quando Iudæi *sedarim*, ordinationes precationesque eorum

rum absoluerunt omnes, venit angelus quidam malus *Dumah* vocatus, præfectus noster, qui vociferans edicit, vt in infernum redeamus, quia populus Israeliticus sabbato eius finem imposuerit. Reuersos igitur in infernum, vrit ibidem nos igni per septimanam totam, tãtisper dum sabbatum velut in orbem redierit. Hæc apud nos geri solent.

Quod si quis sit, qui de nugis horrendissimis his plura fortassis legere velit, videat is *Rabbi Bechai* in *Parscha*, *Vaiischma Iethro*, hoc est, in expositione eius super libri Mosis secundi caput octauumdecimum; vbi multa de sabbato perscripsit. Iam vero cum Deus quoque ipse & in lege Mosis & in prophetis, vt multum, ita sæpenumero præceperit, vt sé die sabbatino ab externis operibus omnibus abstinentes, Iudæi viderent, ne sabbatum profanarent; ex eo disputatio inter eorum Rabbinos ingens exorta est, inquirentes, quid igitur tempore sabbatino vel agendum vel omittẽdum videatur. Hac de re in Talmudo tractatus amplissimus est scriptus, super quo præcipui doctissimique Rabbini commentati sunt ita, vt quanto quisq; subtiliores acutioresque de sabbato recte colendo cogitationes in medium proferre potuerit, is aliorum Doctor habitus sit, aut haberi certè voluerit. Ego solum paucula quæ-

dam è multis hoc in loco recitabo. Et primo quidem, cum Deus in lege sua mãdet, quod homo non solum, sed & animalia bruta requiescere debeant, isti (*Rabbini*) valde subtiliter argutantes inquirunt, quousque brutum quodpiam, ceu sunt equus, asinus, animaliaque id genus alia plura, tempore sabbatino progredi licitè queant. An item, & quid portare animalium istorum quodpiam licitè queat. Totum hoc in Talmudo magistraliter decisum & declaratum inuenire est. Animal nempe nullum die sabbatino ex ædibus egredietur, quod apud aut super se plus gestet, quam quo saltē duci, retardari, & impotestate seruari possit. Sic equus aut asinus è domini ipsius stabulo exiens frenũ, habenam, capistrum; non aliud quicquam, portabit. Simius, cercopithecus, catellus, canis venaticus, cum millo, è quo restis aliquis religatus sit, per quem taliter ducatur ne aufugere possint, foràs prodibunt. Hæc tamen animantibus istis die nõ sabbatino, sed eum precedēte adhibēda sunt. Equum sella instratum emittere vetitum est. Iam verò hominem vel onus aliud vllũ portabit equus idē multo minus: ideo, ne onera talia pressus & grauatus lædatur. Quod si quis die sabbatino cum equo vel asino domum reuertatur, vel in hospitiũ aliquod equitando ingrediatur; tum clitellas equidem soluere licitum est, deponere

Tractatu de Sab. cap. 5. pag. 52. Orach chaiim. nũ. 305.

nere vero permissum non est. Quod si vel equus vel asinus ipse corpus agitando clitellas excutiat, tum Iudæus eques excusatus & sine peccato est. Quod si quis equũ ducet per habenam, ille ipse ne ligulam extra manum vltra manus latitudinem propendere sinat, accuratè videbit: & hoc quidẽ faciet ob id, ne quis, quod ductor equi habenam istam sua causa sic in manu gestet, opinetur. In primis etiã cauebit, ne inter manũ & equum ipsum ligula eadem nimiũ propẽdeat. Id. n. si fieret, tum ducẽs equum non videretur equum ducere, sed habenam istam pro beneplacito gestare. Atqui die sabbatino vel tantillum gestare peccatum est. Gallinam die sabbatino cũ panniculo vel funiculo ad pedẽ vel alã, vt per signum hoc recognoscatur, assuto in publicum prodire permittere, religio sit. Panniculus vel funiculus eiusmodi die Veneris à gallina auferendus est, vt die sabbatino sine molestia quiescat. Quod si pecus aliquod in fossam prolabatur, indidem que per seipsum exire non valeat, tum ei ibidem pabulum suppeditandum est tantisper, dum sabbatum plenè decursum sit: quo decurso tandem extrahẽdũ est. Quod si aqua fossę profunda sit, ideoq; cõmode cibari nõ queat, tum manipuli straminei, aliæq; res ei substernẽdæ sũt, ne, si fieri possit, vt per media talia cõseruetur, in aqua prę focatũ vita priuetur.

Quod si sic sua ipsius ope è fossa eleuare se possit, tum Iudæus innoxius est, mandatumq; de sabbato non profanando minimè transgressus est.

Matth. 12. 11.

NOTA, huic contrarium videri, quod Christus Iudæis eum, quod die sabbatino ægros sanaret, accusantibus obiecit; Quis est, inquiens, inter vos, qui ouem, die sabbatino in foueam prolapsam die eodem indidem mox extrahere non conetur? quasi dicere vellet; Quod si vobis permissum esse putatis, die sabbatino pecus aliquod è fossa, vt istud in vita conseruetis, eximere; quãto magis homo, qui, quã pecus, multo pluris æstimandus, ne pereat, eo die iuuãdus est? Ex hoc apparere videtur, quasi tũ tẽporis pec⁹ die sabbatino è fossis extrahere concessum fuerit: cũ tamen ius Iudęorum Canonicum, quod ius illorum spirituale Talmudicum est, huic è diametro cõtrarium ponat & cõcludat. Et hinc sane est, quod *Rabbi Lipmannus*, impius iste Iudęus, in libro quẽ triumphũ de historia quatuor Euangel. reportatum inscripsit, & an. Christi 1459. publicauit, Christũ accusat, quasi Iudæos die sabbati bouẽ vel animal aliud vllum in fossam prolapsum ex ea die mox eodem extrahere solere, & falso, & contra iura nec non cõsuetudines ipsorum docuisset: quẽadmodũ Sebastianus Munsterus in Euangelio Matthęi Hebraico memorię scriptũ reliquit.

quit. Ad quod ego respondens aio, Christum veritatem ipsissimam nūquam quicquā prēter veritatē loqui potuisse, & in ore eius nunq̄ vel falsū vel dolum fuisse repertū; idq; adeo, vt citius, quam Iudęi cōtrarium demonstrent, superstitiosi illimet ipsi vnà cum patre ipsorum diabolo mendacii auctore in æternum pudefiant. Verum quidem est, quod ius Talmudicum temporum præsentium tale sit, vt ex eo Christum falsum locutum fuisse probari posse videatur: prout inter alia exemplum per Munsterum ex historia quadam Saxonica de Iudæo quodam, qui die sabbatino (sit venia dicendis) in locum secretum ceciderat, adductum ostēdit. Is enim ibidem per sabbatum relictus cibo sustētatus est, & mox exemptus è cloaca nō est. Episcopus autem loci istius ea de re certior factus, seuerè Iudæis edixit, ne illum die dominico Christianis solenniter festiuo indidem extraherent. quapropter eum ibidem per biduum integrum manere oportuit. Fateor ergo, ius ipsorum Talmudicum, quo temporibus hodiernis vtuntur, Christi verbis aduersari: ab initio verò rem minimè gentium sese sic habuisse. Primo enim idipsum *mischnaios*, hoc est, traditiones & constitutiones ipsorum Iudæorum, secundum quas tempore Christi vixere, veteres ostendunt. Iam deinde si Christus falsum dixit, quî fit, quod ser-

mo eius per phariſæos ne ipſos quidem mendacii mox coargutus eſt? Phariſæi profecto verbis domini cõtradicturi fuiſſent, ſi quidquam traditionib. & iuribus eorum vulgaribus repugnans in medium protuliſſet. Quod ſi quis iam quærat, quomodo in ius ipſorum, quo nunc temporis vtuntur, inſertum fuerit; ei reſpondens ego dico, quod conſtitutio quædam nouella per Rabbinos & Thalmudi fabros in *Gemaram* ſiue complementum *Miſchnaios* & traditionum veterum, ex odio teſtamenti Bibliorum ſacrorum noui, & fidei Chriſtianę, annis poſt natiuitatem Chriſti centenis aliquot relata eſt, è traditione quadam diſputandi more conquiſita vel extracta; prout hoc ipſum in ipſorum Talmudo luce meridiana clarius apparet. In hac nimirum tale quid poſuerunt, quo Chriſtum cõtra ipſos falſum locutum fuiſſe parum gnaris perſuaderent. Sed vt ad inſtitutum reuertar, permiſſum eſt Iudæo, vt die ſabbatino dicat Chriſtiano, vt hic vaccam capellamve illius emulgeat, ne ſcilicet lac pecus ipſum premens doloribus afficiat; non autem ob id, quod Iudæus lacte veſci velit. Aliàs enim perinde foret, atque ſi mulſiſſet ipſe: attento, quod quicquid facit aliquis per alium, perinde ſit, atque ſi faciat ille met ipſe. Vnde ſapientibus Iudæis aliquibus conſultum eſt viſum, vt Iudæus lac ta-

Tractatu de ſabb. cap. 18. pag 128.

le à

le à Christianis pro nummo vno duobusve redemptum eat, cum sic futurum sit, vt ludæus lacte dicto tempore quoque sabbatino licitè vesci queat: quasi Christianus id vtilitatis eius propriæ, non autem Iudei gratia tempore sabbatino mulsisset. Sed cum res istiusmodi nimium subtiles sint, ideoque describi non possint, missas eas facientes ad alia pergemus. Sequitur ergo de requie, sabbatique sanctificatione hominem concernente.

Igitur & viris & mulieribus tempore sabbatino currere prohibitum est; adeo, vt, nisi iussionis alicuius diuinæ implendæ causa faciendum sit, non plures quam pedes passusve duos, vinam vnam tantummodo longos (etenim si contrarium fieret, tum visus ipsis, vt antea commemoratum meministi, minueretur) facere, fas sit. Iuuenibus tamen permissum est, vt tempore sabbati spatiando, currendo, saltando sese oblectent, si illud in honorem sabbati faciant. Fossam quoque saliendo transmittere permissum est. Per aquas autem incedere prohibitum est: ne, si quis id faciat, ille caligas madefactas iterum siccare cogatur. Vir arma, qualia sunt, ensis, hasta, cataphracta, gestandi licentiam non habet. Sartor cum veste, in qua acus aliqua hæreat infixa, extra ædes exire non debet.

Orach chaiim nũ. 303.

Claudus, qui sine baculo vel scipione ingredi non potest, baculo scipioneve se fulcire licite potest. Id quod cœco facere licitum non est. Causa aquarum profundarum cœnive copiosi super grallis incedere concessum non est; quamuis enim videatur, quod grallæ portent hominem, illæ tamen ipsæ reapse per hominem portantur. Aliquid aliquô transportare vetitum est. Larvas facievve fictitias ad alios terrendos induere nefas est. Emplastrum, & quicquid vulneri curãdo opus est, super vulnere portare licitum est; quod tamen si deciderit, rursus eleuare vulnerique denuo superimponere nõ licet. Vulnus quoque ipsum recenter obligare nefas est. Pecuniam, qualis est aurum, argentum siue sacco, siue sarcinæ inclusum, siue vestibus insutum, peregrè gestare piaculum est.

Orach chaiim nũ. 302.

Cœnum calceis adhærens pedis ad murum parietemve affrictu decutere licitum est: terræ vero affricare non decet; ne faciens idipsum fossam quandam implere putetur. Cœnum caligis vel pallio adhærens vnguibus defricare licitè quis potest, quoties humidum adhuc, & siccum non est. Inde enim puluis existeret, quem videns aliquis, cogitare posset, eum quisquis puluerem talem excitasset, vel pingere quid vel conterere veritum non esse. Quod si quis manus cœno commaculauerit, huic eas ad caudam equinam

nam vaccinamve, vel crines equorum lõgos, affricando deterere vetitum non est. ad mãtile vero vel aliud huiusmodi quod purum sit, hoc facere vetitum est: ne tale die sabbatino rursum lauare cogatur. Flabellum muscarium, ad muscas animalcu- Orach chaim laque id genus alia per id abigendâ, por- nũ. 308. tare nemini permissum est. Si quis opus & 312. habeat, vt naturę necessitati pareat; huicce lapillos equidem nonnullos tollere alicunde licet. Cui, si domi locum habeat proprium, lapillorum tantum, quantum manu portare valet, vt necessitati naturæ tanto commodius parere possit, tollere permissum est, &c. Pulicẽ super terra vel vestibus hinc inde saltitãtem capere non licet. Qui si quem pungat, à puncto per eum licite quidem capi, sed licitè perimi non potest; sed viuus aliquo duntaxat abiiciendus est. Pediculum perimere fas est. *Rabbi* tamen *Eliezer* docendo dixit, quod quisquis pediculum die sabbatino perimat, is tantundem faciat, quantum faceret, qui vel camelum necaret. Super hac re, (quomodo scilicet intelligẽda sit) acutè disputatum est. Quidam concluserunt, quod animalia nulla naturaliter sese multiplicantia die sabbatino perimere fas sit. Pulices autem hoc genus animalcula esse, quippe quæ per cõmistionem naturalem oua concipiant; animalcula vero cætera, quotquot è sudore vel

humoribus aliis malis gignantur, occidere permissum esse. Ad hoc autem genus pertinere pediculi plerisque videntur. Quamuis & hic dubitatio quædam ob sermonem *Rabbi* cuiusdã præcipui, quod pediculi quoque ipsi ex ouis excludantur, affirmãtis, exorta est. Hinc *Rabbi* talis hunc docuit in modum: *Mãr*, inquit, quod Deus in cælo sedens cibet creaturas omnes à cornu Rhinocerotis vsq; ad oua pediculorum, id est, ab animalium maximo ad minimũ quodq;. Quicquid super hac quæstione disputatum sit, hoc in Talmudo reperitur; igitur vt hîc cõmemoretur, necesse nõ est: & id quidẽ tãto magis, quod nõ quiuis vnus subtiliratibus hisce capiẽdis idoneus sit. Super arborẽ ascendere vetitum est cuiq;, ne ramus ex ea defringatur. Quod si quis gallinis, aut animalibus aliis vel in horto vel alio quodam in loco, pluuiis exposito, vel auenæ vel frumenti quid aliud obsipet edẽdum, videat ille, ne plus obsipet, quam bestiæ tales peredere possint. Residuum enim, si plueret, è terra germinans pullularet: qua ratione Iudæus die sabbatino frumentum seuisset, idque faciendo peccatum permagnum commisisset. Super instrumentis, sibi fides superintensos habentib. & aliis sonum vocemq; dãtibus quibuslibet, canẽdi saltandiue more lũdere permissum non est. Quin & oris sibilo fla-

Tractatu de sab. cap. 14. pag. 107.

Orach chaiim nũ 338.

tuve-

sive psalmum: sive cantionem edere vetitum est. Oris autem sibilo sodali suo signum accedendi dare, prohibitum non est. Circulis ianuarum ferreis, vt & malleis, ostia pultare nemini permissum est: eo non obstante, quod neque cantionem neque choream pulsatione ista edendam esse significare velit. Quia enim quisquis id faceret, vel clauum in ianuam infigere, vel aliud fabricare putaretur; ergo res hæc permissa non est. Et hæc est causa, cur ædituus ipsorum, ianuas eorundem manu pulser, quoties illis ad synagogam itandum esse, signum dat. Rabbini tamen admiserunt, vt Iudæi Christianum orare possint, vt hic die sabbatino super testudine vel instrumento id genus alio in sponsi sponsæque nuptias sabbato celebrantium honorem ludat: & non attento, quod id in gratiam Iudæi fit, permissum tamen est; cùm tempore sabbatino oblectatio tanto maior excitetur. Iudæus autem nullus super instrumentis licitè ludit. Quid? quod digitis mensam vel ad saltandum, vel ad infantem à fletu vociferationeque reuocandum pulsare pium non sit. Super mensa humida, super cinere vel puluere terræ cum digito nemo literam describet. In aëre vero id facere vel omnibus permissum est. Scriptura nulla, sive super papyro, sive cera exarata sit, scalpendo eradenda est.

Orachchaim num. 340

Ad summam; Iudæi articulos laborum omnium summarios & principes, ad quos alios, etiam tam paruos quam cogitare quispiam queat, referant, triginta nouem habent. Atque quemadmodum fons aliquis in riuulos multiplices sese diffundens dirimitur, qui riuuli cum scaturigine ipsa semper aliquid cõmune retinent, quantumuis sæpenumero indolem ipsorum ob loca, per quæ fluunt, immutent: ita simul ex articulis illis, qui labores Iudæorum concernunt, capitalibus, labores alii multi tanquam riuuli à fontibus ipsorum deducti promanant; qui labores vtut à reliquis capitalibus separati esse videantur, semper tamen similitudinem quandam cum his ipsis habent. Exempli gratia. Articulus capitalis seu summarius est, *Agrum colere*, vel *agrum arare*, vel *agrum ædificare*. Ad hunc articulum referuntur *Fodere, fossas implere, Hortum ligonibus apparare, Herbas transponere, Arbores plantare, Vites ordine ponere, inoculare, putare, Herbus arbusculasve aquis aspergere* vel *aquare*; & si qui labores alii sint, per quos res quælibet secundum indolem proprietatemq; ipsius, vt crescat, promoueri potest. Sic ob causam *fossas implendi Rabbini* isti summè sapientes sabbato quidem cubiculum quoddam in domo aquis aspergi permiserunt, ne puluis excitetur; sed scopis illud verrere non permiserunt; ne verrendo nimirum

mirum fossula quędam in hypocausto vel conclaui impleretur. Eadem de causa voluerũt, ne quis nucibus, globulis, aliisve similibus fossam iaciendo attingere niteretur. Noluerunt iidem ne quis super nouali incederet, ne fortasse fossula quædam pedibus superingrediendo planaretur, aut impleretur. Articulus secundus est, *Segetes cædere* vel *demetere*: sub quo isti *dactylos, vuas, oliuas*, vel *baccas oliuarum, ficus legere, poma decerpere, Apibus mella adimere*, aliaque similia complùta comprehendunt. Hinc per eos die sabbatino poma edere & degustare, dum adhuc è caule dependẽt, equidem permissum est: ea vero cum caule decerpere, vetitum est. Ita per agrum segetibus virentem, tempore præsertim pluuioso, incedere nefas est. Semen enim calceis, quod perinde foret, atque si defalcaretur, euelli posset. Nota, quod ex articuli præsentis fundamento Iudæi scandálizati fuerunt, discipulos Math. 12. Christi tempore sabbatino spicas auellére conspicati. Sub articulum Triturandi refertur *linum & cannabim decorticare, terere, quatere, lanã excutere, torculari vel prelo exprimere, premere res succidas & humidas qualescunque*, cuius generis sunt *oliua, mala citrea, vua, mala punica, mora, panni* quoque generis omnis *madefacti, induſia, vestes* & his alia similia. *Mulgere* similiter huc referri deberet. De quo tamen Rab-

binorū opiniones adhuc dissimiles sunt. Hinc an nutrix die sabbatino per infantis lotium stercusve conspurcata, immundiciem illam eucstigio abluere debeat necne, disputare satagunt. plerīq; putauerūt, quod manus lauare deberet, sicque facere, vt spurcities illa ipsi aspersa sensim eluereturAt *Rabbi Iose* id improbans fieri prohibuit, statuens factum nutricis tale lotionem vsitatam æstimatum iri. Eadem ratione de articulis aliis omnib. qui in Talmudo *abhos melachos*, patres laborum quorumcunq; vocantur, iudicandum est. Iam, siue contra articulos summarios istos, siue eos, qui ab illis oriūtur, quis peccet, perinde est. Articuli à summariis illis orti Iudæis *Toledos* siue generationes sunt. Quicunq; per testes conuictus est, in articulos vel hos vel illos peccauisse, is lapidatione dignus esse iudicatur. Quisquis aūt malitia deliberata contra eorum quēpiam quid in se turpiter admiserit, iste *chaiebh cares*, meritus est, quē iudicans Deus ipsemet è mundo hoc auerruncet. Hæres in tractatus Talmudici capite septimo declarantur. quas si quis describere vellet omnes, illi libri papyracei multi suffecturi non essent.

Tractat. de sab. cap. 7.

Quamuis autem Iudæi sibi persuasum habeant, quod sabbatū debite obseruent, nihil eorum, quæcunque ad honorem & sanctificationem eius pertinent, omit-

ten-

tentes: experientia tamen ipsa & doctrinã, & cõscientiam eorum propriam cõsonas habens, testatur, quod sabbatum adhuc ne semel quidẽ sic, vti decuisset, obseruarint aut sanctificarint. Sic enim in tractatu eorum Talmudico de sabbato scriptũ legitur: *Rabbi Iochanan*, Vnicuiq; sabbatũ sic vt decet, iusq; eius & ordinatio reguũt, obseruanti peccata condonantur, vt vti id sanctificando idololatriam simul exerceze non vereretur: quod scriptum sit, *beatũ esse hominem, qui fecerit hoc, & filium hominis, qui apprehenderit istud, & qui custodiat sabbatum, ne polluat illud*; mechallelo, nẽ profanet; affirmauit. Hęc enim vocis Hebraicæ vis est, vt *profanare* propriissime significet. Sapientes autẽ Rabbini, nõ leges, inquiunt, *mechallelo*, sed *machollo*, ꝙ est, ille remissionẽ obtinuit. *Rabb Iehuda* docuit, quod, si Israelitę post legẽ acceptã sabbatũ primũ recte coluissent, populus extraneus, qui dialecti esset peregrinę, super eos dominaturus nõ fuisset vllus: quia scriptum sit: *Accidit vero die septimo, egressi sunt* quidã *è populo ad cõlligendum* (manna) *& non repererunt*. Ob peccatum hoc Amalek eos adorsus est, prout scriptum est; *Venit autem Amalek, & pugnauit cũ Israele*. &c. *Rabbi Iochanã* nomine *Rabbi Simeõ*, qui filius fuit *Iochai*, Si Israel (inquit) sabbata duo recte obseruaret, mox liberaretur, vt scriptũ est: *Qui seruauerint sabbata mea*, &c. *dabo eis*, &c. *nomen melius quam filiis*

Tractat. de sabbato c. 16. pag. 118.

Iesa. 56. 2.

Exod. 16. 27.

Exo. 17. 8.

Iesa. 56. 4. 7.

*& filiabus: nomẽ ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* & ibidem mox; *Adducam eos ad montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ,* &c. hoc eſt, reducam eos Hieroſolymam. Quoniam verò Iudæi ad hunc vſque diem liberati nõ ſunt, adeoque ſpem liberationis futuræ nullam habent; neceſſario ſequitur, verum eſſe, quod hactenus ſabbatum recte feriati non ſint: quemadmodum illimet etiam ipſi fatentur, quod tempore quoque illo, quo templum Hieroſolymitanum illud ſanctum nondum deſtructum fuit, ſabbatum debite non obſeruarint, eaque de cauſa vrbs Hieroſolyma deſtructa ſit. Sic enim in eodẽ illo Talmudi loco ſcribere pergunt. *Abbai* dicit: Hieroſolyma alia de cauſa non vlla deſtructa eſt, niſi quod ſabbatum profanarunt: quemadmodum ſcriptum eſt: *Sacerdotes eius ſurripuerunt Legem meam, & polluerunt ſancta mea: inter ſanctum & profanum non poſuerunt diſcrimen, & inter immundum & mũdum nõ iudicauerunt, & à ſabbatis meis abſconderunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum.* Obſeruant nimirum Iudæi Sabbatum ipſorum vino bono, carnibus, piſcibus, & id genus omne voluptatibus tam bene quam poſſunt: abſtinent ſeſe ab opere quouis externo: digito ne minimo quidem attingunt, quicquid ſpeciem laboris vllam præ ſe fert, vel tale eſt, vt eius occa-

Ezechiel 22. 26.

occasione ad laborem quendam suscipiendum pronocentur. Quotiescunque vero rei cuiusdam (qualis hyberno tempore hypocausti calefactio, & aliàs luminariũ vel accensio vel emunctio, ciborum ad ignem appositio, vaccarum mulsio est) effectione opus habent; tũ Christianũ quẽdam pauperem simplicemq; seruum ad id efficiendum cõducunt. Hinc gloriari solent, quod ipsi reuera domini sint, Christiani serui; quippe qui ipsorum post fornacem calidam desidentium labores exequantur, &c. Quod cum ita sit, rectum & iustum foret, si magistratus Christianus ediceret, ne ii, quos sibi subditos habet, tempore vel sabbati, vel alio vllo Iudæis operas eiusmodi vllas præstarent.

Pro conclusione capitis huius aliquid de precibus istorum in medium proferre deberem, quomodo nimirum tempore sabbatino Christianorum in partem meliorem meminisse consuẽrint, vtputa, quando precantur, vt Deus ipsis (Iudæis, inquam) bona diuitiasq; populorum dare, Ammonitas, Moabitas, Edomitas (nominib. istis hoc tempore nos Christianos indigitãt) extirpare, metum magnũ & angorem populis omnibus incutere, gladium bellumq; ingens ab Oriente in Occidentem, inter gentes excitare velit. Quoniam vero de talibus aliisque rebus aliquammultis, quas isti contra Christia-

nos eorundemque magistratum scribere non verentur, in libello singulari verba facere decreui, caput hoc per sententiam Esaiæ hanc: *Ne addatis offerre sacrificium mendax: Suffimentum*, &c. concludam.

Esa. 1. 13.

## CAP. XII.

*Quomodo Iudæi ad festũ paschatis sese præparare, in eoque celebrando gerere consuerint.*

QVomodo Iudæi septimanis singulis de die in diem se gerant, vitæq; modestiæ & piæ operam dent, hactenus explicatũ est. Iam, quibus solennitatibus, ritibusq; dies eorum festos celebrare consuêrint, nobis deinde videndum & explicandum erit. Festa vero quędam magna, cum primisq; celebria, quib. olim maiores eorum è locis regionis ipsorum omnibus, & annis quidé singulis Hierosolymã conueniebant, & coram domino comparebant, habent: qualia sunt festum agni paschalis, festum septimanarum siue Pentecostes, festum tabernaculorum: quæ tria vulgo *Schaloſch regalim* è libro Mosis secundo nominare consueuerunt. Habẽt præterea dies festiuos etiam alios, quos iis in locis & ciuitatib. vbi habitant, agitare solent, eosq; *Iamim tobhim*, dies bonos appellantes, distinctim feriari solent. Inter festa illa magna cum primisque celebria festum agni Paschalis *Pesach* appellatũ, omnium primum est: à cuius mense incipiunt festa anniuersaria numerare, prout ipsis Deus in le-

Deut. 16. 16.

Exod. 23. 14.

in lege mādārat: prout scriptum est: *Mensis iste vobis* erit *caput mensium: primus erit vobis in mensib. anni.* Sic ipsis dies primus mensis *Nisan*, hoc est, ipsum mensis Martii nouilunium, annus festorū nouus est. Annum vero communem die mensis *Tisri* siue Septembris primo, hoc est, ipso mensis Septembris nouilunio exordiuntur. Hinc ab initio tractat' Talmudici de anno nouo legitur sic: *Arbaah rasche schanim hachen*, &c. i.e. anni noui quadruplices sunt. Die mensis *Nisan* seu Martii primo annus nouus est & regum & festorum: Die mensis *Elul*, vel Augusti primo, annus nouus est animalium educandorum: Die mensis *Tisri* siue Septembris primo, annus nouus est annorum, anni nēpe remissionis, iubilæi, plantationis arborum & herbarū generis cuiuscunq;: Die primo *Schebbat* siue nouilunii vndecimi, annus nouus est arborum. Docuit tamen *Rabbi Hillel* cum schola eius, quod die primum quintodecimo talis annus incipiat. *Hucusq; Talmudius.* Hoc aūt accipiendum est sic. Annus regum, annus est, secūdum quē isti annos regiminis regū ipsorum, in contractibus, chirographis, omnibusq; instrumentis & literis nō obsignatis, & secundum annos & menses quos rex ipsorum regnauit cōfectis, numerabant; idque adeo, vt, quanquam rex mensem vel vnum, septimanam vnam, diem vnum ante Martium in regem electus & confirmatus fuisset; tem-

Exod. 12. 2.

Rosch hascha schanim 1. c. 1.

pora tamen illa qualiacunque pro anno integro numerata sint, annusq; secundus regiminis eiusdem regis mense Martio rursus inchoatus sit. Eodem modo dies primus Martii principium est festorum seu mensium, secūdum quos illi festa feriasque numerabant. Ita festum agni paschalis est in mense primo; festum tabernaculorum in mense septimo, Septembre nimirum, & ita deinceps. Postea principium Augusti erat annus educandorum animalium primus; à quo nimirum & annos & menses, in quibus animalia iuniora in lucem edita fuissent, vt nimirum decimam veram illorum Domino dare possent, numerationem auspicabantur. Tertiò, dies primus Septembris nouilunii principium est annorum, quod ab eo nimirum adhuc in diem hodiernum vsque tempora annorum post conditum mundum supputantes à mense hoc numerum anni ipsorum faciunt. Similiter à mense hoc inceperunt tempus anni remissionis aut requietis, qui annus erat septimus, quando videlicet & agri & vineæ ipsorum requiescebant: item principium anni lubilæi, qui annus erat quinquagesimus; de quo capite libri Mosis tertii vigesimo-quinto tractatur: à quo item incipiebant supputare tempora, quibus & arbores & herbas teneras plantassent, vt annum impuritatis earum recte numerarent. Ita,

quan-

quando arbor mense Iunio plantata erat, tunc annus primus in Augusto erat decursus, & annus secundus initium capiebat in Septembre, & ita deinceps: & arbor illa tribus annis pro incircumcisa & impura reputabatur; quēadmodum ea de re libri Mosis tertii capite decimonono docetur. Postremo, prim⁹, vel (vt *Rabbi Hillel* voluit) dies decimusquintus nouilunii vndecimi Ianuario nostro valde similis, erat annus nouus & arborum & fructuum arboreorum. Nā prout ante vel post diem hunc gemmas protrudebant, ita fructus earū esui permissi, vel non erant permissi. Secundum supputationem similiter eandem decimam de illis pendebant. Ita fructus arborum ante mensem hunc maturè gēmascentiū, vt sunt *dactyli*, *mali citreorum*, aliæq; his nō dissimiles arbores, & ita maturè fructus ferentium, anno durante, ante Ianuarium videlicet, edere permissum erat. Quæ verò primum gemmascebant, & anno nihilominus adhuc durante fructus ferebant, earum fructibus vescì fas non erat, nisi post diem Ianuarii quintumdecimum decursum. Ita decimas de fructibus arborum istarum, quæ ante primum vel quintumdecimum diem Ianuarii gemmas protruserant, nullas dabant: quæ verò pòst gemmascebant, de his decimas dare tenebantur. Totum hoc in Talmudi loco pri⁹nominato prolixe tra-

catur. Antonius quoque Margarita in libro eius de Iudæorum fide memoriæ prodidit, scribere Iudæos, quod die prius nominato quintodecimo arbores primũ succum earum vulgo nanciscantur: quodque grana in pomis aut pyris die hoc sese inuertant; quod verum deprehensurus sit, quisquis fructus illos dissecare non grauetur. In Germanicis quoq; *Minhagim* ipsorũ scribunt, quod in mense hoc (*Schabbat*) anserẽ nemo mactare debeat. quod in eo hora mala sit, qua si quis anserem mactasset, eum mori fataliter oporteret. quod tamẽ si quis per ignorantiam fecerit, eum extra periculum futurum esse, si iecur anseris mactati eidem vescendũ fecerit porrectum: *Rabbi Iehuda chasid* hoc ipsum sic edocente. Et hoc de diuersis Iudæorum nouis annis velut in transcursu dictum sufficiet. Igitur ad materiam priorem reuertemur; quomodo Iudæi ad festũ agni paschalis, (id quod isti primum festorum anni mẽsium, secundum quos festa supputant, ratione considerati) se parent, visuri.

P. 23. 7°.

Drach chaiim fol. 429.

Iudæi locupletes diebus triginta totis ad festum hoc, sese præparantes triticum bonum ad panes azymos, quibus tempore festi vescantur, coquendos emunt: Iudæis quoq; tam pauperibus, vt triticũ sibi cõparare non possint, de suo quid impertiũtur, vt & isti, vnde placentas infermenta-

tas

tas cõficere possint, habeant. Mensem *Nisan* (qui incipit, vt explicatum est, tempore nouilunii Martii nostri) totum Iudæi ætate graues nulli; liberi vero eorum soli primogeniti, quando iam festi serum est, ieiunant: prout postea dicetur.

Sabbatum, quod festum paschalis agni proximè præcedit, illis valde sanctum est. Hoc orationem ad populum habentes prolixissimam eum de agno paschali, & vsu eiusdem, erudiunt: sabbatum illud ipsum *schabbas haggadol*, sabbatum magnũ vocantes, idq; miraculi cuiusdã, q̃ tẽpore sabbati illius quodã cõtigerit ita faciunt.

Res hæc hunc sese habet in modum. Libro Mosis secundo scriptum est: *In decimo mensis huius tollẽt sibi singuli agnum per domum patrum, agnum per domum: eritque vobis in custodiam vsque ad quartum decimum diẽ mensis huius: Et immolabit eum vniuersa congregatio cœtus Israël inter duas vesperas.* Exod 12. 3. 6.

Sup hoc Rabbini scribũt sic: Patres nostri sumẽtes agnos eorum die decimo, eos ad cubilia ipsorũ religabant: vt eos ad diem quartũdecimũ retinerent. Id Ægyptii videntes q̃siuerunt ex eis, quid de agnis ad cubilia ipsorũ sic religatis facturi essent. Quibus Israelitæ respõdentes, Nos volumus eos (aiebant) ad *corban pesach schechten*, id est, ad sacrificium paschatis mactare. Ægyptii videntes, quod Israelitæ animal illud, quod isti tanquam Deum ve-

nerarentur (Aries enim signum cæleste populis istis idolum erat) mactaturi, & sic interfecturi essent, dolore magno affecti, malum aduersus Israelitas cogitarunt. Tum Deus miraculum fecit, & animos Ægyptiorum meru, nec non angore tanto percussit, vt nihil contradicere possent, nedum vt Israelitis mali vel tantillum inferre valerent. Ob hoc, (scribere pergunt isti) Moses Pharaoni respondens, *Non est*, ait, *rectũ vt sic faciamus, quia abominationẽ Misraim sacrificaremus Iehouæ Deo nostro. Ecce, sacrificabimus abominationem Misriam in oculis eorum, & non lapidabunt nos?* Abominationem, id est, agnum illum, quem mactare abominabile facinus Ægyptii iudicabant: attento quod Ægyptii eum pro Deo venerarentur. Exod. 8. 26.

In tantum verò Deus ab Ægyptiis cor eorum abstulit, eosq; timore formidineque puniuit tam magnis, vt Israelitis mali nihil afferre valuerint. Hoc scilicet miraculum istud est, propter quod sabbatũ hoc, qui dies etiam decimus fuerit, sabbatum magnum appellant.

Libro Mosis secundo scriptũ est: *Infermentata comedentur septẽ dieb. nec conspicietur apud te fermentatũ, nec; apparebit apud te fermentum in vniuerso termino tuo.* Hinc cõcludunt isti, primò, quod panẽ fermẽtatũ, quantũ quantũ huius apud eos fortassis Exo. 13. 7.

vasis esse queat, diligenter quærere, fermentum omne, hoc est, sordes omnes vtensilium omniũ, quibus per annum totum in domibus quique suis vsi fuerint, lauando purgare, secundò, recẽtè nouamque farinam tritiseam ad panem infermentatum pro paschate conficiendum in promptu habere debeant. Diebus igitur, cum minimum, duobus aut tribus ante paschа supellectilem domesticam vniuersam particulatim, quantum & forma & necessitas requirat, purgare incipiũt. Sumunt itaque *iom tobh*, hoc est, ahenum quoddam festiuum, quo die festo vti solent, idemque sat magnum. Hoc aqua impletum super ignem constituentes bullire faciunt. In ahenum illud bulliens vasa tam lignea quã stannea iam prius purgata immergunt: eaq; post bullitionem sufficientem aquâ frigidâ abluunt: quo facto, quicquid agant, *chascher* est, & recte se habet. Quæcunq; supellex in ahenum istud præ magnitudine eius indi nõ potest; qualis est orca, sedile, scamnum, mensa, aliaq; non absimilis, ea purgatur modo iã sequente. Ferrũ vel saxum ignitũ forcipe apprehensum super supellectili tali sustẽtant. Ei mox aquę ad abundãtiã supfundũt; vt hâc aqua supellex calefacta vndecunque aspergatur & abluatur. Hîc aquæ parsimonia nulla. Quocunq; enim aqua peruenire nequit, ibi supellex ista *ca-*

Orach chaim. nũ. 451.

*scherah* non est, nec recte se habet. Mactrã iam bene elutam calce totam oblinunt, eamq; in locum quendam domus seorsim constituunt. Ahena grandia probè purgata aqua bulliente replent. Postea titiones tres tam vehementer ignitos, vt aqua ex eis efferueat in ea coniiciunt. Ahena illa deinde aqua frigida abluũt. Ad vasa stannea stanneisque similia purganda forcipes habẽt duas, quarum vna ea in aquam feruentem indunt: altera indidem rursus extrahunt; forcipibus vtentes ad id, ceu dictũ duabus, ob hoc, vt quo in loco forcipe priore vasa apprehensa, & aduersus aquam tecta fuerunt, beneficio forcipis posterioris aquę pateant; taliq; forcipum cõmutatione abluantur. Vasa ferrea, ceu craticulæ, verua, opercula ferrea, frixoria, nec non his similia; in ignem conjecta, ignescere faciunt, adeo, vt scintillare videantur. Tunc enim recte sese habẽtia pura sunt. Mortarium ferreũ æreũve carbonibus implent, eisdemq; (mortariis) filum circumligãt, quod si præ calore disiliat, tum mortarium *cascher* vel recte se habens est. Mortarium lapideum, si fieri possit, denuo cædẽdum vel cælandum est. Ad summã, necesse est, vt vasa omnia partibus ipsorum omnibus pura sint adeo, vt impuritas, per fermentum significata, nullibi relinquatur vlla. Quisquis enim è vase non puro festi paschalis tempore ci-

bum

bū cepisset, is peccatū nō minus leue cō-
misisset, quā si mulieri, quando *niddah* vel
impura est, condormiuisset. Quæ cum ita
sint, ergo videmus Dominum Christum
non sine causa grauissima ad Scribas &
Pharisæos, *Vos omisso mandato Dei tenetis* Matth.
*traditionem hominum, lotiones sextariorum,* 7.8.
*& poculorum: aliaque assimilia eiusmodi fa-*
*citis multa. Sanè bene irritum facitis man-*
*datum Dei, vt traditionem vestram seruetis:*
Item, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ:* Matth.
*quia purgatis exteriorem poculi patinæque* 23.25.27.
*partem, intus autem plena sunt rapinâ & in-*
*temperantiâ. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hy-*
*pocritæ, quia assimiles estis sepulchris dealbatis, quæ extra quidem apparent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, o-*
*mnique immunditia. Ita & vos extra quidē*
*apparetis hominibus iusti: intus autem plenī*
*estis hypocrisi & iniquitate,* &c. dixisse.

Sequitur iam quomodo *chametz*, id est panem veterem fermentatumque quæsitum & inuentum expurgent. Nocte festum paschatis præcedente quilibet *baal baiis* seu paterfamiliâs patinam nec non alam purgatoriam sumit, candelulaque cerea prius, quam quærere incipiat, accensa; Benedictus, ait, esto Deus, noster Deus, rex mundi, qui nobis per mandata tua sanctificatis, vt fermētum expurgaremus, mādâris. Iam deinceps in domo magna, vbi & cubicula & hypocausta multa Orachchaim nū. 431. Tract. pesachim c. 1.

sunt, pueros aliquot vel etiam viros (mulieres autem nullas, quippe quæ & pigræ & loquaculæ ad quærendum in idoneæ sint) ad sese assumit. Hi precatiunculæ ipsius superiori *Amen* succinunt: eumque deinceps in quærendo diligenter adiutant. Quilibet eorum lucernulam è cera factam ardentem in manu gestans, eam ad foraminula murium & rimas admouet, vt, num musculus aliquis micam panis eò asportatam reliquerit non plane comestam, videre possit. Lucernulam illã ad quærendum altius tollere nemo tenetur, quam quò commode brachiis extensis pertingere valeat; idq; cum primis quâ paries parietẽ Christiani attingit. Quinimò, ibi ne tantillum quidẽ quærere tenetur. Etenim si foraminulis & rimulis eiusmodi parietis lucernulã illam ardentẽ admoueret, Christianus forte cogitaret, quod Iudæus ædes eius incensurus esset. Vbicunq; verò domus aliqua Iudaica domui cuipiam Iudaicæ cõtigua est, ibi murium gliriumq; inquisitor iste tã latè tãque profundè quærere debet, quã potest. Candelis sebaceis rem ad hanc nullatenus vtuntur. Hæ enim, quia facilimè liquefiunt, ideo metuendum foret, ne cubiculum non purgaretur, sed *shametz* siue fermento candelæ sebaceæ fœdaretur. Interdum quoque sponte deliberateque micas panis aliquas in pauimentum proiiciunt;

in primis autē in id, quod purum esse putant. idq; ea faciūt de causa, ne frustra vel orauisse vel quęsiuisse videantur. Oportet autem micas istas & veteres & præduras esse. aliàs frustra foret, quicquid eius institueretur. Panem quoq; quē nocte nunc instante comesturi sunt, prius, quam inquisitionem exordiantur hanc, occultare solent; ne & ipsum quærendo reperiant: aliàs enim & hunc tanquam fermentum & leuare & cremare tenerentur; quo facto, nocte ea quod ederent, nihil habituri. Inter oratiunculam & inquisitionē istiusmodi nihil ipsis profari fas est, nisi quod ad inquisitionem istam peragendam pertineat: quale est, *Aperi cubiculum istud; Accede huc cum candela, vt videam*, &c. Itaq; quantumcunq; fermenti reperierint, id accuratè collectum in posterum diem conseruant; & ne musculus aliquis accurrens, id arreptum rursus alioquō transportet; re quapiam studiosè superiecta tegunt. Etenim si fermenti talis aliquid denuo quoquam portaretur, tum ipsi & denuo per domū totā vagantes id quærere tenerentur. Et hæc est causa, cur vspiam in angulo quodam cœnent, curam non exiguam, ne quid è manibus in terram prolabi permittant, adhibētes. Id enim si fortassis eueniret, domus iterū polluereturvniuersa. Quam primum verò paterfamilias omnia quam diligētissime

perquisiuit, tum *col* inquit, *chamira*, &c. hoc est, Quicquid fermentati in manu mea est, & à me visum non est, & quod ita quoq; non amoui, id totum sursum deorsum versum pulueri terræ simile habetor.

De mane vesperæ paschalis *matzos* siue dulces & infermentatas placentulas paschales coquere incipiunt. Farinam, ad conficiendas has necessariam, cum minimum, diebus tribus antè molitam esse oportet, vt nimirum bene frigescat, & ita massa inde facta non fermentescat aut intumescat. Lapis molaris, si fieri posset, recenter circumcidi, pannisque lineis nouis eisque puris circumtendi deberet. Si pannorum talium copia fortè non esset, tum veteres isti quâ optimè excutiêdi essent. Vulgo enim humescere solent; vnde fit, vt eis farina facilè adhærescat, quæ deinde in nouam dulcemque festi farinam delabatur. Ita quoq; cista farinaria pânis lineis intrinsecus obduci deberet, ne farinæ diuersæ puluisculus vllus cum farina eadem festiua permisceretur. Aquam istam, quæ per illos ad massam placentariam hanc adhibetur, aquam *mitzuah* vocare solent. eaque vasis festiuis inter diem noctemque sole iam nunc occidente, stellis autem nondum comparentibus, hausta domum portatur. Interim verò dum portatur, tecta est. Etenim sol spatio horarum viginti quatuor ad aquã hanc splẽdore

dore suo pertingere non debet. Vt enim sol horis duodecim super terra lucet dedurâte, & in fontẽ luce sua penetrare nequit; Sic aqua de nocte horis duodecim tecta erit: quo fiet, vt spatio horarum viginti quatuor splẽdor solaris ad eam nullus accedat. Paterfamiliâs quiuis vnus aquam hanc è puteo exantlabit ipse, minimeque sibi; se plus esse *chaschubh*, vel digniorem, quam vt hoc faciat; vnquam persuadebit. Scriptum enim reperitur, quod rex Israeliticus aliquis tempore quodam *biccurim* siue primitias fructuum arboreorum super humeris eius gestauerit illemet ipse. Cum farinæ subactionis initium fit, tum paterfamiliâs, Frustula, inquit, omnia, quæcunque de massa deciderint hac, *paturim* siue deuota erunt. innuere volens, quod, quicquid in terram lapsum fermentescat, illud muribus permissum & donatum esse debeat, illudque Iudæus ipse in potestate eius retinere se nolle declaret. Subigunt autem farinam in loco quodam frigido, ad quem sol accedere non potest, & qui à furno longe distat, ne massa depsita calefiat & ita fermentescens intumescat. Paterfamiliâs portionem singularem sibi massæ, in lege *challah* vocari solitæ, sumit: exeaque placenta confecta; Benedictus, inquit, esto Deus, noster Deus; quod mandatis nobis vt placẽtam infermentatã sepa-

faremus, perinde vt in lege scriptum est:
Leuit. 8. 26. *De canistro quoque infermentatorum quæ erant coram Iehouah, tulit tortam infermentatam vnam, & tortam panis oleati vnam, & laganum vnum, posuitque cum adipe & cum armo dextro,* &c. His ita dictis, placentam vel *challah* hanc super carbones igne scintillantes, vel in fornace coniiciés curat, vt prius, quam placentæ reliquæ cõiiciantur eodem, tota comburatur. Postea placentas illas dulces & azymas conficit, quas festo paschatis esitant durante. Hæ plerumq; rotundę sunt, foraminulis plenæ; ferro strigili cuidem simili pertusæ laceratæque, vt aeri videlicet obuiæ non fermentescant. Celeritate eas mirabili in furnum porriciunt, ne vel tantillum maneant immotę, volētæ. Placētæ hæ & salsedinis & pinguedinis omnis expertes, vulgo è sola aqua confectæ, esui sat ingratæ sunt. Hinc aliquoties fit, vt matres familiâs quædam probæ oua massæ isti commisceant, vt panis ilie dulcis esui tanto gratior sit. Ego quoque audiui, quod Iudæi quidam opulenti placentulas has è solis amygdalis in mortario contusis sibi parari mandent: non solum in honorem festi, sed & ob id, vt esui gratiores; quinetiam morsui leniores faciliores que fiant.

Orach chaiim fol. 471. Postea, prius quam hora diurna quinta sit, quæ hora nostra, plus minus, est

dein-

decima, prandium sumunt. Edunt autem parum, & cibos quidem digestui non rebelles. Et prius, quam tempore nocturno stellæ comparere cœperint, ipsis aliquid edere non licet. Vt nimirum panes istos azymos cum appetitu tanto maiore de nocte peredere possint. Quod si quis interea siti vexetur, ei aquæ non multum, sed vini haustum bonum bibere permissum est. Haustus enim talis facit, vt postea cibus appetitu cum bono sumatur. Quamprimum comederunt, ignem subdio excitant, fermentumque illud, quod de nocte superiore quęsitum inuenerunt, exurunt, patrefamilias *col chamira*, &c. hoc est, Fermentum fermentatumque omne, quodquod in potestate mea est, visum à me vel non visum, expurgatum à me vel non expurgatum, id totum dissipatum perditumque pulueri terrę similimum habetor, aiente. Primogeniti tempore Paschatis vespertino à mane vsque serum ieiunant; ideo, quod Deus olim primogenitos Israelitarũ contra genium percussorem tutatus interfici non permiserit. A meridie laboris nihil facientes ociantur. Attamen lauare, vestes nouas à sartore domum afferre, eadem in honorem festi induere, id vero flagitium non est. Pesachim cap. 4.

Christus, *Cauete vobis*, (inquit,) *à fermento Phariſæorum & Sadducæorum, hos*

ost, à falsa ipsorū doctrina & simulatione.

## CAP. XIII.

### *Quomodo Iudæi festum ipsorum paschatis vere Iudaice feriari incipiant.*

TEmpore paschatis vespertino circiter *minhah* siue vesperam in scholam se conferunt, cultumq; ipsorum diuinum & cantillando, & orando peragere pergunt, prout in *Minhagim* nec nō libellis ipsorū precatoriis delineatum est. Igitur luminaria nocte iam nunc ingruente accendūt duo, prout & sabbato fecerunt. Festū aūt in schola per vini vsum nō initiant, eo tātisper, dum domū reuersi fuerint, supersedētes. Hoc. n. vespere tam pauper est nemo, quin mensurā vini, festi modo debito initiandi causa, habeat. Interea temporis matres familias domi mensam honorabiliter adornantes, vasa argentea nec non aurea, aliaq; preciosa mensis imponunt, prout & cōditio & facultates cuiusque ferunt. Tum quilibet *ostcher* diuitiasq; suas monstrare debet; nō equidē, vt sese ostentans iactet, sed vt in honorē festiui tēporis ita se gerat. Etenim in lætitiis eorum nec non lautitiis omnib. quarumcunque compotes esse queunt, sine intermissione tēpli Hierosolymitani deuastati memores esse, idemq; deplorare debent. Patrisfamilias sedile, ad quod dorsum inclinare possit, è puluinis sericeis & holosericis apparatur; huicq; sedili, prout & parietib.

Orach' chaiim pū. 472.

ipsis,

ipſis, in quos dorſum reclinare ſolent, in menſarũ circuitu tapetes ornatiſſimos tã vrbanè quam fieri poteſt, circumappendunt. In ſedilia talia parieteſq; taliter inſtructos reclinant ſe tanquã domini præcellentes, qui è ſeruitute aſſerti in captiuitate Ægyptia nõ amplius detineantur. Etenim quilibet ipſorũ noctib. hiſce duabus primis ſeſe dominũ quempiam principemq; potentem, qui ſeruus quidẽ fuerit aliàs, nunc autẽ redemptus & in libertatẽ vindicatus ſit, eſſe cogitabit. Iudæus pauper, qui ex eleemoſynis ſuſtentatur, puluinos tapeteſque pulchros nullos habens, in ſedile quodpiã ſeſe collocabit, & ad poſteriora ſedilis eiuſmodi ſeſe tanquã baro quiſpiã inclinabit. Mulierib. vt ſeſe ad vllam rẽ inclinent, opus eſſẽ non videtur, &c. Quamprimũ ſeriò nocteſcit, eoq; nõ citius, è ſchola quãtumcunq; poſſunt, feſtinãtes domũ curſitãt, patinãq; quandam, in qua placentæ tres inter mantilia duo tectæ iacent, ſuper mẽſam ſibi apponi iubent. Harum placentarum ſuprema repræſentat *cohen gadol* ſacerdotem magnum: media, Leuin ſiue tribum Leuiticam; tertia vel infima populum Iſraeliticum vniuerſum. Statuitur ſuper mẽſa eadem patina quoq; alia, in qua coxa agnina vel hœdina aſſa, vnà cum ouo ſub cineribus calidis indurato, viſitur. Apponitur & patella pulticulæ è pomis, pyris, nucibus, ficubus, amygdalis, malis

citreis, aliisque similibus in vino superaffuso coctis factæ, & figura lateritia efficte plena. Huic aromatis, in primis autem cinnamomi grossè contusi, multum inspersū facit, vt pulticula illa dicta & stramen & lutum esse videatur: vt sic memoriam, quod maiores ipsorum è stramine lutoque laboratis lateres confecerint, recolere possint. Apponunt præterea patinam acetariis è lactuca, hedera, raphano, petroselino, serpyllo, nasturtio nec non herbis aliis haud absimilibus, impletam. Huic patellam aliam aceto plenam, vt ita maiores ipsorum agnum paschalem cum herbis amaris comedisse recordētur, è regione apponunt. Cum hęc omnia mensæ superimposita sunt, tum verò celerrime ad eam sessum se precipitant. Tum deinde cuilibet tam iuueni, quā seni; quin & infanti in cunis ipsis adhuc vagiēti, vitrum poculumve vino impletur; quo facto paterfamiliās vino benedicit, festumq; ceu decet, initiat. Hoc peracto, poculū suum quilibet euacuat, sese in sinistram super puluinos istos sericeos tanquam baro quidam præclarus & illustris inclinans. Plerique manus ante benedictionem hanccs lauant; plerisq; post eandem facitantib. idipsū. Hac sup re *pilpul* seu disputatio in Talmudo peringēs est. Et vt controuersiā hanc decidant, quidam ex illis corpus nudū manib. attingunt, vt eas deinde iaudi

nam.

nanciscantur occasionem. Vino plerunque vtuntur rubro, siquidem vini talis copia ipsis esse potest. Quod si destituantur hoc, tum mulsum, aut vinum aliud per aromatum adhibitionem ad initiationem festi præsentis apparari curant.

Post hausum talem primum acetaria inuadunt. Et sumens vnusquisque paululum herbarum, in acetum proxime appositum intingit; Patrefamilias, Benedictus, aiente, esto Deus, Deus noster, rex mundi, qui fructus terræ creasti multiplices. Edunt nimirum acetariorum parumper, vt appetitum reliquorum edendorum nanciscantur: Acetum siquidem homines ad edendum alacres facit. Postea paterfamilias placentam trium mediam è patina sumptam in frusta duo diffringit; quorum maiore prope se sub pului-num, vel mantile posito (id quod significare debet, maiores ipsorum massam in lintea ligatam suppara secum ex Ægypto fugientes asportasse) alterum rursus inter placentas reliquas duas integras adhuc reponit. Hinc coxam agninam illam assam, & ouum è patina promit. Omnes deinde patinam, in qua placenta dimidia est, apprehendentes voce clara, *Caha*, canunt, *lachma ania di achalu*, &c. quod est; Talis erat panis afflictionis, quo patres nostri vescebatur in Ægypto. Quilibet, qui famelicus est, venire debet

ac famẽ mandendo ſedare: quilibet, opus habens, venire debet ac de oblatione agni paſchalis, eſitare. Hoc anno ſumus hic, anno altero, Deo volẽte, in terra Canaane: hoc anno ſerui ſumus, anno illo, qui venturus eſt, erimus, Deo volente, liberi è ſeruitute in libertatẽ aſſerti domini. (Hic placenta dimidia iſta ſignificat illis & egeſtatem & exiliũ: homo quippe pauper, ſiue mendicus, panẽ integrum nõ habet, ſed panis tantummodo fruſta: ſeque eius quod ſcriptum eſt; *Septẽ dieb. comedes cum illo fermẽtata, panẽ afflictionis*, lechem oni, panẽ doloris exiliiue, cõmonefaciũt) Coxam igitur agninam aſſam iſtam, & ouum ſub cinerib⁹ aſſum mẽſę rurſus imponũt, iterumq; cuilibet poculum cuiuſq; vino replent, patinamq; cum placentis à mẽſa amouent, vt infantes habeant quod quærant, prout olim factum fuit circa agni paſchalis eſum, de quo ſcriptum eſt: *Quũ autẽ dixerint vobis filii veſtri, Quid eſt cultus iſte vobis? Tunc dicetis; ſacrificium Peſah eſt ipſi Iehouæ, qui trãſiliit domos filiorũ Iſrael in Miſraim, quãdo percuſſit Miſraim, & domos noſtras eruit.* Ita Iudæorum præſentium liberi ex illis quærere debent, cur placẽtas à menſa amoueri fecerint, cum de illis nondum quicquam guſtarint. Quibus id quærentibus quilibet quod ſcit reſpondet; placentæque mox iterum ſuper menſam reponuntur: quo facto, congregatio

Deut. 16. 3.

Exod. 12. 26. 27.

tota

tota cantionem quandam de liberatione ex Ægypto sat longam decantat. Cumq; in cantione hac ad narrationē plagarum decem, quib. Ægyptii fuerunt affecti peruenere; tū verò pertardè canentes digito aliquo vini quippiam è poculo excutiūt; demonstrare volentes, quod plagæ tales decem è domib. ipsorum exulantes, super inimicos ipsorum, Christianos nimirum, cadere debeant. Paulo post quiuis vnus poculo suo in manum sumpto, clara voce *Lephicach anachnu chaiiabhim*, &c. hoc est, Ergo tenemur, vt fateamur, laudemus, glorificemus, extollamus, honoremus, benedicamus illum, qui & maioribus nostris & nobis, eorū posteris, signa omnia hæc fecit, è seruitute in libertatē, è tristitia in lætitiam, è squalore in ferias iubilo plenas, è tenebris in lucem transferre dignatus est: hanc ob causam in conspectu eius *halleluiah* personabimus, *&c.* cantat. Hoc peracto secunda vice poculum quisque suum vini plenum euacuat, ad sedile suum ad instar domini potentis alicuius reclinatus. Hîc paterfamilias manus iterū lauans, & precationē solitam pronuncians, & placētam supremā è patina tollens, Benedictus, inquit, esto Deus, Deus noster, mundi rex, qui panē è terra educis. De placentula tamen hac nō edens quicquam, placentam quoque capiens dimidiam, Benedictus, inquit, esto Deus, Deus

noſter, mundi rex, qui nos per mãdata tua ſanctificauiſti, & nobis, vt placentas ederemus in fermẽtatas iniunxiſti. Hoc dicẽs de placentis ambabus aliquantulum derumpit, edensq; cæteris aliquid edendum impertit, qui in latus ſiniſtrum inclinant ſe cuncti. Tum placentam integram vnam cum dimidia ſumunt, eo non obſtãte, quod die ſabbatino diebusque feſtiuis aliis panes duos integros ſumere conſuê-
Deut. 16. rint. Id enim faciunt ideo, quod in deſcriptione feſti huius *Lechem oni*, panis exilii vel panis inopiæ, ſcriptum ſit. Inops autẽ panem integrum non habet, ſed fruſtula tantum. (Nota, Iudæos teſtimonio illorum cuiusque proprio mendicos eſſe, cũ paulo ſuperius ſe pro dominis liberis ecõtra venditarint.) Hîc paterfamiliâs iterũ herbarum amararum aliquantũ ſumens, in pulticulam illam, quę & ſtramen & lutum repræſentat, prout paulo ante cõmemoratum eſt, indit; &, Benedictus, inquit, eſto Deus, Deus noſter, *&c.* qui nobis, vt herbis amaris veſceremur, præcepiſti. Quo facto, de herbis illis edit, aliosque pariter ad edendum inuitat. Hîc ſuper pulvinos ſeſe non inclinant. Eſus enim hic ipſis recordatio eſt, quod maiores ipſorum fuerint adhuc ſerui, & circa ſtramẽ atq; lutũ verſantes, lateres ex iiſdem cõficere coacti ſint. Mox deinde placentã tertiã è patina tollit, fruſtulumque de ea defringit, ite-

rum

tum herbarum istarũ amararum paululũ mãdit; in pultem verò nõ intingit; ideo, q̃ *Rabbi Hillel*, tempore, quo templum alterum stetit adhuc, modo se gesserit eodẽ, probantq; faciendum sic esse è verbis his: Placentas infermentatas cum herbis amaris edetis. Quid est literas sacras peruertere, si hoc non est? Moses enim, *Comedent autem nocte ipsa assam igni, & infermentatam: cum amaroribus comedent illam*, habet. Exod. 12. 8.

Hîc actus præparatorius ad cœnam agni paschalis veram finem consecutus est: incipitque iam cœna genuina ipsa. Hîc edunt, quicquid illis Deus impertitus est, lætos hilaresq; se valde præstantes, & ad noctem ferè mediam poculis inter sese certantes. Cum comederunt, noxq; iam media appropinquat; tum verò paterfamilias placentam dimidiam coopertam istam rursum depromit, de ea paululum mandit, reliquisque frustulum de eadem impertit. Hîc vrbanè sese in latus sinistrum inclinant, manus lauant, vnicuiq; poculum vino implent, impletum mox euacuant. Et hoc poculum benedictum est tertium. Gratiis deinceps actis pocula vice quarta rursus implent. Pater autem familias poculum suum in manum sumens, *Effunde*, inquit, *iram tuam super gentes, quæ non nouerunt te, & super regna, quæ nomen tuum non inuocant. Effunde su-* Ps. 79. 6. Ps. 69. 25.

*per eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Persequere in furore, & contere eos de sub cælis Iehouæ.* (Interim dum hæc aguntur, ad ianuam domus aliquis accurrens, eam latissimè reseratam expãdit, securitatem ipsorum summã per id declarare volẽs.) Benedictione hac populos omnes, qui Iudæi non sunt, execrãtur. Execrãtur aũt præ ceteris Christianos, Eliam prophetam sũbito venturum, ipsisq; Messiæ, eos de nocte illa liberaturi, aduẽtum significaturum sperantes: prout in precatione etiam alia, cuius initium est, *azrobh nissim*, gloriantur; quod liberationes miraculosas patriarcharum populiq; Israelitici adeo vniuersi de nocte hac ipsa contigisse constet. Optant igitur, vt Deus iterum veniẽs ipsos è calamitate ipsorum eripiat, Christianosq; non aliter, quam Ægyptios olim puniuit, punire velit. Inde quoq; fit, vt, quam primum ianuæ quã latissimè fuerint reapertæ, dũ benedictio prior pronunciatur, quispiã linteo quodam albo vestimentove alio non absimili indutus, quã celerrime in hypocaustum irrumpat, vt infantes, Eliam iam tũ præsentem adesse, cerũicemque Christianis fracturum, esse putent. Hoc ita gesto paterfamilias precationes mensarias ad finẽ precari pergit, easq; tandẽ modo cõcludit hoc sequente: *Addir hu iibneh beso bekarobh*, &c. Omnipotẽs Deus, nunc ædi-

Orach chaiim cũ. 480.

fica

fica, &c. templū tuū breui, valde cito, valde cito, in dieb. nostris quā citissime; nunc ædifica templum tuum breui; Misericors Deus, magne Deus, benigne Deus, sublimis Deus, pulcher Deus, dulcis Deus, virtuose Deus, Iudaice Deus, nūc ædifica tēplum tuum breui, valde cito, valde cito, in dieb. nostris, valde cito, valde cito; nūc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica templum tuum cito. Robuste fortisq; Deus, viue Deus, potens Deus, celebris Deus, mitis Deus, æterne Deus, formidabilis Deus, decore Deus, regie Deus, diues Deus, pulcher Deus, fidelis Deus, nunc ædifica templū tuū breui, valde cito, valde cito, in dieb. nostris, breui, valde cito; nunc ædifica, nunc ædifica, nūc ædifica, nunc ædifica, nunc ædifica templū tuum cito. Postea sese quieti dedentes in securitate summa dormitum pergunt. Nox hęc *lel schemurim*, nox cōseruationis, in libro Mosis secundo vocata est. Persuadēt itaq; sibi sese nocte hac & contra homines & contra diabolos ipsos omnes, in tantū tutos esse futuros, vt ab his nullatenus lędi queāt. Hinc per nocte totā & domos & portas ipsas relinquūt apras; quod Eliā vēturum, eosq; è miseria ipsorū liberaturū, sibi psuadeant. Pompa tā molesta Iudæi excœcati isti noctib. duab. integris se loco agni paschalis, quem cęremoniis, quas Moses descripsit, non aliis adhibitis,

edere debuissent, exagitat & vexant. Scribunt autem docentque Rabbini istorum, quod ipsi, ex quo ciuitas & templum eorum deuastata fuerunt, agnum paschalem mactare cumque cæremoniis per Mosen præscriptis edere necesse non habeant. Ipsos enim cæremonias Mosis vel has, vel alias vt obseruent, obnoxios non esse, nisi in terra Canaane promissa; quæ terra vna & sancta & pura sit, terris aliis & impuris & profanis reputandis omnibus. Quoniam vero Iudæi ex tempore eo, quo Christus, agnus Paschalis ille verus, oblatus est, agnum paschalem in loco nullo vel rectè vel debitè comederunt; quin temporibus etiam præsentibus Iudæi, in terra Canaane nec non Hierosolymis habitantes agnum paschalem eundem cæremoniis debitis nullis adhibitis edunt; sacrificia item nulla amplius faciunt: inde necessario consequitur, causam ob quam sacrificia istorum omnia, cærimoniæque Mosaicæ cessarint, aliam quandam esse. Quod si cœcitate non longe maxima diuinitus percussi essent, spatio certè annorum sedecies centum longissimo id inquirentes inuestigare potuissent. Quod cum ita sit, meritò cum vate Dauide de ipsis dicere possumus; *Hæc via eorum*, nam inest *stultitia ipsis:* & tamen *posteri eorum ore ipsorum ibunt*. *At non paruit populus meus voci meæ, & Israel noluit mihi* obtem-

Psal. 49. 14.

Psal. 81. 12. 13.

pera-

perare. *Permisi igitur eos fortitudini cordis eorum, & ambularunt in consiliis suis.* Rabbini vero opinionem ipsorum è verbis prophetæ Mosis sequentibus his; *Et sacrificabis Pesah Iehouæ Deo tuo de pecudibus & bobus, in loco, quem elegerit Iehouah, vt habitare faciat nomen suum ibi*: quam firmissime stabilire se posse putant: quod nimirum, quia Deus ipsis iniunxerit, ne Pesah alibi quam in terra promissa celebrarent, extra quam terram longissime vagentur hinc inde dispersi, cæremoniis agno Paschali comedendo adhibendis obnoxii non sint. Sensus autem verus mandati huius est, quod, quando post captiuitatem in terram promissam Canaanem regressi fuissent, ordinariumque regimen, ciuitatem, templum denique, in quo Deus nomen eius habitare veller, possedissent, in loco non alio quam in illo, Hierosolymis nimirum, agnum paschalem mactare deberent: & hoc ideo quidem, vt tanto melius in fidei vnitate continerentur, quando annis singulis in ciuitatem Hierosolymorum, velut ad vexillum vel metropolin à locis quibuscunque commearent. Cum verum regimen ipsorum dissipatum fuit, bellorum item & periculorum aliorum causa, Hierosolymam non amplius conuenire potuerunt, tum vero agnum paschalem quisque domi ipsorum sæpenumero com- Deut. 16. 3.

ederunt, prout è libro Regum secundo
2.Reg.23. videre est. Quam primum verò regimen
22. ipsorum rursus instauratum fuit; festum agni paschalis cum solennitate & lætitia maxima obierunt; prout regē Iosiam fe-
Ibid. cisse constat. Quod autem iam per spatiū plus quam sedecies centum annorum agnum paschalem rectè mactare & edere nō potuerunt, quod & politia ipsorū, nec non templum deuastata sunt, & in exilio tam diuturno permanent; eius causam nō hanc, sed multo longeq; aliā esse oportet. Quid? vrbs Hierosolyma reædificatane perstat ad diem hodiernum vsq;? Tēplum verò cur non itidem reędificatum est? sacrificia cæteręque per Mosen cæremoniæ præceptæ cur restabilitæ nō sunt? Sed hoc Iudæi cernere non possunt, quippe quorū oculis velamen illud Mosis adhuc obtentum sit.

Antea quoq; cōmemoratum est, quod super cœna agni paschalis huius pocula cuiuis ipsorum vni quatuor implere consuêrint; duo videlicet ante cœnam veram: & totidē post eandē: quæ quatuor sanctificata benedictaq; pocula, attento, quod super ea benedictio singularis pronunciatur, quilibet ebibere tenetur, in cōmonefactionē gratiarum actionis, vt *Rabbi Bechai* scribit, liberationū quatuor, quarum mētio fit in verbis libri Mosis secundi sequentib. his: *Educā vos ab onerib. Misraim,*

Rabbi Bechai Parascha vaera. Exod. 6. 6. 7.

*eruam*

*truam inquã vos à seruitute eorũ, & redimã vos brachio extenso, & iudiciis magnis. Accipiamque vos mihi in populum, & ero vobis in Deum: ac scietis, quod sum Iehouah Deus vester, qui educo vos ab onerib. Misraim. Vehotzesi*, & ego educam vos ab oneribus Ægyptiorum; *vehitzalti*, & eripiam vos à seruitutibus illorum; *Vgealti*, & liberabo vos p brachiũ extẽsum, & per iudicia magna; *velakachti*, & vos mihi assumam in populum, *&c.* Pro quatuor harum *gullos* siue liberationum promissionibus, pocula vini plena quatuor singulis Paschatis festis, ne beneficiorum Dei magnorũ immemores sint, enacuant. Quod etiam post poculum quarta vice vino repletum precatio execratoria, nempe *Schephoch*, effunde iram tuam, &c. super Christianos, & inimicos nostros omnes, *&c.* per eos oratur; huius rei occasio (vt *Rabbi Bechai* loco citato scribit) est, quod dominus Deus die tẽporis illius futuri, populis mundi (hoc est, Christianis, & omnibus, quotquot Iudæi non sunt) pocula quatuor vindictæ & punitionis eius infundet, eademq; bibenda porrecturus sit, prout scriptum est; *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propina illum omnibus gentibus, ad quas ego mitto te.* Et, *Calix auri est Babel in manu Iehoua, inebriãs vniuersam terrã, de vino eius bibent gentes, ideo insaniẽt gentes.* &c. Item, *Pluet super impios laqueos, & ignem, & sul-* Ierem. 25.15. Idẽ. 51. 7. Psal. 116.

phur; & spiritus procellarum erit pars calicis
Psal.75. eorum. Item, Calix in manu Iehouæ & vi-
9. num, quod in eo rubet: & plenus est misto, &
effundit ex hoc: vtique fæces eius sugent, &
bibent omnes impii terræ. Verumenimue-
ro si Iudæi oculos ipsorum in poculum
hoc dirigerent, viderent profecto, quod
poculum hoc ipsum primo omnium pro
ipsis infusum fuerit; quemadmodum pro-
Ier.25.17. pheta loco prius citato scribit: Accepi ita-
que calicem de manu Iehouæ, & propinaui o-
mnibus gentibus: ad quas misit me Iehouah:
Ierusalaim, & ciuitatibus Iehudah, & re-
gibus eius, & principibus eius, vt ponerem eas
in solitudinem, in stuporem, & in sibilum, &
in maledictionem, secundum diem hanc: Pa-
roh regi Ægypti, & seruis eius, & principibus
eius, & omni populo eius, &c. Quãdo igitur
Iudæi poculum hoc digesserint, à poculo
venenato Christianis ppinãdo facile abs-
tinebunt. E paucis his non difficulter in-
telligi animaduertique licet, quod Iudæi
festum paschatis ipsorum non amplius
secundum Mosis vel Dei mandatum feri-
entur & obseruent, sed secundum Rabbi-
norum traditiones: quales apud istos lon-
ge pluris sunt, quam mandata Dei ipsa;
prout euidenter è Talmudo ipsorum vi-
dere est; quippe in quo tractatus ingens,
Pesachim appellatus, de celebratione &
obseruatione festi huius scriptus est: su-
per quo ipso Rabbini libros integros scri-
pse-

pserunt & cõmentati sant. Igitur ego præsentib. his acquiescẽs cũ Apostolo Paulo: *Etenim pascha nostrũ pro nobis sacrificatum est*, nempe *Christus. Itaq; festum agitemus, non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ; sed non fermentatis* panibus *sinceritatis & veritatis*: Item cũ Iohanne, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*: Item cum Petro: *Quum sciatis, vos non caducis* rebus *argento aut auro fuisse redemptos ex vana vestra conuersatione, ex Patrum traditionibus accepta; Sed precioso sanguine, vtpote agni immaculati & incontaminati*, nẽpe *Christi, præordinati quidem ante iacta mundi fundamenta, patefacti verò vltimis temporibus propter vos*, &c. dicentibus, dicere non erubescam.

1. Cor. 5. 8. 9. Ioh. 1. 29. 1. Pet 2. 18. 19. 20.

## CAP. XIV.

*Quomodo Iudæi spatio dierum septem festi super agno paschatis instituti se gerentes, id ipsum absoluant.*

TEmpore festi Paschalis matutino in scholam se conferunt, *Zemiros* & Psalmos, prout die sabbatino canunt, precationes multas dicunt; librum legis variè venditant: quin libros legis duos ex arca depromentes, viros quinq;, qui lectiones aliquot ex illis legere iubẽtur, euocant. Si dies hic in sabbatũ incideret, tũ viros septem euocarẽt. Quando sacerdos in fine precationum populo benedicit, tum &

Minhagim pag. 27. Orach chaiim nũ. 484. & seqq.

manus & earum digitos latè largeque extendit: quod *Chachamim* id dicentibus, *schechinah* maiestas ve Dei super manibus sacerdotis requiescat: ideoq; ne tum quispiam è populo manus eorũ intueri ausit, nisi qui cœcus fieri velit, seueriſſimè præceperunt. Post executionem precum domum reuersi, prandentesque frontem exporrigunt. Cauere autem tum tenentur, ne cibo nimis multo se grauent, vt de nocte subsequente tres illas *mitzuos* placentas, quarum capite præcedente mẽtio facta est, tanto alacrius peredere valeant. Hîc disputationem subtilem prolixamq; de rebus aliquot suscipiunt; vt quos labores & quantos hoc die facere licitum sit, quantum coquere, quosnam cibos edere oporteat, &c. Plus nempe quam die isto peredi possit, coquendum nõ est. Hoc tamen non obstante, ollam magnam carnium plenam ad ignẽ apponere permissum est; id enim noxii nihil afferre potest; licet die tali caro tota nõ absumatur. Carnis. n. multum, iurium bonorum præbet multũ. Caro quoq; ipsa in sese lõge melior sapidiorq; existit, cum in copia potiꝰ magna, q̃ parua elixatur. Die tamen isto non plus assandũ est, quã peredi queat. Vtut enim multum carnis asletur simul, inde tamen melior haud euadit; semperq; calida quã frigida melior est. Quicquid pridie eius diei sic coqui potest, vt gustum non amittat,

tat, id die isto coquendum sanè est. quodcunq; autem gustum perditurum foret, id die isto non minus, quam diebus festiuis aliis (vno sabbato duntaxat excepto) coquere fas est. Piperis ex quo aliquantulum temporis tusum fuit, odor vt & gustus euanescit. Hoc igitur perinde vt & aromata alia, die festiuo vel feriationi destinato tundere licet. Mutatio tamen hic facienda est talis, vt imum pistilli summũ sit, mortariũve ipsum in latꝰ reclinetur: vt inter labores dierum nefastorum fastorũque discrimen aliquod exhibeatur. Infantẽ paruulum in aqua per Iudęam calefacta lauare piaculũ non est. Iudæo vero ætatẽ habenti lauare se permissum non est; quãtũuis aliquis *goi* siue Christianus aquã calefecisset. Ellychnium è lampade vna exemptũ in aliam indere fas non est. Si quis vellet, ne candelula cerea ardens absumeretur tota, ei permissũ est, vt in aquã eatenus immittat: quatenus, vt consumatur, permittere velit; vt cum ad aquã flammula ptigerit, per semetipsam restinguatur: at cultello partem, quam cõburi non vult abscindere nefas est. Iudæus nullus Christianum vllum die festiuo vllo inuitabit; causas ob has, ne vel plus coquere, quam faceret aliàs, vel laborem, quo suscepto dies festiuꝰ profanaretur, suscipere cogatur. Si verò forte fortuna Christianꝰ ad Iudæũ accesserit, tũ licitum est ipsi, vt eũ ad vnà-

edendum inuitet. Die quopiam festiuo ieiunari nō debet, somnii mali vitandi causa; cum scriptum sit: *Hilarem te præbebis in festiuitatibus tuis.* Oportet vt eo tempore quis *simchah* siue gaudium in se sentiens, hilarem lætumq; se præstet; id quod quisquis stomacho famelico nec non ciborū inani est, facere non potest. Diei vero sabbatini tempore somnii mali declinandi causa ieiunare malum non est. Etenim sabbati mentioni vox *oneg* voluptatē designans, adiuncta est. Iam si quis ob causam illam dictam die sabbatino ieiunat, id ei voluptuosum est, cum per hoc somnium malum à se arceat, & in animo rursum lætus euadat. Ita die sabbatino flere quoque permissum est, quotiescunque flere alicui volupe est. Die verò festiuitatis alicuius flere prohibitum est. Flere enim & ridere siue lætus esse simul eodemque temporis momēto nemo queat. Quod si qua gallinam vel auem aliam non absimilem farciat, farctum in ea acu consuere, filumque deurere potest; abscindere verò vel demordere minimè potest. Filum quoq; pridie eius diei in foramen acus inditum oportuit. Patinas quibus tempore matutino vtendum est, ad vsum noctis insequētis eluere non licet. Noctis enim tempore patinæ recentes sumendæ sunt. Pisces, aues, bestias feras alias venari vel capere permissum non est. Et quamuis has ipsas

Deut. 16. 14.

Orach chaiim nū. 509.

Chri-

Christianus aliquis venando capras Iudæo venales offerret; Iudæus tamen de illis ne tantillum quidem festo durante licite esurus esset. Gallinas autem nec non anseres, quas aut quos quis domi saginat habetve, capere fas est. Disceptatio quoq; inter eos non leuis est de eo, num de ouo, quo die positum est, eodem edere fas sit, vel non sit. Et de hoc non aliter ac de reb. compluribus aliis, vtpote, num de fructib. arboreis ab arbore die festiuo decerptis, de herbis è terra euulsis vel abscisis, edere liceat, agũt. De mactatione quoq;, lignorũ scissione, ignis accẽsione & afflatione, coctione, pistura, coctura, pecorũ mulsu, deq; rebus id genꝰ aliis aliquãmultis, tractatum singularem in Talmudo, qui *Betza* vocatus, à disputatione oui, *Betza schenolédah beiom tóbh*, &c. initiũ sortitus est, scripserunt. Et schola quidem siue secta *Schammai*, ouum die festiuo positum edi licere docuit; schola verò *Hillel* ecõtra edi nõ licere censuit, &c. Eius rei causa Rabbini deinde cæteri capita ipsorũ ruperũt, deque ea disputationes prolixas instituerunt. Hæc aũt omnia, quæ nimirum negotia die festiuo vel agere vel nõ agere liceat, in libro *Orach chaiim* breuiter com- Orach
prehensa sunt. Tempore vespertino in chaiim
scholam reuersi precantur. Id autem tam nũ. 495.
festinanter exequuntur, quam si hostem vsq; 650.
fugientes precarentur. Cur id? Post preces.

vesperti nas primum cibos in cœna appe-
nendos coquere necesse habent. Cęremo-
niis autem cœnantur eisdem, quibus no-
cte priore cœnati sunt. Diem quoq; proxi-
mum feriantur cultu nō alio, quā quo die
prȩcedente feriati sunt. idq; dubitationis
cuiusdā causa; quod die hoc, quo die Luna
Martii mensis inchoëtur, ignorēt. quo fit,
vt expresse, quisnam dies Martii quartus
decimus sit, scire non queant. Feriantur i-
gitur festum paschatis per biduum totū,
vt festi tanto certiores circa idipsum non
errēt. Quod si quis dieb. his duobus quip-
piam fermēti in ædibus adhuc inueniret,
is id non attingere, multo verò minus co
vesci; sed cuestigio patinā vel vas aliquod
super id iniicere & occultare, diebusque
sequentibus ignis flammę comburendum
dare, deberet. Quisquis alitibus domesti-
cis, quales gallinæ sunt, anseres, columbę,
nec non aliæ consimiles, auenam vel fru-
mentum edendum obiecturus est, videre
debet; ne id in locum humidum spargat.
Etenim si totum nō ederēt, & sic aliquid
ex eo supereesset, id si creesceret, perinde fo-
ret, atq; si die tali, festiuo nempe, semina-
uisset. Dies quatuor sequentes, parte tan-
tummodo dimidia festiui sunt. Hinc etiā
*chol hāmoed*, dies festi cōmunes appellan-
tur. His durantib. labores aliquos, at non
quoslibet, facere possūt Iudæi. qua de re
disputatio subtilis est. Sed quicquid huius
sit,

sit, hoc totũ in libro *Orach chaiim* vocato rationaliter decisum est. Et quoniam id hoc in loco tractare nimis longum foret, qui volet, istic visum eat. Ea autem facere diebus istis liceret, quæ si non fierẽt, peritura forent; vel vnde si non fierent, damnum quodpiam metuendum esset; vt mulgere, nonnullaque id genus alia. Sic infantulo paruo prima vice crines abradere licet: seni verò crines abradere non licet. Quisquis indusium duntaxat vnum habet, istud lauare potest; sic tamen, vt id aperte ne faciat. Eodem modo mulieribus fascias infantiles lauare vetitum non est. Byssum quoque, collaria, & id genus alia læuigare; calceos item reficere, cultros acuere, &c. impium non est. Quod si cui peropus est, vt scribat; is curuè literisque velut euersis scribendum esse nouerit. Eodem modo in negotiis aliis omnibus, quæcunque hoc tempore tractabit, paululum *meschanneh* erit, hoc est, agendi modum nonnihil immutabit, vt inter opera dierum festiuorum reliquorumque non festiuorũ discrimen aliquod appareat. Vnguium præcisionẽ equidem pleriq; permiserunt. Isti verò qui inter eos religiosissimi viderentur, difficultatis id plenũ iudicãtes, eatenus tantũ permiserũt, quatenus mulierẽ purgationis eius ergò frigidã intrare oporteret. Ea. n. id factura vngues tũ manuum, tum pedũ pcidere re-

Orach chaiim nũ. 330.

netur, ne sub illis impuri vel tantillum remaneat, &c. Dies septimus illis secundum legem rursum sacer est: prout scriptum est: *Primus ille dies sacer erit, vt conueniatis: operis in eo non agetis quicquam, excepto, quod ad cibum pro anima quacunque opus erit: id enim solum facere pro vobis licitum est.* Temporibus itaque vespertinis & matutinis in scholis ipsorum denuo cõuenientes & cantant & orant, iterumq; de *sepher thorah*, libro legis, dum eum ex arca eximunt, & rursus indunt in eandem, mirabiliter se iactant. Quoniam vero diem festi huius dupliciter feriati sunt, idque eam, quæ superius allata fuit, ob causam; igitur & hic p certo scire nõ possunt, quis dies septimus & vltimꝰ sit. Feriãtur igitur dupliciter & hunc; & ita dies octauus ipsis eque sacer est quam septimus antegressus. Tunc panẽ fermẽtatum rursus in domos introducunt, vt videat Deus, quod festum non amplius ferientur, vt ille mandarit. Postea viri ieiunant ter, dies nimirum lunæ duos, Iouis vnum; vt ita de eo, si quis in festo ipso nimium vel bibisset, vel aliàs festum ipsum more debito non celebrauisset, pœnitentiam faciant. Ad diẽ trigesimum tertiũ vsq; post Paschа vulgo valde tristes, (quamuis nõ omnes) nuptias haud vllas cõficiunt, crines intõsos alunt, balnea non visunt: &c. idq; *Rabbi* cuiusdã singularis & præcellentis, *Rabbi Akibhæ* nomi-

nominati, causa: qui vicies quater mille *talmidim* seu discipulos habuit, omnes inter festum Paschatis & Pentecostes ex hac vita per mortem subductos: subductos autem propterid, quod alii erga alios zelotypia flagrauissent, sese cõtempsissent, alii alios calumniati, amore nec non honore vero prosecuti non fuissent, prout merito facere debuissent. Omnes hi vita defuncti, tempore nocturno per mulieres sepulti fuerunt: qua de causa mulieres Iudææ per dies triginta tres hos ipsos, quam cito sol occubuit, operis nihil amplius tractare audentes, feriantur, quietæque sunt noctes istas omnes; & id principaliter quidem, tum, quando sopitæ sunt. Die trigesimotertio viri solẽnitate cum quadam singulari sibi barbas radi, vtq; quam ornatissimi fiant, curant; balneum intrãt, conuiuia inter se agitantes denuo se lætos, quod *Rabbi* istius *Akibha* discipuli mori desiere, præstant. Causa non fine grauissima contra Iudæos vates Esaias effatus est hæc: *Nihil nórunt, neque intellexerunt, quia* Deus *obleuit oculos eorum ne videant, & corda eorum ne intelligant.* Vnde quoque Christus Saluator noster; *Sinite eos*, inquit, *Duces sunt cæci cæcorum. Porro si cæcus cæco præierit, ambo in fouem cadent.* Esaiæ 44. 18. Matt. 15. 14.

## CAP. XV.

### *De Iudæorum Pentecoste.*

FEstum Iudęorum primarium siue summum alterum est, quod Moses *Chag*

schebhuos, festum septimanarum vocat; ideo, quod septimanas à festo Paschali septem, quæ dies quadraginta nouem faciunt, numerare deberent. Dies autē quinquagesimus erat festum ipsum, quod nos Pentecosten appellamus; de quo Moses

Deut. 16. 9.10.11. Leuitici 23.15. hunc scribit in modum: *Septē deinde hebdomadas numerabis tibi: ex quo cœperit falx esse in segete, incipies numerare septem hebdomadas. Postea celebrabis solennitatem hebdomadum Iehouæ Deo tuo: iuxta sufficientiam spontaneæ manus tuæ* erit *quod dabis, prout benedixerit tibi Iehouah Deus tuus. Et lætaberis coram Iehouah Deo tuo, tu & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, & Leuita, qui est intra portas tuas, & peregrinus, & pupillus, & vidua, qui fuerint in medio tui, in loco, quem elegeris Iehouah Deus tuus, vt habitare faciat nomen suum ibi. Et recordaberis, quod seruus fueris in Ægypto: propterea custodies ac facies statuta hæc.*

Festum quoq; messis appellatur: quod // messis eo tempore suum capiat initium.

Exod. 23. 16. Item, festum primitiarum: ideo, quod primitias fructuum omnium nouorum messis Deo in signum gratitudinis ergà eum offerrent: prout in libro Mosis

Num. 28. quarto videre est. In nouo autem Testamento festum hoc Pentecostes vocatur;

Act. 2.1. & 20.16. 1. Cor. 16. 8. prout in actis apostolicis & alibi legere est. Primo diligentiam adhibent in numerana-

merando valde accuratam. Inchoant autem numerationem à nocte festi paschalis secunda stellis iam exortis, precatiuncula vtentes hac: Benedictus esto domine Deus noster, mundi rex, qui nos per mandata tua sanctificauisti, nobisque, vt *Omer*, (id est, dies messem præcedētes) è quibus hodiernus est primus, numeraremus, præcepisti. Ita singulis diebus vsque ad septimum pergunt; quo præsente post precatiunculam ipsorum: Et hodie, inquiunt, dies sunt septē, hebdomadā faciētes vnā. Die octauo, Et hodie, aiūt, dies sunt octo, hebdomadam facientes vnam & diem vnum. Eadem plane ratione numerare pergunt & dies & septimanas omnes, vsque dum ad diē quadragesimum nonum, id est, ad tempus Pentecostes vespertinum progressi fuerint. Dum numeratio hæc peragitur, semper è Rabbinorum ipsorum mandato, stare oportet numerantes. Et quoniam festum illud secūdum legis diuinæ præscriptū amplius obseruare non possunt, itaq; diebus singulis simul orāt, vt Deus ipsis ciuitatē Hierosolymā restituere, templumq; restaurare dignetur: Deo pollicētes, quod voti participes ab eo facti festū hoc, sacrificia omnia in lege expressā adhibendo, secundum legem eandem percelebraturi sint. Scribunt etiam, quod Deus illis dies festi septimanarum siue messis tā diligenter nu-

Orach chaiim. nū. 489.

merare præceperit, ne festi obliti Hierosolymã ad Deo frugũ fructuumq; primitias, aut lege diuina facere iussi fuissent offerendũ proficisci negligerẽt. Fieri autem facilimè potuisse, vt festi memoriam deponerent, quod eius obeundi tempore quilibet eorum in terra propria adhuc versantium negotii ruralis quamplurimum habuerit, seseque ad messem mox faciendam præparare coactus fuerit.

Iam festum hoc ipsum septimanarium per eos conferri solet cum rege quodam, qui venit in ciuitatem quãdam, vbi princeps aliusve potens quidam dominus in carcere vinctus tenetur, qui regis auxilium implorans, rogat eum, vt è carcere liberetur, efficere dignetur: cui rex ille respondẽs, post tot & tot, aiat, septimanas è carcere liberabere; quin filiam quoque meam in vxorem tibi dabo. Tum captiuus ille dies omnes, septimanas & horas, vsq; quo dies venerit, quem Rex illi designauerit, numerare mox inchoat. Ita Deus cum suis Israelitis in Ægyptiaca adhuc captiuitate detentis egit; Ego vos, aiens ipsis, brachio extento ex Ægypto educam, ideoque post festum agni paschalis septimanas vobis septem numerabitis, quibus elapsis filiam meam *thorah*, legem illam sanctam vobis in coniugem elocabo, &c. (Huic coniugi Iudæi cito fidem coniugalẽ frangentes adulteri facti sunt

spur-

spurcissimi, prout & Moses, & vates alii sup istis conquesti sunt omnes) Mulieres Iudaicæ ad id, vt dies hos pinde numerẽt, ac viri, cũ mandatũ hoc anniuersariè ad certum tẽpus astrictum sit, obnoxiæ non sunt: quod à mãdato tali similibusq; mulieres liberrimæ sint. Vespere Pentecostes, phlebotomia nõ vtitur quisquã. Etenim & in *Talmudo* & in *Minhagim* ipsorum scribunt, quod festi huius tempore vespertino ventus quidam & noxius & malꝰ, *Tabhoach*, Latro vel Excoriator appellatus, spirauerit, qui populum Israeliticum perimere debuerit vniuersum, si legem, quam Deus illi die proxima dederat, animo libenti promptoque suscipere noluissent. Pentecosten feriantur dieb. duobus, ob *saphek* siue dubitationem: cuius dubitationis ergõ etiam diebus totidem loco vnius festum agni paschalis eos feriari superius est dictum. Cæremonias non admodum multas habent, idq; cum primis sacrificiorum causa. Librum legis vicibus duabus ex arca eximunt, viros quinque euocantes, qui ex eodem capita quædam, & leges, sacrificia, qualia die festiuitatis hoc ipso maiores eorum offerre soliti fuere, concernentes, legunt. Recordationis autem legis acceptæ causa pauimẽtum domuum, platearum, scholarum denique gramine conspergunt. Fasciculos etiam ramusculorum viridium passim

Tractatu de Sabb. cap. 18.

feneſtris apponũt, corollas etiam virides ſuper capitibus geſtant; oſtendere volentes, quod omnia circum montem Sinai loca fuerint viridia, cum legem acceperunt. Cibos etiam lacteos edunt multos, quales placentæ ſunt, aliaq; ſimilia è lacte ſarinaque vel piſta vel frixa; idq; cauſam ob eam, quod lex, quam die eo acceperunt, alba, pura, deniq; dulcis ad inſtar lactis, ſit. Inter cætera placentam quoq; quandã faciunt & altam & craſſam ſeptupliciter in ſeſe implicitam: placentam eã Sinainam vocantes. Placenta hæc in memoriam eis reuocare debet cælos illos ſeptem, in quos Deus è monte Sinai aſcendit. Tenetur interim quiuis etiam, & vino bono, & carne bona bene inſtructus eſſe, *ki ein ſimchah belo baſar*, quod eſt, quia volupras apud menſam, ſine carnib. nulla eſt. Nunc autem de feſto hoc ſcriptum eſt: *Et lætus eris coram Deo domino tuo; tu, & filius tuus, filia tua*, &c. Quid autem vates de Iudęis probiſſimis his, quibus lex deſponſata, quin & in coniugem data, Ieſa. 24 5. pronunciarunt? Ieſaias, *Et terra*, inquit, *impie egit, propter habitatores ſuos; quia trãſgreſſi ſunt leges, mutauerunt præceptum, diſſipauerunt fœdus ſempiternum.* Sacerdotes eorum legem meam peruertunt malitioſe, ſanctuariumque meum profanant, inquit dominus per Ezechielem. Act. 7. 51. 52. *Duri ceruice, & incircumciſi corde & auribus,*

*bius, vos semper Spiritui sancto vos obiicitis, sicut patres vestri, ita & vos. Qui accepistis Legem per dispositionem angelorum, nec seruastis.*

## CAP. XVI.

### *Quomodo Iudæi festum tabernaculorum celebriter ferientur.*

FEstum capitale vel summum, quo Iudæos annis singulis Hierosolymis cõparere oportuit, festum tabernaculorum est, prout in libro Mosis quinto scriptum est: *Tribus vicib. quot annis cõspicietur omnis masculus tuus coram Iehouah Deo tuo, in loco, quẽ elegerit, in solennitate hebdomadum, & in solennitate tabernaculorum: neq; quisquã conspicietur corã Iehouah vacuus.* Mandauit Deus, vt festum hoc celebrarent Iudæi die quintodecimo mensis septimi, secundum supputationem anni festorum noui, qui in Martio inchoatur, vt superius indicatum est. Caditq; ea ratione mensis septimus in Septembrẽ: quam ob causam & September Latinè vocatus est: qui aliàs Iudæis secundum supputationem numeri annarii, ipsis vsitati, mensis sit primus, prout postea prolixius dicetur. Scopus huius erat, vt Israelitæ prouidentiam Dei paternam, quâ populum Israeliticum spatio annorũ quadraginta sine domibus in deserto mirum in modum sustentasset, sibi in memoriam reuocarẽt. De obseruatione festi huius scriptum

Deut. 16. 16. Leuit. 23. 4. 5. 6.

legitur sic: *Israelitæ, quotquot in terra nati fuerint, in tabernaculis habitabunt, vt posteri vestri intelligant, quod ego Israelitas in tabernaculis habitare iusserim, quum è terra Ægyptiaca eos eduxissem.* Tabernacula vero tum temporis è ramis & frondibus ab arboribus pulchrè viridibus auulsis contexebantur. Arbores autem tales virides erant oleosæ; oliuæ; myrti, resinosæ, & id genus aliæ; quæ propter copiam pinguedinis ipsarum longo temporis spatio viriditatem retinebant. Id verbis his significatur, cum dicitur: *Sumetisque vobis die primo fructum arboris decoris, & ramos palmarum, & ramos arboris densarum frondium, & salices torrentis, & lætabimini, &c.* Hoc aliquanto clariùs expressiusque in libro Nehemiæ verbis indicatur sequentibus: *Illique in ciuitatibus ipsorum omnib. & Hierosolymis publicari faciebant & indicari: Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes arboris pinus, & frondes myrti, & frondes palmarum, & frondes arboris densæ, vt faciatis tabernacula,* quædam *sicut scriptum est*, &c. Ex his perspicuum fit, quod antiquitus Iudæi è ramis his tabernacula construxerint, in quibus per spatium dierum octo commorati fuerint. Hinc quoque patet, quod ramorum genera plura quàm quadruplicia, sicut libro Mosis tertio perscriptum est, ad tabernacula hæc conficienda sibi congesserint.

Leuit. 23. 40.

Nehem. 8. 15.

tint. Præterea loco Nehemiæ citato salicum mentio nulla facta est, quæ ad id solum adhibebantur, vt illis ramos alios inter ipsos constringerent: & erat quiuis vnus intelligentiæ vel perspicacitatis tãtæ, vt structuram talem vinculis talibus constringendam esse per seſe videret. Itaque Iudæi temporum horum præsentium errant grauissimè, quod superstitiosissimè prorsus ad genera quadruplicia illa ramorum, in descriptione festi huius per Mosen nominatorum, sola seſe astringentes, eis ad exædificationem tabernaculorum non vtuntur, sed longè aliter, vt paulo post p̃ nos indicabitur, ea vsurpẽt. De festo tabernaculorum hoc in Talmudo tractatum prolixum scripserunt; quomodo rectè obseruari & celebrari possit, quomodo tabernacula conficere oporteat, quomodo quatuor ramorũ genera vsurpari deceat, disputantes, & subtiliter id quidem, pro consuetudine ipsorum, disputantes, & cęremonias istas externas considerantes; de eo, qualiter cor ad Deũ eleuare deberent, parum solliciti. Quamuis hoc festo precationes multas dicant: quid tamen sit, quod ore deblaterant, corde non perpendunt. Festinatione namque tanta preces illas percurrunt, vt si spiritus aut aëris haustu duntaxat vnico verba vel mille pronunciare possent, id ipsum artificiosissimum omnium puta-

turi essent. Festum hoc durat apud istos per dies octo, sic, vt eorum duo primi totidemq; postremi festiui toti; intermedii cæteri dies semifestiui sint. Die quartodecimo circa tempus vespertinum in synagogis ipsorum conuenientes secundum ordinationem vel institutum *Minhagim* siue cerimonias ecclesiasticas, tantisper dum nocteſcat, & cantillant, & orant. Deinde domum repetentes, in tabernacula ipsorum se conferunt. Ibi paterfamilias precatur; precatione ista & festum ipsum & tabernacula eius initians. Gratias autem agit Deo, quod eos præ populis aliis omnibus elegerit, extulerit, sanctificauerit: eisque in tabernaculis talib. habitare præceperit. Cœnantur deinde in tabernaculis, se valde lætos exhibentes. In tabernaculis etiam istis antiquitus pernoctare solebant, vt & faciebant. Id autē Iudæastris hisce nostris tum propter frigus, tum propter humiditatem loci, tum propter onera alia molestum est nimium. Vsitatè igitur in domuum ipsorum cubicula sese conferentes, dormitum eunt; id nimirum suauius esse re ipsa comperti. Tempore matutino diei quintidecimi cum prima luce in scholam redeunt, rursum cantillantes & orantes multum; sed ita, vt quicquid agunt, id labiis agant, à quibus quantum cor abſit, tantum quoque cultus omnis abſit

ſit à corde. Cum præcentor in oratione tantum proceſſit, vt ad *ſim ſchalom*, domine da pacem, peruenerit, &c. tum quilibet eorum faſciculum è palmæ, oleæ, ſalicis ramis, de quibus eſt libro Moſis tertio, colligatum in manū dexteram; & malum citreum (quod textus de fructibus arborum pulchrarum loquatur) in manū ſumens ſiniſtram; Benedictus, inquit, eſto tu domine, Deus noſter, mundi rex, quod tu per mandata tua nos ſanctificauiſti, & vt faſciculum palmarium geſtaremus, imperauiſti. quod dum dicit, faſciculum illum eundem manu concutit, vt ſtrepitum edat: prout ſcriptura, *Tum arbores (inquit) in ſylua plaudent manibus.* Poſtea faſciculum illum ante ſe ter Orientem vel ſolis exortum; ter, Meridiem; ter, retrorſum ſolis occaſum; ter ad latus ſiniſtrum, Septemtrionem verſus impellit: Poſtremo tandē ſurſum deorſumq; (non aliter ſe gerens quam pugil, haſta multipliciter geſticulando ludens faceret) quatit. Orare præterea pergunt. Mox adhuc ſemel faſciculum illum palmarium concutiunt: eo ſignificare volentes, quod peccatum vndecunque ſuperarint, ſatanamque ſtrepitu per concuſſionem faſciculi iſtius palmarii ſic territarint, vt eos amplius ob noxas ipſorum apud Deū accuſare non auſit. Mox aliquis abit, librumque legis ſanctum ex arca eximit,

Pſalm. 69. 12.

O formidoloſe Satan, qui tam facile perterrefias!

eumque super *almemor* siue suggestum constituit. Hoc facto omnes cum fasciculis palmariis, malisque citreis suggestum illud orbiculariter obeunt. Et hoc singulo dierum illorum septem faciunt, vt sibi in memoriam reuocēt, muros Hierichuntios septem vicibus obitos ad extremum collapsos, & in Israelis potestatem redactos esse: sperantes, muros imperii Romani & ipsos tandem aliquādo collapsuros, Iudæosque Christianorum magistros euasuros esse; prout *Rabbi Bechai* verbis expressis hunc scribit in modum:

Cad hakkemach. pag. 51. 52. Circuitio, siue quod hodierno festi tabernaculorum die suggestum obimus, signum vel significatio est temporis futuri, *schetippol chomas Edom*, quo murus Edomiticus, hoc est, murus imperii Romani collabetur, Edomitæque omnes peribūt, & ex mundo hoc eradicabuntur, prout Daniel vaticinatus est super bestia illa quarta, qua imperium Romanum significatur verbis hisce: Dan 7. 11. *Spectabam tunc propter vocem sermonum grandium, quos cornu loquebatur: spectabam*, inquam tamdiu, *donec interfecta fuit bestia, & perditum fuit corpus eius, & tradita incendio ignis.* Eo tempore mons Sion & Hierosolyma lætabuntur, quæ *Midbar* siue desertum vocantur: prout scriptum est: Iesa. 64. 10. *Ciuitates sanctitatis tuæ fuerunt* vt *desertum*, *Sion* vt *desertū fuit*, *Ierusalaim desolata*. Et alio quodam

dam in loco dicit Iesaias propheta sanctus ille simili sensu, quod Sion gaudere, & Hierosolyma complodere manus debeat super vindicta & pœna Edomi (hoc est, imperii Romani) prout scriptum est, *Solitudo & locus desertus latabundus erit*, &c. Hucusque *Rabbi Bechai*. Ex quo intelligere facile est, quantum boni Christianis etiam tempore huius festi velint Iudæi. In libellis autem precatoriis longe aliter incedunt quam nunc incesserunt. Orant enim & optãt, vt Deus percutere nos velit non aliter atque primogenita in Ægypto percussit, prout in precatione ipsorũ illa, quæ incipit, *ana hoschiana*; in qua verbis aiũt expressissimis, *Takkeh oiebhenu*, Percute inimicos nostros, prout primogenitos in Ægypto percussisti, facq; eos humiles, &c. Vbi per inimicos ipsorũ, non intelligũt alios vllos, quã quorũ potestati subditi sunt, perq; quos captiui detinẽtur, Christianos. hac de re nec nõ aliis cõpluribus haud absimilibus in tractatu singulari per nos annuente Christo dicetur.

In Machzor Cracouiæ impresso.

Post primam hanc fasciculorum festivalium è ramis variis colligatorum concussionem, eosdem adhuc non semel, sed aliquoties, concutere pergunt; libros que legis duos ex arca depromentes, legunt in iisdem paucula quædam, cum ostentatione quidem satis magna, cum attẽtione verò animorum vel nulla vel par-

ua prorsus. Diem alterum feriantur modo prorsus eodem, quo primum feriati fuerunt; non equidem ob legē & mandatum Dei, sed ob *saphek* vel dubitationem, quod die hodierno, quis dies Septembris quintusdecimus præcise sit, supputare perspicereque non possint. quo fit, vt dies duos pro vno solo ferientur. Tempore nocturno paterfamiliâs quiuis vnus precatiunculam quandam pronunciando, festum à diebus aliis labori destinatis discernit; gratias Deo, de festo tam bene celebrato agens. Dies quatuor sequentes partim festiui, partim profani sunt. Canunt autem & orant permultum, diebus singulis fasciculos istos rameos concutiendo plurimum se venditantes. Quod si dies sabbatinus in dierum horum quatuor vnum ceciderit; tunc inter cætera capitulum quoddam ex Ezechiele propheta, de formidabili bello isto Gogi nec non Magogi legunt: credentes simul & scribentes, quod Gogus tempore mensis huius futuro cæsus interiturus sit, at isti contra liberari, & in terram ipsorum reducti semper salui sint permansuri.

Orach chaiim an. 664.

Dies septimus illis iterum sanctus est: & *Hosanna rabba*, Iuua tu fortis siue potens, ideo vocari solitus; quod Deum & magnæ & fortis aduersus inimicos ipsorum opis, annique boni nec non fœcundi obtinendi ergò implorent. Dies enim pri-

primus mensis huius, dies anni annorum noui verus est, secundum quem isti numerum annorum instituunt. Tempore matutino sole nondum exorto plerique in aqua vel frigida vel calida se lauant; in scholam siue synagogam itant; candelas multas incendunt; cantant orantq; strenuè; ostentatione cum maxima libros legis ex arca septem (In Polonia libros ex arca depromerent omnes, licèt eorum vel mille forent) eximentes in *almemor* siue suggestum constituunt. quod suggestū cum fasciculis istis rameis accessione ramusculorum saliceorum recentium ornatis septies circumeunt: vicibus singulis librum è septem istis vnum resumptum in aream recondentes. *Rambam*, *Rakanat*, *Bechai*, Rabbinique complures alii super caput libri Mosis quarti quartum decimū commentari non verentur, quod Deus de nocte diei septimi mensis huius per lunam, quicquid illis per annum sequentem totum euenire debeat, reuelet. Id hunc fit in modum: De nocte sub lunæ splēdorem prodeunt: alii capite tantum nudo, alii interula tantum circumdati, vel nudi plane, stragulo interim lecti lineo tecti. quod strágulum in terram decidere sinentes, & brachia & manus à corpore distendunt. Quod si horum cuiquam in vmbra lunæ defit caput, huic defectus capitis ille portēdit, quod anno eo caput si-

ne dubio amissurus, vel moriturus sit. Quod si quis digito destituatur, id indicium indubium est, quod ex amicis eius aliquis anno eo vitam cum morte cõmutaturus sit: quod si cui manus absit dextera, id signum est, filii mortem imminere pro certo: quod si cui desit læua, id documentum est, quod filia eius anno eodem destatione vitæ decessura sit: quod si quis vmbram plane nullam conspicetur, tum moritur, illemet ipse sine dubio quocunque: siquè aliquò profectionem instituerit, tum admonitum sese per id opinatur, fore ne à profectione saluus domum rediturus sit. Id ipsum demonstrant Rabbini præmemorati isti è libri Mosis quarti verbis his: *Vmbra eorum discessit ab illis.* Sic enim legunt Rabbini, loco *protectionis* vmbrã ponentes. In *Gemara* tamẽ scriptũ legitur, quod quanquam Iudæus aliquis de nocte hac in lunæ splendore sese non cõtempletur, Iudæus tamen esse non desinat. Scribunt deinde præterea, Deum eodẽ quoq; die quantũ anno illo toto pluere debeat, certo determinare. Concludere quoq; Deum tẽpore illo ipso, *quod* sequẽs annus aut fœcundus aut infœcundus futurus, & sic annonæ caritatem vilitatemve pariturꝰ sit. Isti igitur preces valde multas dicentes, vt pluuiam & bonam & fructuosam consequantur, orant. Hoc ipsum quoq; causam esse dicunt, cur illis Deus in

Num. 14. 9.

splen-

splendore lunæ, quot homines morituri sint; quot econtra superstites alimētatione opus habituri sint, ostendat. Quod si multi mori debeant, id signum fore aiunt annonæ caritatis; quod infœcunditatis & defectus frumentorum rerumq; aliarum similium ergō futurum sit, vt homines in vita pauci conseruentur incolumes.

Post meridiem rursus hypocausta & domos ipsorum consuetas adornant, in tabernaculis tamen ante cœnati; in domos illas dormitum se conferunt.

Dies quoque octauus secundum legem sanctus est; ideoq; per istos strenue pro festiuo celebratur: *schemini azeres*, ab ipsis appellatus, quasi diem octauum diem retentionis esse aias. quod, vt amicus bonus amicum eius, quem per dies septē secum habuit, lauteq; tractauit, die quoq; octauo abiturum retinet: sic dies festiuitatis huius septem octauum quasi discessurum à se dimittere non velint. Tempore meridiano in tabernaculis adhuc edunt, benedictionē tamen solitam istam super cibo nō proferunt. Ollas quoq; impuras & nō sanctas, vasaq; alia similia in ea comportantes; cōmunia, hoc est, nō sancta faciūt; vt occasionis tāto plus è tabernaculis iisdē in domos ipsas reuertendi, id quod sub noctē quoq; re ipsa effectum dant, adipiscantur. Quando è tabernaculis egrediūtur, tum eorum plerique, Vtinam, inquiūt,

Deus velit, vt eodē quoq; modo in tabernaculis Leuiathanis habitare nobis permissum aliquando sit. significantes (vt ego quidē puto) cupere se, vt tempore quoq; futuro cum Messia piscem istum magnum Leuiathanem, de quo inferius plura dicētur, comedere possint. Iam quod spatio dierum septem in tabernaculis talib. tanquam domibus se continere teneantur, id isti in *Minhagim* ipsorum ob causam hanc fieri scribunt, quod columnæ nubis, sub qua ex Ægypto exierūt, meminisse vel recordari debeant; cum columna nubis ista tabernaculo similis fuerit; eadēq; spicula & lapides, q̄ Ægyptii post Israelitas ipsorū maiores copia magna iaculati fuerunt, excepta remorata sit. Aiunt præterea Deū voluisse, vt in tabernaculis habitarent, vt beneficio ipsorum cōtra aërem quēcunq; malū ardoremq; protegerentur. Quanquā vero isti die Martij quintodecimo ex Ægypto egressi sint; Deus tamē illis, vt in Septēbri, nō Martio tabernacula ista facerent & inhabitarent, iniunxit: quod aliàs pro festo, singulari mādato Dei, ordinato, habitum non fuisset; si quidem tempore mensis Martii, in tabernaculis degere debuissent, quod tempore quidem eo quiuis vnus sibi ipse tabernacula construat, vt in illis æstate contra solis ardorē se contineat: in Septembri verò contra quilibet è tabernaculo frigido in hypocaustum calidum

lidum excurrat. Itaq; facilime quiuis vnus colligere potest, quod, cum Iudæi tempore hoc in tabernaculis degant, id mandati cuiusdam diuini faciant intuitu. Tabernacula verò hæc in loco inamœno vel malè olente fieri non debent.

Hinc scilicet est, quod Mœnofranco furti in platea Iudæorum tam valde & amœnum & bene olens est. Tabernacula verò sub dio constructa sunt ipso, nõ sub tecto quopiam vel ambulacro superius cooperto. Quilibet in illis aëri libero expositus sedebit; ianuas non occludens, siue pluat siue ventus aliquis frigidus aspiret. Tectum eorum è solis tantummodo ramusculis viridib. cõfiet, ex asseribus aliisve materiis similibus, tam arcte inter ipsas cõpactis, vt per eas stellæ spectari nõ queant, minimè confieri oportet. Iudæi opulenti tapetes in illis etiam expandunt pulcherrimos; nõ aũt sic, vt hi loco parietum sint. Ad tectum quoq; superius fructus venustissimos, quales malà citrea, mala aurantia sunt, appendunt. quæ tamẽ cum comparatu nimis cara sint, sæpenumero cucumeres eorum loco adhibere consueuerunt. Mulieres, serui, ancillæ, in tabernaculis illis tam assidui quam viri esse nõ tenentur. Mandata. n. ista, quæ ad locum quẽpiam certum astringunt, mulieres vt obseruẽt, obnoxiæ non sunt. Frigoris aut pluuiæ ingruentis ergò è tabernaculis excurrẽdum nõ est. Si tamen supra modum

pluat, tum quinis vnus & modestè & mœstè ex illis exibit, cogitans Deum exacerbatum non velle, vt mandata eius tum temporis obseruantes exequantur; faciẽtem non aliter quam faciat dominus, qui poculum per seruũ vino implẽtum, seruo eidem in faciem effundat. Iam, cum in libro Mosis tertio scriptum sit, quod sumere debeãt *pri etz hadar*, fructus de arborib. aspectu pulchris, &c. dubium nõ est, quin hoc in loco vocabulum *pri*, non pro fructib. arboris, sed pro ramo qui fructu vel aliquo, vel nullo præditus sit, accipiatur. E ramis enim his tabernacula vel vmbracula conficere debuerunt, prout è libri Ezræ sententia quadam supẽrius vspiam citata luce meridiana clarius apparet. Iudęi vero de malis id citreis, quæ ipsi *esrogim* vocant, intelligentes, superstitiosissimè genera fructuum quadruplicia apud Mosen descripta tantum, retinent. Nunc etiã multa & mira & ridicula de malis iisdem, non ad exædificationem tabernaculorũ, sed ad ornatum, prout paulo supẽrius innuimus, eadem vsurpantes, in vulgus ediderunt. Mala citrea ex Hispania afferunt; palmæ, oliuæ, deniq; myrti ramos indidẽ petentes. Ea est causa, quod annis singulis Iudæi sedecim in Hispaniam profecti rerum istarum quantumcunque possunt, ex ea secum auehunt; posteaque domum reuersi per Germaniam vbi Iudæi commo-

Leuit. 23. 40.

ran-

rantur, iterum diuendunt vniuersam. Sic ego ipse Septembri hoc malum citreum duntaxat vnum florenis quatuor constitisse vidi. In rebus his quatuor mysteria sibi magna constituunt. Ramus enim palmæ Iudæos falsos & fucatos repræsentat. Sicut enim palma pulchra quidem & venusta est, fructum verò fert; qui gustus nullius sit: tales sunt isti, qui, licèt lex diuina penes eos est, fructus tamen bonos non ferunt vllos, id est, opera bona lege præcepta non faciunt. Malum citreum *tzaddikim* siue iustos effigiat. Prout enim pomum illud pulchrum est, oletq; quamgratissime: sic etiam iusti sunt, qui legem Dei non habent solum, sed & fructum bonum, mandata Dei executioni mandantes, afferunt. Myrti, tametsi bene oleant; fructum tamen non ferunt. Ita nonnulli quoque sunt, qui tametsi opera bona faciant, legem tamen non habent. Rami salicum significant *reschaim* seu impios ipsos, qui neq; legem neq; opera bona habent: prout salices nec gustus nec fructus vllius boni feraces sunt, &c. Postremum hoc de Christianis intelligunt, qui cum legem siue Dei verbum nõ habeant: quippe quod hæc Iudæis solis data sint; opera quoque bona facere nõ queunt. Hinc quoq; *Rabbi Bechai*, in libello suo *Cad hakkemach*, Cado farinæ vocato, scriptum memoriæ reliquit; quod quatuor res hæ, regna qua- Cap. Lulabh. pag. 41.

ruor intelligenda velint, Babylonicum, nimirum, Persicum, Græcum, Romanum, & quod salices regnum denotent Romanum. Pro conclusione subtilitatis præsentis huc adiiciam, quod de mandato tabernaculorum horum struēdorū in Talmudo suaui stulto narratur. In tractatu *Abbodah Zarah*, siue de idololatria, reperitur colloquium, quo Deus tēpore iudicii postremi cū populis huius mūdi cunctis colloquetur, eosq; quod Iudæi soli & pii & iusti sint: qppe qui legē Dei plenissimè præstiterint: isti vero (populi nempe præter Iudæos alii omnes) & impii & iniusti sint, vtpote qui legem nullam habentes nullam quoq; adimplerint, cōuincet. Tū populi, hoc est, Christiani & alii omnes quotquot Iudæi non sunt, *Ribbon schelolam*, id est, domine seculi seu mundi, da nobis (aient) adhuc legem, & nos eam, à capite ad calcem, obseruantes effectam dabimus. Deus autem respondens illis, *Sotim*, ô vos, aiet, stultos! an vobis ignotum est prouerbium illud, quod quisquis tempore sabbati vespertino laborat, sabbato ipso quod manducet habiturus sit; q, verò nō laboret, ille sabbato ipso, quo vesciatur e contra nihil inuenturus sit? Attamē *Mitzuah kallah Ieschli, Sukkah schmah*, mandatum leue siue paruū est mihi *Sukkah* vocatum (mandatum videlicet de tabernaculorū festo) euntes id ipsum præ-

Pag. 1.

stato-

statote. Tunc eueſtigio quiuis vnus inde tranſcurrens tabernaculum ſibi conficiet, alius ſuper tecto (quemadmodum fieri potuiſſet antiquitus, quando tecta erant adhuc plana, non, vt nunc ſunt, in acumen faſtigiata) alius in horto, in tabernaculis habitaturi & ipſi: Tunc vero Deus calorem ſolis ab anni triente toto, à die nimirum æſtatis longiſſimo, aggregabit, facietque vt ſol calidiſſimus illos tam vehementer vrat, vt iſtorum nemine ardentem iſtum ſolis ardorem ſufferre ſuſtinente; quilibet tabernaculum eiuſmodi ſuum pedibus conculcans, irâ magnâ inflammatus, indidem excurrat, &, *Dirumpamus*, aiat, *vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum eorum.* Tum Deus eos, naſo ſuſpendens adunco, irridebit, ſicut ibidem ſcriptum legitur: *Habitans in cœlis ridebit: Dominus ſubſannabit eos.* Hinc *Rabbi Iſaac* aſſeruit, quod nunquam futurum ſit, vt apud Deum riſus inueniatur, niſi in die illo. Hæc hactenus è Talmudo. Equa narratione videre eſt, quantopere Iudæi tanquam ſimii quidam ſibi complaceant ipſi: quomodoque ſeipſos & Deum ipſorum quaſi vi quadam eò adducere conentur, vt credat cum ipſis, quod ipſi ſoli populus Dei iſte electus ſint, qui populus legem Dei vniuerſam, mandataque eius omnia bene obſeruare & impletioni mandare poſſit: Cum econtra Pſal. 2. 3. 4.

Christiani populique alii nihil aliud sint, quã homines damnationi destinati, ludibrium nec non abominatio in conspectu Dei per eos reputati, &c. Quomodo interim laudauit eos Deus per Ezechielem prophetam ob legis eius obseruationem & impletionẽ? *Eduxi ergo eos* (inquit Deus per Ezechielem) *è terra Misraim, & adduxi eos in desertum. Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea indicaui eis: quæ si fecerit homo, viuet propter ea. Et insuper sabbata mea dedi eis, vt essent in signum inter me & eos, vt scirent, quod sum Iehouah; qui sanctifico eos. Rebellauerunt autem contra me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulauerũt: & iudicia mea abiecerunt, quæ si fecerit homo, viuet propter ea: & sabbata mea violauerunt vehementer*, &c.

Ezech. 20 10.11. 12.13.

## CAP. XVII.

### *De festo Nouilunii Iudæorum.*

HActenus, quomodo Iudęi tẽpore festorum capitalium siue summorum triũ proprio gerere se cõsuerint, exposuimus: de festis seu feriis illis, quas quilibet in locis illis, vbi sedẽ rerum eius fixam & collocatam habet, antiquitus feriari solitus est, iam deinde subsequitur. Et primo quidem de die festiuo illo, quem singulis mensibus seu lunis agitare solẽt, agemus.

Dies lunæ cuiusque nouæ quilibet antiquitus sacer habitus est: vnde etiam

Deus:

Deus ipse mandauit, vt ipsi die quoq; primo mensis cuiusque sacrificia fierẽt, prout è libro Mosis quarto apparet. Tempestate vero hac Iudæis dies hic festiuus est dimidius, adeò vt laborare vel non laborare sibi permissum esse putent. Num.28: 11.

Scribunt interim, quod feriari mulieribus potius quam viris imperatum sit: adeo vt eas sibi ab opere omni temperare oporteat: ideo quod nouilunii tempore aureas ipsarum inaures reliquumq; mundum muliebrem ad vitulum aureum cõflandum cõtribuere noluerint; cum contrà animo prompto spontaneoq; annulos ipsarum & armillas ad exædificationem templi, quod die mensis Martii primo fuit erectũ, contribuerint. Die diem hunc præcedente Iudæorum probissimi quique ieiunant integre, Deum, vt ipsis lunam nouam lætam faustamq; dare dignetur, orantes. Tempore matutino in scholam eunt, precesque singulares quasdam; earundemque plures, quam diebus aliis, precari solent. Tempore meridiano bene prandent, *mitzuah* siue mandatum esse, quod diu apud mensam manentes frontem exporrigere debeant; apertè scribentes; quod literis proditum sit: *Præterea in die latitiæ vestræ, & in solennitatibus vestris, & in capitibus mensium vestrorum clangetis tubis illis super holocaustis vestris, & super sacrificiis pacificorum vestrorum*, &c. Orach chaiim nũ. 419. Num.10. 10.

Atq; vt tanto diutius apud mensam resi-
dere possint, die fere toto durante char-
tis inter se lusitant, facetiis dicendis sese
oblectant, hilares se lętosque quibuscun-
que modis queunt, præstantes. Eclipsin
Lunæ signum valde malum esse opinatur,
aduersus eos, qui ipsis infesti sunt. Ea cau-
sa est, cur eclipsios die ieiunare vulgo cō-
suērint, Deum, vt eos contra inimicos &
osores ipsorū tueri velit, rogitātes. Quā-
do iam Luna dierum aliquot, idq;, cum
minimum quidē, trium est, tunc de nocte
se cōgregare consueuerunt. Vbi, quando
lunā vel in horto quopiam, vel super pla-
tea sub aperto cælo conspicari possunt,
tunc oculos ipsorum lunā versus attollūt:
& super pedibus libramine pari solo nixis
stantes, Lunæq; benedicētes, eam preca-
tione (quā dum Rabbi præcipuus omni-
umq; doctissimus pronunciat, reliqui vo-
cē eius imitātur) hac sequēte, sanctificat:
Benedictus (aiens) esto domine Deus no-
ster, mundi rex, qui per verbū tuum perq;
spiritum oris tui & cęlum & exercitū eius
omnē creauisti, eisdemq; & leges & tēpo-
ra dedisti, quorum respectu mādatis tuis
obedientiā prēstent, eadēq; tempora mā-
data tua nō mutantia, cum lætitia & gau-
dio voluntatē tuam Dei ipsorum & crea-
toris exequantur, qui verus operatores,
cuius opera omnia veritas sunt. Tu Lunę,
dixisti, vt renouet se, quę renouatio, coro-

nas

na pulcherrima, ornatusq; maximus est omnib. iis, quotquot in vtero materno gestantur (h.e. Israelitis omnib. qui sic apud Esaiam vatem nominantur) quiq; seipsos renouare debent, quemadmodum luna se renouat, vt creatorē ipsorū laudēt & honorent ob nomen regni eius sublimiter colendi. Benedictus esto creator tuus, ô Luna; benedictus esto is, qui te fecit; benedictus esto dominus tuus, benedictus esto conditor tuus. Hîc iam ter subsiliunt cælum versus, quod quāto sublimiùs facere possunt, tanto melius est, lunamq; alloquentes; Quēadmodum, inquiunt, nos te versus subsilientes attingere te tamen nō possumus: sic hostes nostri omnes nos ad malū attingere nobisq; nocere nō poterunt. Hic iterum subsiliunt, ter dicētes: *Cadet super eos terror & pauor: ad magnitudinem brachii tui tacebunt tanquam lapis, donec transierit populus tuus, ô Iehouah, donec transierit populus tuus iste*, quem *acquisisti*. Hoc ita peracto, hi ad istos conuersi, *schalom*, inquiunt, *alechem*: quod est, *pax sit vobis*. Quibus isti respondentes, *Alechem* (dicunt) *schalom, schalom alechem, schalom al Israel*, Vobis pax, pax vobis, pax sit Israeli, *Amen*. Hanc Lunæ benedictionem plerumque in sabbatum Lunæ nouæ, protelant. quod sabbatū quū postea totū lętabundi feriati, ominibusq; faustis ꝓsecuti sunt, ꝯū verò vestes ipsorū

Ies. 46.

Exod. 15. 16.

Hęc Christianis optant.

sabbatinas induti quamprimum pulcherrimas in honorem lunæ nouæ incedunt, eandemq; benedicentes cum gaudio magno exceptum prodeunt. Et quoniam de luna sermo fuit, aliter equidem facere nō possum, quin hîc colloquium quoddam Dei cum luna recenseam. Colloquium hoc in Talmudo descriptum hūc se habet in modum: *Rabbi Simeon* filius *Pazzai* docuit: Scriptum est, *Et Deus faciebat luminaria magna duo: lumen magnum vnum, & lumen paruum vnum.* Et luna ad Deum, Domine mundi totius, aiebat; quæro ex te, num reges duo sub corona duntaxat vna regnare possint. Cui Deus, Abi hinc, respondebat, & minorato te ipsam. Ad quæ luna subiiciens, Domine, dicebat, veniuersi, cum ego & rectum & verum coram te loquuta sim, annuccirco minorabor? Cui Deus, Abi, inquit, & regna cùm de die, tum de nocte. Cui luna rursum respondens, Quis, inquiebat, honor est iste? quæ dignitas? Candela ardens claro meridiei tēpore quid prodest? Cui Deus, Apage te, inquit, hinc; Populus Israeliticus dies annique tempora secundum te numerabit. Ad quæ luna, Id quoque, aiebat, ipsis impossibile est. Oportet enim eos *tekuphos* seu tropicos duos, solstitiaq; duo numerare, prout scriptum est: *Vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Et ad hæc respondens lunæ Deus, Abi, inquit.

Cholin cap. 3. pag. 60.

Gen. 1. 16.

Gen. 1. 14.

Ete-

Etenim *tzaddikim* siue iusti se de nomine tuo nominabunt, indeq; Iacobus ille minor, Samuel ille minor, Dauid ille minor existent. Cum verò Deus animaduertisset, quod animo eius satisfacere non posset; tum verò ad eam, *Hebhiu*, aiebat, *capparah alai, al schemiatti as haiareach* (sic est in exemplarib. Venetianis antiquis, prout *Rabbi* quoque *Bechai* in expositione eius super librum Mosis quartum citat; in impressione verò Basileensi lectio mutata est; Latineque significat. Offerte pro me sacrificium propitiatorium, ideo, quod lunam feci sole minorem.) Hoc scilicet est illud ipsum, propter quod *Rabbi Simeon*, filius *Lakis* asseruit; O quàm discriminabilis, aiens, est hircus iste, qui nouilunii tempore oblatus est, deque quo dicitur, *Chattas le hael*, id est, in sacrificium *pro peccato ipsi Iehoua*: hoc est, dixit Deus, hircus hic erit *capparah alai*, sacrificium propitiatorium pro me: quippe qui lunam minorârim. Hucusque Talmudus. Hoc autem qualiter intelligendum sit, super eo & acris & prolixa inter Rabbinos disceptatio est. Vetustiores eorum præcipui existimauerunt, quod sol & luna in principio creationis splendore pares extiterint, indeq; primò per Mosen scriptum fuerit; *Et fecit Deus luminaria magna duo*. quam primũ verò luna contra Deum murmurauerit, sola in cælo regnum ob-

Rabbi Bechai Num. 28. 15. in Parascha Pinchas

Num. 28. 15.

Gen. 1. 16.

tinere contendens, Deus eam fecerit minorem, idque adeò, vt ei splendorem proprium abstulerit, dicens, quod splẽdorem siue lucem à sole mutuari deberet: ideoq; paulo post per Mosen eundem scriptum fuisse, *Luminare maius, in dominium diei; & luminare minus ad dominium noctis* cum tamen paulo prius luminaria duo æquè magna fuisse scripsisset: Deumque de eo Lunam conquerentem, se id fecisse pœnituerit, idq; in tantum, vt iccirco sacrificium pro se fieri propitiatorium singulis nouiluniorum temporibus imperarit. Hoc tamen è Rabbinis aliis non pauci tanquã blasphemum in Deum reiecerunt; considerato, quod Deus iustus peccatum nullum, iniustitiam nullam committere possit. Quare circa verum huius rei sensum modis multis se torserunt, voculam illam *alai* pro me, per literam *aiin* scriptam multipliciter interpretati, prout in *Rabbi Bechai* videre est.

## CAP. XVIII.

### *Quomodo Deus super Iudæorum peccatis anni noui tempore iudicium exerceat; & quomodo Iudæi ipsi ad festum anni noui cuiusq; præparare se consueuerint.*

Vide libr. Capitor. v. perach Pag. 68.

IN *Medrasch socher tobh* in sententiam legitur hanc: quod, quo tempore anni noui

noui (qui die mensis *Tisri* seu Septembris primo inchoatur, quando nimirum September initium capit) *Sanhedrin* consiliumve Hierosolymitanum illud magnum sedere solitum concluserit, vt vel hoc vel illo die festum anni noui celebrarent: eodem quoque tempore Deus consilium seu Senatum angelorum magnum congregarit, illisque, Abitote, & inquirendo, num inferius sententia super anno nouo festiuè celebrando concluſa pronunciataque fuerit, cognoscitote, dixerit. Tum angeli illi deorsum in terram descenderunt: ibidemque, quid in Senatu concluſum fuisset, expiscati responsum Deo retulerunt hoc, quod die videlicet illo vel illo festum anni noui celebrare constituissent. Eo per angelos intellecto, Deus quoque die illo statuto ad mundum iudicandum consedit, prout scriptum extat: *Deus ascendit in altum iubilo, & Dominus sono tubæ claro.* Ibi tum sedilia iudiciaria ordine collocantur, puluini expanduntur, libri iudiciarii explicantur, sedetque senatus angelorum ille magnus in conspectu Dei: prout scriptum est: *Illud ego tantisper intuebar, dum sedilia ponerentur, & senex ille sessum ibat*, &c. *Millies mille ministrabant ei, & decies millies centena millia coram eo stabant*, &c. Hucusque è *Medrasch*. Historia

Ps. 46. 9.

Dan. 7. 9. 10.

perelegans hæc, super Talmudo, quemadmodum ego quidem statuo, fundata est. In eo enim legitur sic: *Rabbi Iochanan* dixit; Anni noui tempore libri tres aperiuntur: Vnus pro *reschaim gemurim*, id est, pro iis, qui prorsus athei vel impii sunt: alter pro *tzaddikim gemurim*, id est, pro iis, qui perfectissimè iusti sunt: tertius & postremus pro *Benonim*, id est, pro iis, qui mediocriter probi sunt: qui nimirum tantum boni, quantum mali fecerunt. Illi, qui modis omnibus probi sunt, ex tempore in librum vitæ inscribuntur. Isti, qui plane impii sunt, in librum mortis econtrà referuntur. His, qui mediocriter probi & improbi sunt, ad diem reconciliationis vsque dilatio datur. Dies hic decimus est post anni noui celebritatem. Quod si temporis interea se bene gerētes pœnitentiam seriam peregerint, tantam nimirum, vt bonum eorum malū supergrediatur, bene ipsis erit: quod si è contrario mali tantum perpetrārint, vt malum hoc superet bonum, tum & ipsi mox in numerum morti subiiciendorum referuntur. Super hoc *Rabbi Abēn*, Vbi, dixit, affirmat id scriptura? Et respondens sibimet ipse, Prophēta, inquit, Dauid hāc rem subindicauit verbis his: *Deleantur è libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Per deleantur è libro, liber impiorum significatur; per vocem vitæ, vel viuentium,

Tractat. Roschhaschanah c. 1. pag. 16.

Psal. 69. 29.

um, liber iustorum notatur; per verba autem hæc, ne cum iustis scribantur, &c. liber eorum, qui mediocriter probi sunt, intelligi datur. *Rabh Nachman*, qui filius *Isaaci* fuit, Hinc, ait, est, quod scriptura alibi: *Nunc autem*, inquit, *si remittas peccatum eorum*. aut si non, dele me *de libro tuo quem scripsisti*. vbi Dele me, ad atheorum seu impiorum librum digitum intendit. E libro tuo, librum iustorum designat: Quem tu scripsisti, librum eorum qui mediocriter probi seu iusti & pii sunt, innuit. Hæc è Talmudo. Quæ in *Minhagim* siue traditionib. ipsorum ecclesiasticis declarantur. Nos, scribunt isti, à maioribus nostris ab omni seculo per *kabalam* oralem, hoc est, traditionem & reuelationem accepimus & intelleximus, quod Deus omnipotens & mundum, & Adamum primum in Paradiso tempore Septembris creauerit: vnde æquum & iustum est, vt post anni decursum Deus ab homine vitæ rationem repetat; sciturus, quomodo per totum anni spatium vitam degerit, eique Deus prout vel bene vel male se gesserit, mercedem persoluat. Mercedem vero persoluit vnicuique anno primum sequenti talem, qualem meritus est, hunc in modum. Exod. 32.

Peccatorum quoddam genus est, ob quod Deus hominem punit in hoc mundo. Peccatorum genus etiam aliud est, ob

quod punit eosdem in mundo venturo. Econtra operum bonorum quædam recompensat hîc, quædam recompensabit illic. Iam, si homo per annum totum peccat, seq; peccatis totum commaculat, opera tamen aliqua bona operatur, totum illud, quale quale sit, de die anni noui ad tribunal Dei iudiciale defertur. Tum Deus bona opera in bilancis partem vnam, mala in alteram posita pensiculat. Si videatur Deo, quod homini tali opera bona recompensare velit in mundo hoc, tunc homo talis *tzaddik* siue iustus homo nominatur: cum sententia bona in hoc mundo pro ipso fuerit pronunciata: & ita in librum viuentium refertur: eo nimirum sensu, quod anno sequente victurus sit, vel dies futurus, vel ad honores magnos ascensurus. Eodem modo vir aliquis probus & iustus, qui per spatium anni totum opera bona multa operatus, peccatillum nihilominus aliquod admisit, apud Deum conditione tali est, vt si ipsi videatur, quod eum propter peccatum eius punire velit in seculo hoc, tunc vocet eum *rascha*, impium & iniustum; sententia namque Dei in malum contra eum pronunciata est in mundo hoc; ideoque in librum mortuorum refertur: quo significetur ei, quod anno præsentem subsecuturo moriturus, aut in pauperem euasurus, aut è morbo aliquo

liquo periculoso laboraturus sit. Ergo, tametsi quispiam *tzaddik* vel iustus æstimetur in mundo altero; nihilominus tamen appellatus est *rascha* vel iniustus in mundo hoc: quod vt nocens punitur in mundo hoc. Eundem in modum fit, vt quisquis *rascha*, impius & damnationi obnoxius reputatus est in mundo altero; idem tamen *tzaddik* & iustus in mundo hoc reputari possit: attento, quod ei Deus in seculo præsente bona opera recompenset. Quod cum ita sit, nemini mirum videri debet, si hominem probum in vita hac affligi, vel econtra homini impio omnia ad voluntatem fluere solere experiatur. Deus enim & illi & huic in seculo altero mercedem dabit, quam vterque meritus est. Hoc scilicet illud ipsum est, quod *Gemara* dicit, libros de die anni noui tres aperiri, &c.

Sæpenumero contingit, vt opus bonum vnum peccata deleat multa: prout econtra fit, vt peccatum vnum, opera bona extinguat complura: quorum vtrunque in Dei potestate positum est. Peccator in librum mortuorum relatus, si ad festum reconciliationis vsq; (festum verò reconciliationis hoc dies post annum nouum decimus est) pœnitẽtiam seriam agit, Deum fortassis ita cõmouet, vt sententiam cõtra ipsum prolatam mu-

tans, eum in librum viuentium transcribat: quemadmodum vice versa iustus aliquis, si denuo peccet, Deum adeo offendere potest, vt è libro viuētium deletum, in librum mortuorum traducat.

Ita scribunt, credunt, sentiunt de Deo, deque regimine eiusdem Iudæi excœcati; constituentes eum iudicem super peccatis ipsorum talem, qualem eum ipsi habere optarent. Propheta pius ille Dauid longe aliter credidit, cum peccatorum eius causa tristis orans Deum. *Ne venias*, inquit, *in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabit se in conspectu tuo omnis viuens.* Psal. 143. 2.

Item, *Si iniquitates*, inquit alibi, *obseruaueris ô Iah, Domine, quis* stabit? Psal. 130. 3

Cum vero tēpore anni noui iudicium tam seuerū super peccatis ipsorum institutum iri norint, ideo Rabbini eorum ordinauerunt, vt mense toto pœnitentiam agere, vitamque bonam & probam instituere incipiant prius, quam annus ille nouus ad eos appropinquet. Itaque mensis Augusti, quem isti *Elul* appellitāt, die primo, peccata ipsorum, quæ per totius anni circuitum perpetrauerunt, secum perpendere exordiuntur. Quisquis ad hoc faciendum diligenter sese assuefaciens diebus mēsis huius omnibus prius, quam cibum sumat, impiè per se cōmissa perpendit, ob eademque *charatah* dolorem concipiens, animo tristi incedit; is Orach chaim nū. 581.

die

die anni noui sacro isto, quando quemuis vnum *chesbon* siue rationē super transgressionibus eius reddere oportebit, à peccatis absoluetur omnibus. Qua de causa Iudæi Walonici consuetudinem habent istam, vt ab initio mensis huius, eoque citius tempore matutino ante lucem surgentes *selichos* siue preces ipsorum dicant, veniamq; peccatorum, quæ commiserunt, orent. At *Askenazim* siue Iudæi Germanici consuetudinem habent hanc, vt, cum minimum, diebus ante annum nouum quatuor ante lucem è lecto ad preces ipsorum faciendas se primum propipiant. Iisdem mos est & hic, vt per mensem hunc totum, quando & matutino & vespertino tempore in scholam conueniunt, cornu arietinum inflent: non equidem ex instituto Mosis aliquo, sed primo in memoriā Mosis, qui, cū iam tū secunda vice super montē Sinai, tabulas illas duas legis alteras petitū se cōferret, præcepit, vt in castris cornu inflaretur, eaque inflatione populo conuocato, quod Moses in montem rursus abiturus, & tabulas legis alteras quasdam petiturus esset, indicaretur: ne populus idem denuo diceret, *Surge, fac nobis Deos, qui præcedant nos: huic enim Mosēh, viro illi, qui duxit nos è terra Ægypti, nescimus quid acciderit.* &c. Secundo cornu hoc inflant ob id, quod sibi quilibet iudicium Dei in animo perpenden- Exod. 32. 1.

Amos 3.6. dum proponere debeat, vt meditatione eius perterrefiat: ſicuti ſcriptum ſit: *Nunquid clangetur tubâ in ciuitate, & populus non expauescet?* perque perterrefactionem iſtam ad pœnitentiam ſerio agendam commonefiat: prout nimirum rex aliquis tubam inflari facit, vt quilibet excubias agat accuratas, armisque munitus ſit, quod hoſtes in propinquo ſint: Ita quoque Iudæi tempore menſtruo ante diem anni noui, ſibi opus eſſe, vt cornu pœnitentiæ ſerio agendæ ſignificatiuum inflent, vt hoc modo hoſti ipſorum peccato reſiſtere poſſint, haud ignorant. Sapientes autem Talmudici ſublimes iſti ſcribunt, cornu iſtud inflari *kdelearbeh haſſatan*, ad ſatanam obtundendum, & tam perplexum eum reddēdum, vt quando dies anni noui futurus ſit, quo Moſes expreſſe cornu inflari iuſſerit, ignoret; ne eo tempore veniens è regione ipſorum in iudicio ſe ſiſtat, eos peccatorum abipſis commiſſorum cauſa delaturus.

Roſch. haſchac 1. pag. 16.

O diabolum te ſimplicem, qui obtulu tam facilis fis!

Veſpere anni noui maturius, quam ſolent aliàs, ſurgunt. Etenim *ſelichos* ſeu preces multas habent ad remiſſionem peccatorum impetrandam, muſſandas. Mos ipſis quoque eſt, vt ante lucem edant, per id ſignificare volentes, quod Chriſtianis aliisque populis abſimiles non ſint: qui temporibus veſpertinis ante feſta ipſorum ſumma ieiunare conſẽ-

rint.

rint. Interim peccatum non est, tametsi quis ab edendo se prorsus abstineat. In Germania fere omnes edunt prius, quam oratum concedant.

Nemini tamen adeo sese implere, vt cum *selichos* seu preculas ventre pleno dicere oporteat, permissum est: præsertim cum tunc preces tam multę dicendæ sint. Vnde vulgo quoque fieri consueuit, vt quanquam in dicendis eisdem quam celerrimè festinent, nusquam tamen offendant. Venter autem plenus, ad celerem huiusmodi festinationem & piger & tardus est. Ieiunant tamen eorum multi, ii præsertim, qui præ cæteris pii, sancti præcipuique haberi volunt: hocque ad regis similitudinem fieri scribunt. Hic ciuitatum eius vni tributum magnum imponit soluendum, veniensque cum exercitu magno, id sibi pendi mandat.

Qui cum decem milliaribus ab vrbe adhuc abest, tum ciuitatis illius capita, hoc est, præcipui, se illi obuios præbentes, Rex, aiunt, clementissime, nos nihil habemus, quid igitur dabimus tibi? cum subiectione animi quanta possunt, sibi tributum istud ipsum remitti, supplicantes. Tum rex istis partem tributi tertiam remittit.

Qui cum milliaribus quinque adhuc abest a ciuitate, tum ciues alii status

ordinisve mediocris eidem occurrunt, precantes idem quod ante precati fuerunt alii. Quibus eodem modo partem tertiam tributi rex remittit. Qui cum tandem ad ciuitatem quam proximè venit, tum in aduentum eius & iuuenes & senes occurrentes, eum perinde alloquûtur, vt cæteri fecerunt. Quo facto rex illos à tributo soluendo absoluit vniuerso. Ita Deus terræ rex vniuersæ, rationes vitæ anteactæ cum Israelitis inire vult, & ab eorum quouis vno pro peccatis per eos admissis satisfieri sibi vult. Tum sanctissimi præstantissimique illorum anni recentis tempore vespertino ieiunant: quibus id facientibus Deus peccatorum ab illis patratorum partem remittit dimidiam.

Quod cum ita sit, consultum erit, vt quilibet se præstantem gerens ieiunet, vt sic aliquid à Deo precibus exoret. Decem deinceps diebus ad pœnitentiam agendam concessis ieiunant viri mediocres, & de die reconciliationis (de quo paulo post agendum ex professo) ieiunat quiuis vnus: tumque Deus remittit illis omnia, adeò, vt quilibet remissionem peccatorum consequatur.

Habita schola precibusque matutinis deblateratis in cœmeterium, vbi mortuos humare solent, eunt. eo significantes, quod, nisi Deus illis peccata condonet,

net, mortuis similes sint. Orant ergo Deũ vt ipsorum misereatur, idque propter opera bona *tzaddikim*, iustorum, sanctorumque ludęorum ibidem sepulturæ mãdatorum. Ibidem eleemosynas quoque distribuunt largissimas, vt & pauperes consequantur, quo cibos ad festum ritè peragẽdum sibi bonos opsonare possint.

Post meridiem viri sese tonderi, pulereque ornari curant: significare volentes, se tales non esse, quales populi sint alii, qui mœrentes, præ tristitia capillos crescere sinant. Nos autem (scribunt isti in *Minhagim* ipsorum) securi facti sumus erga regem nostrum, regem mundi totius, quod nostri misereri volens, nostrarum *abberos* siue transgressionum *mochel* siue redemptor futurus, easque nobis omnes condonaturus sit. Eandem ob causam in balneum se conferunt calidum, siue lauant se, quãdo ratione vlla præ frigore fieri potest, in aqua aliqua profluẽte, piscina vel viuario, vt puri coram iudice ipsorum die sequente compareant. Scribunt quoque, quod angeli quidam singulares in aëre volitent, qui mundo nec non hominibus præpositi, in mundum descendant inferiorem, ideoque impuritatem quandam in aëre inferiorum terrę partium contrahant, quos ipsos in torrente ignito *Dinor* (cuius apud Danielem prophetam mentio fiat) se prius pur- Danielis 7. 10. vide libros Taame.

mitzuos pag. 36. & Reschis chochma magnum in schaar par teschubha cap. 3. nū. 263.

gare, & omnem assumptam *trumoah* siue impuritatem exurere oporteat, quam Deum laudare possint. Iam, si necesse est, vt angeli se lauantes prius emundent, quā ipsis Deum celebrare permittatur, quanto magis hominibus id facere opus est? Interea verò dum in aqua stant frigida, quilibet eorum suam *viddui* seu confessionem communem peccatorum suorum proloquitur. Ista voces viginti duas in se complectitur; tot nimirum, quot literæ sunt alphabeti ipsorum Hebræi. Et quotiescunque aliquis verbum profert vnum, toties manu sua ipsius dextera pectus suum percutit. Mergit deinde corpus totum sub aquas, sic, vt alii aliis testimonium perhibere teneantur, omnes sub aquam mersos fuisse. Vbicunque aquas frigidas habere nō possunt, ibi quis vnus fontem foueamve fodit vel in cella, vel horto, vel vbicunque locum ei rei commodum inuenire potest: acute subtiliterque disputantes de eo, quam profunda largaq; fouea illa esse, & quantum aquæ in sese continere debeat. Tempore vespertino rursus eunt in scholam, preces vespertinas ad noctem vsque, quâ festum inchoatur, dicentes: & festum ipsum anni noui cum gaudio non exiguo excipiētes & initiantes. Quid autem prophetę de populo hoc tam puro, deque remissione peccatorum tam securo & cer-

to

to, iudicarunt? Iesaias, *Iniquitates*, inquit, *vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra abscondere fecerunt faciem à vobis, ne exaudiat. Non est qui clamet pro iustitia, neque est qui iudicet pro veritate, confidunt rebus nihili, & loquuntur vanitatem: concipiunt peruersitatem, & pariunt iniquitatem. Ova aspidis rumpunt, & telas aranea texunt, qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod fractum est, erumpet in regulum.* Ezechiel, *Impuritas*, inquit, *tua, indurata est adeò, vt, quantumuis ego te libenter emundare vellem, tu tamen, vt ab immunditie tua te purgem, permittere non velis. Ideo deinde prius purgari non poteris, quam furor meus aduersum te deferbuerit.* Ies. 59. 2. 4. 5.

## CAP. XIX.

### *Quomodo Iudæi festum anni noui ferientur.*

DIes Septembris primus (quemadmodum superius annotatum) annus annotum nouus est, à quo Iudæi annum ciuilem exorsi contractus ciuiles & negotiationes omnes instituunt.

Incipiunt autem numerum ab ipsa mundi conditione: & ita nuper à decurso mensis Septembris noui die quinquies mille trecentos sexaginta tres annos numerare cœperunt. Vnde videre licet, quantum isti à communi annorum per

Christianos post conditionem mundi facta numeratione deflexerint; annos nimirum ducentos atque duos. Mandauerat autem Deus in lege sua, vt Iudæi diem hunc feriarentur, prout in libro Mosis
Leuit. 23. 24. tertio videre est, vbi legitur sic: *Alloquere, (dicit Dominus ad Mosen) filios Israel, dicendo: Mense septimo, primo die eiusdem erit vobis sabbatum monimentum clangoris, conuocatio sancta. Nullum opus seruile facietis,*
Num. 29. 1. 2. *dies clangoris erit vobis. Et facietis holocaustum in odorem quietis Iehouæ, iuuencum filium bouis vnum, &c.*

Quamuis autem hîc anni noui mentio nulla fiat: tamen secundum traditionē Iudęorum constantem, & doctrinam eorundem firmam annus ciuilis inchoatus est mense hoc. Est autem mensis hic septimus, secundū supputationē anni noui festorū, qui mense Martio initiū suū nactus est. Pręcipue verò festum clangoris aut inflationis tubarum vocatur ideo, quod sacerdotes tubas in tēplo inflare soliti fuerint, vt per id populus, ad Deo, pro beneficiis omnibus, quæ ipse anno præcedente præterito in eum abunde contulisset, animo læto gratum sese præstandum moneretur & excitaretur. vtpote quod eos, per annum superiorem incolumes conseruatos, superstites esse voluisset; vtq; cum timore & tremore vitæ de præteritis actis pœnitentiā idq; in proximum reconciliationis

tionis diem; quo populi cũ Deo per illius peccata offenso reconciliatio fieret, se dederent. Temporibus autem nostris vsurpant Iudæi cornu arietinum; quod quam faciant ob causam, mox exponetur. Festũ autem hoc per Iudæos seculi nostri sanctificatur in primis forma illa quam subdo.

Post preces vespertinas in synagoga peractas festum per poculũ vino plenũ & oratiunculam quandam singularem initiant. Et sane pro omine fausto reputant, si ad eam rem peragendam mustum seu vinum recẽs adipisci queãt. Tunc alius alii annum exoptat felicem; alii ad alios; *Leschanah*, inquientes, *tobhah tikkaseb*, tu ad annũ bonũ inscriberis; digitum hic intẽdentes ad libros istos, de quib. capite proxime præcedente mentio facta fuit. Ad precationem verò, vel optationẽ potius, illam proximam respondens alius, *Gam*, inquit, *attah*, tu similiter; vel, דבר *bore gazre* dich *leschanah tobhah*; id est, Ipse creator ordinet vel destinet te ad annum bonum: vel, *Gam osach*, Te quoq; (nẽpe muliebris sexus personam.) Pueri quoq; ad Rabbi supremum ipsorũ cõuolãtes ab eo benedictionẽ petunt; quibus ipse manus imponens annum nouum felicẽ precatur.

Cum domum redeunt, mensam quam optime reperiunt instructam; ad quã mox sessum eunt, ciborum dulciũ super ea copiã habentes nõ paruam, Generis autem Orach chaim nũ. 583. & seqq.

cius poma sunt in mel immersa. De his quilibet eorum frustulum sumens, *Schanah*, inquit, *tobhah vmesukah*, id est, annus & bonus & dulcis, scilicet, tibi, vel, nobis sit. Post hoc edentes valde lætos hilaresque se præbent. Inter cætera quoque caput arietinum, in recordationem arietis illius, qui pro Isaaco in columi seruato oblatus est, mensæ superimponitur. Isaacus enim die hoc offerri debuit. Scribunt alii, quod fiat ob id, vt significēt, se futuros esse *leroseh*, caput, & non *lezanabh*, caudam, quemadmodum scriptum legatur: *Ponetque te Iehouah in caput, & non in caudam; erisque duntaxat sursum, non deorsum.* quæ promissio Iudæis facta est cum conditione hac, si voci diuinæ audientes mandata ipsius seruarent omnia: prout ab initio capitis illius est dictum. Isti verò intelligunt hoc eò, vt ostendant sperare se, quod caput & magistri siue dominatores Christianorum tandem aliquando futuri sint: quales vt fiant, Deum diebus & omnibus & singulis implorant. Hoc vespere piscibus etiam bonis libentissimè vescuntur; per id, quod merita ipsorum operaque bona sese multiplicatura sint non aliter, atque pisces in mari se multiplicare solent, ostendere volentes. Fructibus etiam dulcibus cuiuscunque generis vtuntur: quales amygdala, ficus, vuæ passæ, cucumeres, cucurbitæ, por-

Deut. 28. 13.

porrum, lupini, puls dulcis eademque crassa, similesque id genus alii, sunt. Porrum inimicos ipsorum repræsentat, quod videlicet isti de terra abscissi perituri sint funditus. Porrum enim, Chaldaicè *Crate*, derivatum est à verbo quodam siue radice quadam *abscindere* significante. Hinc vbi porrum manderunt, tum *lichretu*, aiunt, *seneenu*, quod est, Abscindentur omnes quotcunque nos odio prosequuntur. Super pulte polentave dulci *Silka* vocata, *listalleku*, inquiunt, *oiebbenu*, quod est, Auferentur (è medio) inimici nostri. Super amygdalis *t'marim* vocitatis, *Iittammu*, dicunt, *soneenu*, hoc est, Cõsumentur aut delebuntur inimici nostri. Super cucurbitis, *kara*, p eos nominatis, *Iikra*, *gezar dinenu*, *veikreu lephanechah zakkiusenu*, Rumpetur abolebiturque, quicquid mali super nos iudicatum definitumque fuit, meritaque nostra & opera bona significabuntur & legentur coram Deo, &c. dicunt.

Tempore matutino in scholam se conferunt citius ac aliâs, canentes istic & supplicationibus incumbentes permultis. Librum legalem vicibus duabus ex arca depromunt, lectiones aliquot ex eo legunt, prout Ezras etiam fecit (sed longe profecto aliter, quam Iudæastri seculi nostri facere sese assuefecerunt.) Nehem. 8, 1.

Post *Haphtharah*, siue lectionem &

propheta ascendit quidam super *Psalmemor* siue suggestum, siue cathedram; & cornu inflans arietinum, vicibus diuersis atque distinctis voces triginta: & ex his quidem nonnullas tono æquali, nonnullas tono quasi fracto, edit. Cumque cornu inflans bonum edit tonum cornicen, id cæteri signum bonum esse putãtes, anno felici vsuros se fore cõfidunt. Cum vero cornicen econtra sonum siue tonum edit obscurum & non clarum, vel etiam nullum, mox omnes tristitiâ pleni, signum id malum esse sibi persuadent. Quando cornicen pensum eius absoluit, tum synagoga tota voce respondens clarissima, *Beatus*, inquit est, *populus qui scit Iubilationẽ, Iehouah, in lumine vultus tui ambulabunt.* Psal. 89. 16.

Cornu verò vsurpant arietinum ad recordationem arietis illius, qui pro Isaaco Abrahamida mactatus & oblatus est. id quod opinantibus istis die anni noui factum est. Post scholam rursus habitam domũ reuertuntur, edentesq; & bibentes tiburcinantur. Scribunt enim Rabbini istorum, quod tum quiuis vnus lætus & hilaris frontem exporrigere debeat, peccata sibi sua per Deum condonata fuisse certus: non autem ob id, quod bene, hoc est, multum biberit ederitve. id enim ipsi per Deum potius pro peccato imputatum fuisset, quã ad peccati remissionem pro opere quodam bono, recompensatum.

Post

Post cibum potumq; sumpta, vir, vxor, liberi, tam iuuenes quã senes, ad aquam siue pontem quendam confluunt, *Taschlich* facturi, hoc est, peccata ipsorum in aquam abiecturi: quemadmodum scriptũ est: *Reuertetur, miserebitur nostri, subiiciet iniquitates nostras, & proiiciet in profunda maris omnia peccata nostra.* Mich. 7. 19. Pisces conspicari omen tam bonum esse opinantur, vt præ gaudio in altum salientes, vestes ipsorum quam valide possunt, excutiant; se peccata ipsorum super pisces hoc modo excussisse somniantes, vt cum illis acceptis non aliter abnent, quam aries iste in fœdere antiquo cum populi peccatis ei impositis in desertum dimissus aufugit; prout in libro Mosis tertio scriptum videre est. Leuit. 16. Scribunt alii, quod id in memoriam Abrahami per istos ita designetur: vtpote, cui die anni noui cum Isaaco filio sacrificatum eum Deo proficiscenti Satan obuius factus, in aquam ingentem se conuerterit, quæ ab initio tam alta solũ fuerit, vt ad genua eius tranaturi peruenerit; mox autem ad collum vsque pertigerit, adeo, vt sibi vitã in ea perdendam esse crediderit. Qui quamprimum ad Deum clamauerit, ab eo exauditus fuerit: cum Deus aquam istam in semitã siccam mutarit; quemadmodum in *Medrasch vaioscha* legitur. De nocte denuo sẽ lætos exhibent, cibis sat multis immorientes.

Ita annum nouum spatio dierū duorum in securitate magna, lætitia nec non hilaritate feriantur haud vulgari.

Mich. 2. 11 Micheas: *Si fuerit quispiam qui ambulet* per viā *venti, & mendacū mentitus fuerit*, dicendo; *Stillabo tibi pro vino, aut sechar, is*

Soph. 3. 4 *erit stillans populo isti.* Sophonias, *Prophetæ eius cōtemptibiles, viri preuaricationum, Sacerdotes eius polluerunt sanctitatem, trāsgressi sunt legem.*

## CAP. XX.

*Quomodo Iudæi ad festum reconciliationis se parent. gallum quendam gallinaceum pro peccatis offerentes.*

Orach chaiim num. 602 TEmpus ab anno recente siue nouo; ad diem vsq; decimum mensis illius, quo festum reconciliationis celebratur, numeratum, isti *aseres ieme teschubbah*, dies decem pœnitentiales, appellant. Durantibus his ieiunant strenuè, orant multum, vellentque libenter probissimi esse; vt, si Deus aliquem ipsorum in librum mortis inscripsisset, annumque malum super eo destinasset, huius ipse (Deus) nunc opera bona vitamque pœnitentem contemplatus misereretur, eumque in die reconciliationis illius magno in librum viuentium è libro mortis transcriberet, tumque primum iudicium super eo prorsus obsignaret. Dierum singulorum tempore valde maturino con-

fitea-

fitentur ter, excõmunicant neminem, in iudicium vocant neminem, iuramentum deferunt nemini, &c.

Die nono cubitu surgunt tempore valde matutino, scholam frequentant, cantant, orant permultum. Simulatque domum reuertuntur, tum verò mas quilibet, isque tam puer quam senex, gallum gallinaceum; fœmina contra gallinam; prægnans aliqua gallum & gallinam simul, in manus accipit. quo facto paterfamilias quiuis vnus gallum suum in manu gestans prodiensque è Psalmo Dauidico, *Stulti*, inquit, *propter viam prauaricationis suæ, & propter iniquitates suas affliguntur*: Ita vt *omnem escam abominetur anima eorum, & peruenerunt vsque ad portas mortis. Tunc clamauerunt ad Iehouam in angustia sua, & ab angustiis eorum seruauit eos. Mittit verbũ suum, & sanat eos, & eruit* eos *de foueis ipsorũ. Celebrẽt* ergo *Iehouã, misericordiam eius, & mirabilia eius filiis hominum* prædicent: *Et sacrificent sacrificia laudis, & narrent opera eius cũ iubilo. Si* tum *fuerit apud eũ Angelus interpretãs vnum ex mille, vt annũciet homini rectitudinẽ illius: Tunc miserebitur eius, & dicet, Redime illũ, ne descendat in corruptionẽ: inueni propitiationẽ.* (*Gallum* nempe gallinaceum, qui *caparah*, siue reconciliatio mea erit.) His ita pronũciatis reconciliationẽ ipse peragit, dum gallũ gallinaceũ arreptũ, yicib.

Psal. 107. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

Iob. 33. 23. 24. 25.

tribus circa caput suum (sacerdotis) quatiens; singulis vicibus, Gallus, inquit, gallinaceus hic commutatio erit pro me; hic in locum meum mortem promeriti succedet; hic erit reconciliatio mea; gallus gallinaceus hic morietur pro me, ego vero in vitam bonam cum populo Israelitico toto introibo: Amen. Hoc vicibus tribus continuatis ita factitat, pro seipso, pro liberis, pro peregrinis, qui sunt apud ipsum: prout sacerdos ille summus in fœdere veteri reconciliationem quoq; fecit, quemadmodum in libro Mosis tertio legitur. Deinde mactans gallum istū gallinaceum, & cutem eius circa collum cōtrahens cogitat dignum semetipsum esse, qui iugularetur. gulam deinde cultello ipsi abscindit, cogitans semetipsum itidem promeritum, vt gladio decollaretur. Gallum deinde totum, quanta vi potest contra solum proiicit, significans, quod rursus illemet ipse dignus esset, qui per alios lapidibus obrueretur. Postremo vstulat & affat eum; significare volens, dignum semetipsum esse, qui in ignem coniectus cremaretur. Hæc autem quatuor mortis genera gallus gallinaceus pro Iudæo subiens pati cogitur. Interanea galli huius gallinacei communiter è commiseratione super tectum domus porriciunt, vt & id partem quandam sacrificii talis accipiat. Alii vero dicunt id fieri

Leuit. 16. 17.

pro-

propter hoc, quod peccatum res potius interna est, quam externa; peccatum quoque galli gallinacei viscéribus adhæreat. Velle igitur eum, qui viscera illa cô poricit, vt corui venientes, cum peccatis Iudæi in desertum auolitent, prout hircus fœderis veteris in desertum se perditum cucurrit. Lapidem quoque mouent omnem, vt gallo gallinaceo ad sacrificium hoc peragendum potiantur albo. Rubrum verò planè non adhibēt: quod galli gallinacei rubri per se ipsi peccatorum pleni sint: considerato, quod peccatum rubrum sit; sicuti scriptum extet: *Venite nunc, & increpemus nos, dicit Iehouah; Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, veluti nix albescent: si fuerint rubra tāquam vermiculus, velut lana alba erunt.* Iam, si gallus gallinaceus sit albus, peccatū nullum habet, sicque Iudæi peccata portare valet: si verò ruber sit, illemet ipse peccatorum refertus Iudæi peccata portare nō sustinet. Scribit Antonius Margarita in libro suo de fide Iudæorum, quod affirment quidam, illud è veteribus sapientibus edocti, hanc ad rem simium potius, quippe homini valde similem, sumēdum, &c. Causa verò cur gallum potius gallinaceum quam bestiam quamuis aliam vsurpent, est hæc; quod vir Hebraicè *gebber* appelletur. Iā si *gebber* peccet, *gebber* etiam pro peccato eius tali puniēdus est. Iesa. 1.18.

Quoniam verò pœna illa luenda Iudæis nimium grauis futura esset; ideo gallum gallinaceum fumentes sibi substituunt: quod gallus gallinaceus Talmudicè vel Babylonicè *gebher* appelletur: sicq. iustitiæ diuinæ satisfiat; quod, cum *gebher* deliquerit, *gebher* etiam, gallus nempe gallinaceus, puniatur. Ita cœciſſimi brutaliſſimiq; Iudæi nugãtur, quod & hic Deum ipſorũ *Mebulbal* tam attonitũ reddere velint, quã paulo ſuperius, capite nimirum octauodecimo præcedente diabolũ attonitũ reddiderunt; vt gallum gallinaceum pro homine accipiat. Væ, væ illis ſuphac cœcitate tã grãdi, & modum omnẽ prorſus excedẽte. Expoſitio, ingeniũ, non minus acre, quã præcedens, præ ſe ferens legitur in libro *Schebbet Iehudah*. qui prius Hebraice ſcriptus, poſt per Iudæos ipſos Teutonicè redditus, Cracouiæ Polonorũ ante annos duodecim impreſſus eſt. Ibi diſputatio quędam, inter Chriſtianum & Iudæũ corã domino Alfonſo ſereniſſimo Portugalliæ rege tẽpore quodam habita narratur. Hîc cum Chriſtianus loca Scripturæ ſactæ cõplura in mediũ proferret, quę Chriſtum Meſſiã verum proponerẽt, & inter alia quoq; verba pſalmi vigeſimi ſecundi, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* recitaſſet; tum Iudæus tandẽ finaliter reſpondẽs, Proprietatẽ, aſſeruit, Scripturæ S. eſſe hanc, vt modis multiplicibus.

Pſal. 22.1.

cibus explicari posset. Interpretationem autem veram eandemq; meliorem esse istam, quæ locis scripturę eiusdem aliis declarari & confirmari posset. Ad locum autem istum, *Deus meus, Deus meus*, &c. quod attineret, loca multa alia esse, quæ ipsi contrariantia, eum de Christo capi non posse, conuincerent. Ego vero tibi primo dicam (dicere pergebat Iudæus iste) quidnam *chacham* siue sublimiter sapiens quidam *Rabbi* regi Hispaniarum tempore quodam responderit. Heri, dixerat *Chacham* ille regi, iratus gallo gallinaceo meo domestico, quod cantu suo multiplici me cruciasset, baculo meo istum percussi, percussumque in cubiculum quoddam obscurum detrusi. Ibi canere cessauit. Ego verò ex iracundia de die in diem tamdiu verberaui, vt cutem ei lacerauerim, ossa quoq; eius confregerim. Postea illum in ollam inditum cooperui, prout decet. Post mortem verò eius miraculum contigit circa ipsum, vt nimirum spiritu eius in eum reuerso reuixerit, & iterum cecinerit, prout facere consuêrat. Et hic sensus est psalmi vigesimisecundi. Inuenio enim, quod & Hieremias propheta super hoc vaticinatus sit in Threnis eius; (cap. 3. ℣. 1.) cum, *Ego sum vir*, inquit, *ille*, qui *vidi afflictionem in virga indignationis eius. Me duxit, & deduxit in tenebras, & non*

*in lucem. Profecto contra me conuersus est, vertit manum suam* contra me *tota die. Vetustam reddidit carnem meam, & pellem meam, confregit ossa mea. Ædificauit aduersum me, & circumdedit felle & labore: In tenebrosis* locis *manere fecit me, veluti mortuos* in *seculum. Circumsepiuit me, & non egrediar, aggrauauit compedem meum. Etiam quando clamabam & vociferabar, occlusit* aures ad *orationem meam.* Hîc *Ani haggebher*, Ego vir ille, calamitatē & pœnam expertus, gallus gallinaceus est, qui lingua Talmudica *gebher* appellatur. Qui virgam furentis eius iræ videre cogitur, is baculus est, quo gallus percussus est. Ille me duxit; id scilicet est fugatio ista galli gallinacei: in tenebras & non in lucem, id est, in cubiculum obscurum. Manū suam extendit contra me; per hoc significatur verberatio illa secunda, qua gallus gallinaceus in cubiculo affectus est, vel motio illa, qua illum in olla se mouere putauit. Ille carnem & pellem meam perdidit, id est, laceraui: & ossa mea confregit, id est, conscidit me: ædificauit me, id est, in ollam inditum me cooperuit: posuit me in tenebris, id est, in ollam coopertam istam posuit me; Et cū ego vociferor & clamo, id significat, quod post mortē eius denuo cantarit gallus. &c. Hactenus hæc è libro *Schebbet Iehudah*. Ex quo videre est, quam ridiculè Iudæastri isti Scripturam

sacram

sacram ludibrium faciant, requeipsa demonstrent, quod phreneſi, cœcitate, induratione denique cordium percussi sint, prout ipsis Deus per Mosen minatus erat. Videre etiam licèt è narratione hac eadem, quo modo è gallo gallinaceo *gebher* siue virum, & iterum è viro gallum gallinaceum facere nitantur. Credo ego, firmiterque statuo, quod, si propheta Iesaias capite eius quinquagesimo tertio vocem *gebher* vsurpauisset, oporteret virum illum, de quo ibi mentio fit; gallum gallinaceum fuisse. Nominat autem eum non *gebher*, sed *iseh machobhos*, virum, qui morbis multis subiectus sit; item *nibhzeh vachadal ischim*, qui contemptissimus & indignissimus inter viros siue homines sit. Quos verò morbos portauit ille? Ille portabat morbos nostros, seq; onerabat doloribus nostris. Ille propter iniquitates nostras vulneratus, & propter peccata nostra verberatus est. Pœna super eo est, vt nos pace frueremur, & per vulnera eius nos sanati sumus. Virum talem Iudæi excœcati isti habere nolunt, sed talem sibi seligunt, quem verubus infixum assare, edere, seque bene carnibus eius assatis tractare possint. Per vulnera galli gallinacei Calendis profecto Græcis sanabuntur; pacis etiam perparum in conscientiis ipsorum percipient: prout illimet ipsi in lecto mortis ipsorum satis

Iesa. 53.

ostendunt, vbi consolatione nulla muniti, *Misasi*, inquiunt, *tehi capparasi*, id est, mors mea, reconciliatio mea, & satisfactio pro peccatis mea est. Proh consolationem istam miserrimam! Mors, proh dolor, non modo temporalis, sed & æterna reconciliatio erit pro peccatis ipsorum. Hoc autem Iudæi prout non volunt, ita quoq, per iudicium Dei iustum intelligere non possunt. Pergemus ergo videre satius, quomodo ad festum reconciliationis se parent.

Post reconciliationem per gallum gallinaceum factam, in cœmeterium (vbi mortuos ipsorum sepeliunt) se conferunt, orât ibidem, prout festo anni noui, sicut expositum, facere solent: eleemosynã erogant, pecuniæ nempe tantum, quanto gallus gallinaceus valere potest. Antiquitus enim gallos gallinaceos ipsos pauperibus eorum dare consueuerunt. Pauperes autem super eo murmurauerunt, & à gallis gallinaceis istis abhorruerũt, vt à re, cum qua peccata ditiorum mandere deberẽt. Oblationẽ igitur istam pecuniâ à Deo ipsorum redimunt, indentesq; bestiã illam in ollam, aut verubus infigentes, vel elixam vel assam postea lætabundi comedunt illimet ipsi.

Post meridiem se rursus in frigidam ingressos lauant; quẽadmodum superius quoque cum de vespere anni noui verba face-

facerem⁹, attigimus. In aquas se submergunt, & in eisdem peccata tam plene à se abluunt, vt purissimi fiant. Quidam istorum temporis interea luminaria præparant, quibus die sequenti in schola vtantur. In Germania pro viro quouis vno luminare præparant, id nimirum per Cabalistas sublimiter sapientes edocti. Sapientes autem isti iidem deprehendere, quod vox Hebræa *Ner* (hæc Teutonice ein Liecht/Latinè luminare significat) secundum numerum, quē literæ eius constituunt, faciat 250. Iam vero vir quilibet mẽbra habet in corpore eius 248. Quibus vbi spiritus & anima eius annumerata sunt, 250. similiter euadunt. Vt hac ratione vox illa *Ner*, luminare, de viro accipienda sit. Mulier autem membra quatuor plura, quam vir, habet. Ea causa est, cur pro mulieribus luminare accendere opus non sit. In regionibus aliis præparãt etiã luminaria pro mulieribus: pro ornatu decoreque Scholæ maximo ducentes, si in eadem luminaria ardeant quamplurima. Qui valde probi esse percupiunt, isti luminaria habent duo; alterum pro corpore, alterum pro anima: & hoc quidem cum maius tum precioſius aliquantum est illo, luminareque *Neschamah* per eos appellatum.

Tempore vespertino in schola ipsorum conueniunt, preces & vespertinas & Orach chaiim nũ. 606.

nocturnas exequentes. Alii ad alios itant. Qui prius odiis se mutuis prosecuti fuerunt, eorum alii alios veniam odii talis rogant. Qui læsus est, libenti nec non prompto animo alii ignoscere tenetur, id quod si fecerit, tũ Deus illi peccata quoq; eius cuestigio remittit. Quod si læsus vice prima aduersario ignoscere non velit; tum is, qui læsit eum, trib. aliis ad se sumptis, ad eum redit, eumque vice secunda, quinetiam tertia veniam rogat. Quod si ne sic quidem proficiat obtineatve quicquam, tunc adiungens sibi decem, eum rursus aditum veniam offensionis rogat. Quod si læsus tunc ignoscere velit, bene est; si nolit; itidem bene est, quod orans illum veniam excusatus sit, quodq; læsus ei offensam condonare nolit, id ei in iudicio Dei nihil obfuturum sit. Etenim peccata, quæ quis aduersus alium committit, die reconciliationis non ignoscũtur, nisi alius alii prius ignouerit. Quod si læsus mortuus est, tunc is, qui læsit eum, viros ad se decem assumit, profectusque super monumentum eius, Ego, inquit, peccaui contra Deum illum Israelis, & cõtra N. qui sepultus hîc iacet. Alii quoque aliis confitentur, ne, si cui inter cœnandum sese inebrianti osticulum in faucibus hærens maneret, indeque mori cogeretur, sine confessione & recognitione peccatorũ moriatur. Cõfessio hæc modo

fit

fit tali: Bini itant in locum secretum templi. ibi incuruat se vnus, faciem aquilonem, posteriora meridiem versus conuertens: cuius dorsum alter cum ligula cincturave pellicea tricies nouies percutit: quique verba illa excipit vapulando confessionem suam proferens pectus suum illemet ipse ad verbum quoduis vnum percutit. Qui verba ei triginta ista nouē incutit, is hæc Psalmi 78. 38. *Ipse tamen misericors condemnauit iniquitatem, neque disperdidit: & multiplicauit vt auerteret iram suam, neque excitauit omnem iram suam*, profert. Psal. 78. 38.

Versus hic in lingua Hebræa verbis cōstat tantummodo decem & tribus. Eum ergo recitat ter, & ad verberum istorum quoduis vnum addens verbum, triginta nouem facit. Deinde hic qui alterum sic verberauit, humi procumbens, verbera totidem per socium sibi suum rursus infligi permittit: eaq; ratione pœnam grauē ob peccata ipsorum patiuntur. Vulpeculę tamen istæ mordent sese sic, vt dolorem non admodum magnum sentiscant. Verberationis genus hoc isti *malkus* verberare dicunt. Desumunt autem è libro Mosis quinto, vbi scriptum est sic: *Siquidem cædendus fuerit impius, tunc prosternet illū Iudex, & cædere iubebit illum coram se secundū impietatem eius iuxta numerum. Quadragenis* plagis *cædere iubebit eum, non addet: ne* Deut. 25. 2.

*forte si addat cædere vltra istas plagas plagã multis, vilescat frater tuus in oculis tuis.* &c. Hæc olim pœna fuit politica, prout apud Christianos malefactor virgis cæsus è ciuitate relegatur. Isti verò scribentes locũ Mosis interpretantur sic, vt non verbera quadraginta, sed proxime ad quadraginta numero accedẽtia, id est, triginta nouem verberanda sint. Cum ego aliquando è *Rabbi* quodam quæsiuissem, cur verbera triginta nouem tantummodo infligerẽt; cum tamen lex haberet expresse, quadraginta infligenda esse; respondebat ille mihi, quod antiquitus flagellum è ligaculis tribus, quorum duo breuia fuerint, tertiũ verò idque medium tam longum, vt corpus hominis totum circumire potuerit, è pelle vitulina factis ad hanc rem adhiberi solitum sit. Vnde factum fuerit, vt si pro ligaculo singulo verbera singula numerarentur, verbera ista tredecim ligaculis tribus inflicta, verbera vginti nouem constitutura fuerint: quib. si vnum additũ fuisset, verbera duo, quadraginta illis plura, miser peccator ille fuerit accepturus; id quod Moses veruisset. Explicatio autem super locum illum Mosis vera, & quâ formâ transgressor ille verberatus fuerit, expresse in Talmudo ipsorum reperitur: quam hîc breuitatis causa non apponere visum est. Quod pœnam hanc verberum vno quadraginta pauciorum quinquies à

Tractatu Makkos c. 3 pag. 22. Rabbi Bechai in Deut. 25. 2. Cor. 11. 24.

Iudæ-

Iudæis inflictam passus fuerit apostolus, affirmat ipse. Cui procul dubio verbera ista multo fortius inflicta fuerunt, quam Iudæastri seculi præsentis malefactoribus ipsorum infligunt.

Post habitam scholam, diei non potest, quam festinanter domum, vt ad mensam sessum eant, reuertantur. Mensa verò in absentia illorum per coniuges cuiusque apparata est. Ibi & gallinas & gallos gallinaceos, quos tempore matutino pro peccatis ipsorum obtulere, consumunt. Atq; scribunt isti expresse in *Minhagim* ipsorũ, quod non minus mandatum Dei & opus bonum sit, tempore hoc vespertino cibo & potu se bene tractare, quam die postero ieiunare. Oportet autem, vt cœnæ huic prius, quam sol occumbat, finis impositus sit. Festum enim tam cito quam nocte scit, inchoatur. Vestibus, quas omnium mundissimas habent, induunt se. Superiffis autem subuculam & magnam & latam ad calceos vsq; descendẽdo pertingentem gestant: vt ostendant nimirũ, quod & albi & puri à peccatis, & angelis hac ipsa in parte quoque similes, die sequente futuri sint. Quia vero dei reconciliationis isti & edendo & bibendo honorem exhibere non possunt, eum pulchris vestibus, nescientes num honoribus illum maioribus afficere possint, *mecabbedim*, idẽ honorãt. Iesaias, *Audite*, inquit, *cæli, & auribus per-*

Pag. 58.

Iesa. 1. 2. 3 4.

cipe terra, quoniam Dominus locutus est; Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem prauaricati sunt contra me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel non cognouit, populus meus. Va genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini malorum, filiis corruptoribus: dereliquerunt Iehouam, irasci fecerunt sanctum Israel, alienauerunt se retrorsum. Quorsum mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus? Hoseas, Reuertere, inquit, Israel ad Iehouam Deum tuum, quoniã corruisti per iniquitatem tuam. Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Iehouam, & dicite ei: Omnẽ aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.

Hoſ. 14. 2. 3.

## CAP. XXI.

### De festo reconciliationis Iudaico.

Leuit. 23. 27. 28. 29. 30. 31.

DE festo hoc in libro Mosis tertio inter cætera hunc legitur in modum: Veruntamen in decimo mensis huius septimi, dies expiationum erit: conuocatio sancta erit vobis: affligetisque animas vestras, & offeretis oblationem ignitam Iehouæ. Nullum opus hoc ipso die. quia dies expiationum est, ad expiandum vos coram Iehouah Deo vestro. Omnis. n. anima, quæ non fuerit afflicta, eo ipso die, excidetur è populis suis. Et quicquis fecerit quodcunq; opus eo ipso die, perdã animam illã è medio populi sui. Nullum opus facietis. Statutum perpetuũ erit in generationibus vestris

in

*in cunctis habitationibus vestris*, &c. Hanc ob causam Iudæi temporis huius die nono in schola ipsorum prius quam nocte-scat, conuenire solent: & portantes secùm luminaria ipsorum cerea, eadem super cãdelabris ponentes accẽdunt: quo facto & canere & orare, cum vociferatione valde intolerabili incipiunt. Mulieres domi quoq; cãdelas quasdam singulares in hypocaustis cubilibusq; accendunt: & aliquot in locis *beracha* orationem q; super illis faciunt; manusq; ipsarum coram luminaribus extendentes, dies operi destinatos à dieb. festiuis eo discriminare se ostẽdunt: prout superius illas die sabbatino factitare consueuisse, narratum est. Quod si luminaria & clarè & bene ardẽt, idsti signum bonum esse putant, credentes peccata ipsorum ipsis remissum iri, aut: alioquin fortuna prospera vsuros & morituros non esse. Quod si ardent obscurè, colliquescunt, eorũq; siue sebum siue cera guttatim destillat, id signum malum esse opinantes tristitiâ se macerant. Tapetes quoque ad pauimentum extendunt. Locis quibusdam, vt Wormaciæ, solum gramen ad focum spargunt, ne die scilicet sequente, quo necesse habent, vt se multum crebroq; curuantes ad focum applicent affricentque totas, vestimenta pulchra commaculando difformia reddant: vel idololatriæ speciem præ se ferant; id

quod vetitum est; quemadmodum scriptum est: *Vos vobis in regione vestra pauimentū ad vos super eo & inclinandum & incuruandum, lapide non sternetis.*

Orach chaiim num. 612. & seqq.

Iam quod dicitur, corpus ipsorum castigare, humiliare, vel cruciare eos debere, id isti intelligunt sic, vt sibi à voluptatibus quincuplicibus temperandū & abstinendum esse putent.

Et primo quidem omnium à nocte vna ad alteram vsque ieiunare tenentur (durat tamen hoc vulgo vltra horas viginti quatuor) A ieiunio hoc pueri annum duodecimum, & puellæ vndecimū supergressi; quinetiam illa, quæ vltra dies solū tres in puerperio fuit, exempti non erunt. Ægrotanti vero si edere cupiat cibum dare licet. Quin, quamuis ipsemet id non petat, medicus autem faciendum putet, cibus ei ministrandus est & nō denegandus. Secundo, calceos nemo gestabit, sed discalceatus incedet. Senibus autem decrepitis & imbecillibus, & iis quibus frigus damnosum esse posset; soccos laneos pedibus induere permissum est. Tertio, nemo se oleo bene olente vel aqua vngere debet voluptatis ex eo percipiēdæ causa. Quarto, nemo balneum lauandi sui gratia ingredietur; idque adeò, vt ei digitum eius vel paruum in aquam immergere licitum non sit. Multo minus tempore matutino vel os, vel vultum lauare. Quod si tamen

aliquis suum *tzorech*, quod est opus naturę, feciſſet, ei digitos ad artus vsq; in aquâ immergere, fas sit. Quidam panniculum lineum madefactum sumentes manus abluunt hoc ipso. id quod tamen *satcanah* siue res periculosa est. Etenim si panniculꝰ iste tam madidus esset, vt aquæ gutta manibꝰ exprimeretur, id opus externũ esset, per quod dies festiuus profanaretur. Quinto, viri à coniugibus ipsorum se prorsus abstinebunt, & id adeò quidem, ne eas vel attingant solum; non aliter erga illas affecti, quam si eas in menstruis esse scirent.

Prius quam preces ipsorum inchoent vespere hoc, Rabbinorum præcipuorum tres per templum obambulantes, voce clara & aperta dicunt: *Biſchibhah ſchel mahelah, vbiſch bhah ſchel matthah*, &c. quorum verborum sensus est hic, quod congregationis vniuersę tam malis quam bonis precandi potestatẽ dent. Vt autem hoc tanto melius fieri possit, pæcentor ueestigio ad arcam, in qua liber legis sanctus ille reconditus est, vadens, aperit eandem, canitque precationem & longam & attentione dignam quandam sic incipientem: *Col nidre vaeſſare vſchebhue*, hoc est, vota omnia, pacta & iuramenta item omnia, &c. primamque partem precationis huius adeò prolixæ vicibus continuatis tribus: & id quidem vicevna & altius & alacrius quam alia, decan-

tat. Sensus precationis huius est hic, quod vota omnia & iuramenta, promissa & pacta, assecuratio & fides, quæ Iudæus anno isto nō seruasset, soluta, remissa, turbata, pro peccato nullo, quinetiam pro nihilo agnoscenda, sublata prorsusque condonata sint: idque causam propter hanc, quod fœdifragis, non minus quam fœdera obseruantibus & præstantibus, ingenuisq; viris, tanquam vni sanctæ communioni orare Deumque simul laudare fas sit. (Cogita iam tu Christiane, quantum iuramento Iudæi tribuendum videatur: à Christiano præsertim) Pergunt deinde, canuntque in noctem vsque multam. Quidam in schola manent per noctem totam precationibus incumbentes. Quidam domum reuersi, dormitum vadunt. Quidam dormiunt in synagoge angulo vlpiam aliquo, qui ab arca longe remotus sit; vel in synagoga etiam mulierum, quando istæ omnes domum discesserunt. Quidam, qui piissimi omnium esse, pœnitentiamque seriam agere volunt, festo illo toto durante surrecti stant, canentes & orantes sine intermissione vlla. quemadmodum ego quosdam vidi, qui per horas viginti septem erecti in loco vno eodemque perstiterunt.

Tempore matutino rursus appropinquante, prius quam diescat, omnes in scholam denuo conueniunt, diemque totum,

tum, quam longus est, vnà manent, libro legis se plurimum venditantes. Sæpenumero in terram, facie tota obtecta, cõcidunt. & id quidem cum primis, quando peccata confitentur: pectus ad verbum quoduis vnum nimiæ attentionis & cordis ad Deum eleuationis demonstrandæ causa manu percutiunt. Cum deinde nocteſcere rursus incipit, tum sacerdos eius *talles* (hic est pannus ille magnus è pilis textus, collo eius circumplicatus) super caput attractum oculis obtendit, benedictionem ordinariam populo pronunciando impertiens, perinde vt in libro Mosis quarto præceptum est. Num. 6.

Dum benedictionem pronunciat, manus populum versus extendit: populus autem manus suas oculis obtendit, vultumque tegit. In manus enim sacerdotum intueri nemini fas est: ideò, quod spiritus Domini super manibus sacerdotum requieſcit tum, quando benedictionem hac eloquuntur: prout scriptum est: *En, iste* Cãt. 2. 9.
*stat post parietem nostrum, prospiciens è fenestris, ostendens seseper cancelles.* hoc est, Deus stat à tergo sacerdotis, visuque penetrat per fenestras & cancellos, hoc est, per manus sacerdotis expansas, & digitos ab ipsis inuicem disiunctos. Canit deinde precationem adhuc aliam, idque continuè vel septies; & id nunc quidem voce sublimiore, nunc depressiore facit. Scri-

bunt hîc Iudæi, quod tempore hoc Deus iterum discedens ab ipsis, in cælum ascendat vsque septimum. Deducunt igitur illum cum venusto quodam *nigun*, dulciqueque melodia: prout alias dulciter suauiterve canere sanè norunt: quemadmodum sciunt omnes, quotquot eos cantillantes audiuerunt.

Prius autem quàm è Synagoga ipsorum pedem rursus efferant, sonum quendam & sonorum & longum cornu arietino isto superius commemorato edunt, idque in anni Iubilæi, quod die hoc antiquitus exordium eius sumpsit, recordationem. Alii dicunt, quod in memoriam cœlorum illorum septem, quos Deus aperuerit, quando populo Israëlitico legem dedit, eique quod in cælis omnibus Deus alius præter ipsum non sit vllus, demonstrârit, fieri consueuerit. Cum igitur iam festum prorsus absoluerunt, seq; totos è tricis illis expediuerunt, tum verò (sicuti scribere isti non verentur) vox quædam è cælo tonans: Abi, inquit, esurus panem tuum cum gaudio atque lætitia. Deus enim æqui bonique consuluit, opera bona tua omnia. Post hæc ita peracta domum reuertuntur. Nonnulli reliquias cereorum suorum domum secum asportantes, ad *habdalah* domi quisque suæ per eas faciendam, hoc est, ad diem festiuum ab eo qui talis non est, discernendum.

dum deinceps vsurpant. Quidam contra relinquunt eas in synagoga per annum totum super candelabris ipsorum, accendentes eas temporibus quibusdam singularibus. Iudæi nonnulli sancti cæreum in synagoga sine intermissione ardentem vt habeant, efficiunt, idque per annum totum: quem ea de causa *ner tamid* appellant. Iam verò domum redituros alii dicunt aliis, Der *borechasme* dich *leschanah tobah*, hoc est, Deus creator ille obsignet te ad annum bonum. Etenim libri isti, quorum mentio superius facta est, obsignantur nunc: quo facto sententiarum super quouis vno per Deum conclusarum mutatio nulla fit.

Cum domum reuersi sunt, fame valde magnâ premuntur. Etenim spatio horarum viginti octo nihil ederunt. Mox ergo ad mensam festinantes cœnâ reficiunt se satis bonâ; id quod die præcedente de cibis sibi subduxerunt, nunc egregiè rursus addentes.

Tempore tamen matutino proximo citò rursum cubitu surgentes, in scholam reuertuntur, ne Satanas conqueri incipiat, &, Ecce, dicat, heri quidem tempore valde matutino surrexerunt, cum dies reconciliationis erat: hodie verò probitas ipsorum iamdudum refrixit, adeò, vt in lecto manentes diutissime stertant.

Quid multa? Hoc die tam sancti, tam

probi sunt, vt diabolus etiam ipse probitatem ipsorum, nolit velit laudare coga-
Cap. 46. tur: de quo in *Pirke Rabbi Eliezer* colloquium legitur tale: Die illa, quâ Deus ipsam *thorah* siue legem dedit, spiritus malus *Sammaël* Deo, Domine mundi totius, aiebat, tu mihi super populos mundi huius omnes potestatem concessisti, sed super populum Israeliticum solum potestatẽ quãcunque denegasti. Cui dominus respondens, En tibi, dicebat, tu de die reconciliationis in eos potestatem habebis, si peccatum in illis obseruaueris: quod si verò peccatorum expertes eos esse deprehenderis, tum potestatem tibi in illos nullam permissam esse memento. (Hinc spiritui malo de die reconciliationis hoc munera dari solent, ne oblationes Israelitarum impediat.) Itaque cum *Sammaël* spiritus iste malus intellexit, quod populus Israeliticus in die illo sine peccato esset, tum Deo. Tu habes, aiebat, populum super terra, similem geniis in cælo. Quemadmodum enim genii cælestes immobiliter stantes nihil aut edunt aut bibunt, purique à peccato quolibet in pace vnitateq; inter se viuunt: talis etiam populus Israeliticus de die reconciliationis est. Tum Deus audiens hæc ex ore Spiritus istius mali, & Israelitis peccata ipsorum omnia sine mora remittens, precationes eorundem simul omnes exaudit.

Alibi

Alibi legitur, quod Satanę dona dēt, vt His oculos eius ita excæcēt & obfuscēt, ne eos, quid agant, non videns, accusare possit: quemadmodum scriptum extat: *Nec munus accipies: quia munus excœcat videntes, & peruertit verba iustorum.* Esaias, vel Deus potius ad Esaiam, *Clama*, inquit, *gutture, ne prohibeas* clamorem; *tanquā tuba exalta vocem tuā, & annuncia populo meo prœuaricationem suam, & domui Iacob peccatum suum. Me tamen per singulos dies quærunt, & scire vias meas volunt: veluti gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit; Interrogant me iudicia iustitiæ, appropinquationem Dei volunt. Vt quid*, inquiunt, *ieiunauimus, & non aspexisti? affliximus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunii vestri inuenitis, quod vultis, & omnes facultates vestras exigitis. Ecce, ad litem & cōtentionem ieiunatis, & vt percutiatis pugno impiè. Ne ieiunetis* posthac *sicut hodie, vt audire faciatis in excelso vocem vestram. An tale est ieiunium quod elegi, per diem vt affligat homo animam suam? an vt incuruet sicut iuncus caput suum, & saccum, & cinerem sternat? an istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Iehoua?*

Caphtor vpherach pag. 72.

Exod. 23. 8.

Esaias 58. 1.2.3.4.5.

Zach. 6.5

## CAP. XXII.

*De festo latitiæ, quod Iudæi per eos implet & legi ergô lati peragunt, deque modo quo officia ipsorum Ecclesiastica partiantur.*

DE festo hoc in lege nō reperitur quicquam. Id autem Rabbini Iudæorum ad exhilarandū se, quod Deus illis denuo gratiæ tantum contulisset, vt se per annū integrum in lege eius exercendi; atq; vt die illo & lectionem & expositionem eiusdem in ecclesia absoluendi vel ad finem perducendi facultatem habuissent; clementer concessisset, instituerunt. Libros autem Mosis in partes quinquaginta duas distribuerunt; quarum sabbatis singulis legunt singulam; & ita lectio postrema in diem post festum tabernaculorum proximum incidit, qui fortè vigesimus tertius Septembris est. Scribunt aūt in Talmudo ipsorū, quod sacerdotes eorū die hoc saltauerint, salierint, omnig; instrumentorum Musicorum genere vsi fuerint, resque alias & omnium incredibilissimas & stultissimas vnà cum vulgo ipso designarint; quas si hîc apponere vellem, nimis prolixus futurus essem. Hodierno die in synagogis eorum congregati libros legis omnes processione quadam singulari ex arca eximunt, lectionem & postremā & primam inde legunt, cum libris circum arcam saltantes; quo designato, eosdem magna cum pompa in arcam recondunt. Quamdiu libri iidem omnes extra arcam sunt, tamdiu luminare ardēs in ea lucet. Arcam n. nunquam inanē seu vacuam esse oportet. Vnde sequitur, quod lumi-

Tractatu Succah, de Tabernac. cap. 5.

luminare illud in eam loco librorum positum, tantundē præstet, quantum libri ipsi præstaturi fuissent. Nam & lex ipsa luminare vocatur: sicuti scriptum est: *Quia* Prouerb.
*vt lucerna* est *mādatum, & lex*, vt *lux*. Poma 6.23.
quoq; nuces, pyra, aliaq; similia in synagoga coram iuuentute spargentes, die se illo exhilarandi eidē occasionem præbēt. Sæpenumero autē contingit, vt loco lætitiæ inde percipiendæ, tristitia non parua dicta iuuentus afficiatur; cū fructuum istorum causa rixæ exoriantur tā magnæ, vt ad verbera deueniatur. Quoniam igitur lex die hoc legendo absoluitur, & ad finem perducitur, iccirco denuo munera quædam ecclesiastica constituunt, & ea quidem cum primis, quæ ad lectionē legis opus sunt. Officia vero siue munera ista publicè in synagoga per auctionē venduntur sic, vt is qui vice tertia plurimum omnium pecuniæ pro illis daturum se promittit, ea consequatur, adeoque retinere teneatur. Et primò quidem siue ædituus, siue custos, siue etiam pulsator synagogæ ipsorum proclamat officium eorum, qui luminaria per annum totum sequentem accendunt; Item, eorum, qui vinum, quo & sabbatum ipsum, & festa alia rite initientur, & dare & porrigere debeant. Quamuis enim paterfamilias bonus quiuis vnus domi sabbatum vino initiare teneatur,

quéadmodum superius cõmemoratum est; Iudæorum tamen pauperiorũ vinum non habentium causa constitutum est, vt publicè coramque congregatione tota sabbatum tanto vini, quanti poculum capax est, vt ab initio bene exceptum, sic in fine precatione fausta dimissum peragatur. Et quoniam è vino illo sic benedicto pii fiunt Iudæi, pueri isti, quibus cũque bibẽdum porrigitur; igitur ritus hic negligendus non est. Tertio proclamatur, vt si quis *gelilah* emere sibi velit, in medium prodeat. Est autem *gelilah* munus libri legis & euoluendi & rursus inuoluendi. Quarto proclamando quçrit, eccui *hagbohah* redimere libeat. Hoc officium est, librum legis & celeriter & leuiter eleuandi, & circum suggestum gestandi, vt quinis vnus scripturam eius legere possit. Eum qui munere isto fungi velit, brachiis fortibus esse oportet, vt librum totum tam latè quàm fieri potest, apertum & explicatum brachiis extensis portare valeat. Qui si vacillans vel pede vno titubans librum illum modo quo decet, non gestaret; congregationem vniuersam ieiunare necesse foret, quæ rem istam pro signo valde infortunato reputaret. Quinto quærit, quis *etz chaiim* sibi pecuniâ cõparare velit. Hoc officium est, ligna illa tornata, ad quæ lex super longis pellibus membranaceis scripta, annexa est, attingendi;

gendi; panniculosque, quibus quamcelerrimè inuolenda est, extempore porrigendi. Officium hoc emunt in primis adolescentes; sibi persuadentes, quod, si ligna ista attingant, & probiores & intelligentiores futuri sint; sperantes insuper sibi vitam non parum prolongatum iri: cum ligna ista *etz chaiim*, id est, ligna vitæ vocentur: quemadmodum scriptū extat: *Hæc lignum vitæ est apprehendentibus eam: & qui tenent eam, beati.* Prou. 3. 18. Dum liber legis inuoluitur, ligna hæc attinguntur: magnumque peccatum committeret, si quis membranam eius manibus nudis attrectaret. Sexto, quis *Acheron* sibi emere velit, scisscitatur. Hoc officium tale est, vt quisquis è congregatione tota diebus festiuis postremus euocetur, is è libro legis aliquid legendo proponat. Septimo, quis *schehia* emere velit, explorat. Hoc officium est, sese in locum, per negligentiam officium suum non facientis substituendi. &c. Argentum, quodcunque è venditione hac coactum fuerit, cum ad templum sartum tectum tuendum, tum ad pauperes eorum sustentandum impēdunt. Inuidia, inimicitia, rixa deniq; non parua è venditione hac, per auctionē fieri solita, sæpenumero exoritur. Quinetiam Deus ipse non rarò blasphematur, ideo, quod hîc fauor & auctoritas personarum plus valent, quàm iustitia; dum di-

ues pauperi præfertur: iuuenis potius quam senex admittitur; indoctus, docto; malus, probo antefertur, &c. Exeo, inquam, rixa inuidiaque exoritur sæpenumero tanta, vt ad eam sedandam magistratum quoque Christianum inquietari necesse sit. Populus inuidentior, inimicior, implacabilior sub sole solis nullus est Iudæis. Et hic fructus postremus est, è lectione legis diuinæ in synagoga tam attento animo per eos facta promanans. Exterius valde pulchri sunt, nitentque splendidè; interius verò malicià referti sunt. Iam cum gaudium nullum perfectum sit ibi, vbi & caro & vinum, siue (prout isti loquuntur) *basar veiain*, desunt: ideò festum hoc lætitiæ, cœnâ sumptuosâ concluſuri, cibos generis omnis exquisitos apparant, & in lætitia magna festi præsentis ritè percelebrandi causa degunt.

## CAP. XXIII.

### *De festo dedicationis templi per Iudæos celebrari vulgo consueti.*

Orach chaiim nũ. 670.

FEstum hoc die Nouembris vigesimo quinto, *kaslef* vocati celebratur: idque in memoriam Iudę Hasmonitæ siue Macchabęi herois prędcellentis illius, qui post obitum patris eius Matathiæ Græcos, qui Hierosolymam in potestatę ipsorum redactam

dactum inuaserant, tẽplum sanctum profanauerant, oleum templi sacrum effuderant, malisque Iudæos quamplurimis grauauerant, iterum superauit, vrbem recepit, templum die vigesimoquinto rursus initiauit; quemadmodum libro Mac- 1. Macch.
chabæorum primo perscriptum legitur. 4.
Quapropter Iudas, fratres eius omnes, populus denique vniuersus concluserunt, quod annis singulis à die vigesimoquinto mensis *Casleu* siue Nouembris, dies octo templi dedicati & altaris noui, cum lætitia nec non actione gratiarum celebrari deberẽt. id per Iudæos adhuc fit. Isti verò festum hoc multo magis vorando, helluando, ludendo, rebusque ludicris ad tædium tẽporis fallendum aliis, quam actione gratiarum ad Deum pro victoria de prostratis hostibus obtenta seriò dicenda, feriari consueuerunt. Et quia tum quoque ad dedicationem templi, & institutionem cultus diuini nouam olei nihil reliquum fuit, sicque lampades secundum mandatum Mosis accendi non potuerunt; Iudas Macchabæus templum diligentissimè perquisiuit, tandemque lecythum quendam paruulum sigillo sacerdotis summi obsignatum, & sic ab hostibus nondum pollutum, inuenit.
In lecytho isto olei non plus fuit, quam nocti duntaxat vni sufficere posset. Postea verò quàm ipse populus qua-

rotus valde tristis ob id factus esset; considerato, ipsos intra octiduum olei sancti bonique nihil amplius habituros esse, quod vrbs *Tehoa*, vnde afferri oleum tale oportuit, itinere dierum quatuor istinc sita esset; tum Deus voluit, vt miraculum quoddam contingeret. Lecythum enim perexiguum istum oleo sic impleuit, & adauxit, vt quantum olei per octiduum integrum requireretur, inde suppeteret. Ad recordationem beneficii huius diuini pompam superstitiosam circa luminariũ templariorum incensionem non paruam agitantes, candelabrum quoddam ad luminaria septem excipienda capax, siue lampade, super qua noctibus singulis luminare vnum, ad noctem vsque octauam, accendunt, septuplice instructum; per noctem verò totam ardere non sinunt. Et vbicunque lampades istas in domibus ipsorum, hypocaustis, cubiculis habent; ibi operis vllius tractandi libertas est nulli. Lampadem quoque ad dexteram ianuæ partem pendere oportet; idque à solo spithamis decem non inferiùs, spithamis autem viginti ab eodem non superiùs, &c. Disputant etiam subtiliter valde, quandiu lampades istæ ardere, & per quem accendi debeant, & an vnam ab alia inflammari liceat; aliaq; id genus non pauca. Sollicitissimi nimirum de luminari externo illo sunt: quod autem præter:

ter tenebras in cordibus eorum nihil sit, de eo non cogitant quicquam, nedum vt de illis inde fugandis curam suscipiant.

## CAP. XXIV.

### *De festo Purim.*

VOcabulum *Purim* Persicum, Hebræis *Goral* est, quod sortem significat. Vocatur autem festum hoc ex eo, quod Haman sortitionem fieri iussisset, qua facta Iudæi per regnum Assueri die tertiodecimo mensis duodecimi *Adar*, id est, nouilunii Februarii, delerentur & perderentur omnes. id quod mandato quoque regio per regnum totum in sententiam istam exarato confirmatum est.

Actionis autem huius catastrophe contigit talis, vt qui putarant sese effecturos, vt Iudæi è medio tollerentur omnes; ii è medio tollerentur ipsimet. Iudæi namq; die superius nominato Susis viros quingentos vnà cum Hamane & filiis eiusdem decem interfecerunt: ibidemque die postero trecentos peremerunt. Iudæi verò cæteri hinc inde per regnum vniuersum Assueri septuagintaquinque millia prostrauerunt: quod ipsum die tertiodecimo eodem quoque factum est: vnde die quartodecimo statim sequente requies per ipsos acta est. Hinc in memoriam rei talis perpetuam institutum est, quod diem quartum quintumque decimum nouilu-

nii Februarii, in quo requiem ab inimicis ipsorum adepti fuerant, & in quo dolor ipsorum in gaudium, mœror in dies bonos mutatus erat, pro diebus voluptatis gaudiiq; & super se & super semen eorum acceptare & obseruare, nulloq; tempore obliuisci deberent; probat capite libri Estheræ nono scriptum legitur. Inde quidem fit, vt Iudæi dies hos duos festiuiter à se celebrari videri velint, quum tamen eos sic exigant, vt profanationis & crapulæ dies appellari mereantur. His vtvt operatio prohibita non sit: ab externa tamen operatione se abstinent: in Talmudo. eum, qui laboret, fortuna prospera nulla vsurum, scribentes. Tempore enim quodam dieb. his semen lini seminauit quidam, cui superueniens aliquis Rabbi, eũ ob id & reprehendit & execratus est. Vnde contigit, vt semen illud exortum non fuerit, nedum vt glisceret visum sit. In primis autẽ mulierib. mandatum est, vt ferientur: cũ regina Esthera liberationẽ hanc die hoc causata sit. Tempore nocturno luminaria gaudii in synagoga ipsorum accendunt, & *chasan* siue synagogæ minister, librum Estherę explicans (scriptus. n. est super membrana quapiam larga) extẽdit eum velut epistolam, legitq; eum à capite ad calcem. Ad quã lectionem & mulieres & infantes præsentes adesse, diligenterq; attẽdere oportet. Etiam

Tractatu Megillah.

iam cõsuetudo apud eos inoleuit, vt quoties nomen Hamanni nominatur, illud paruuli Iudæi terribiliter explodant, tumultum excitantes id faciendo nõ paruum. Temporibus superioribus de lapidibus duob. sibi prouidere soliti fuerunt, in quorum vno nomẽ Hamanni fuit exaratum. Hos lapides tã diu inter ipsos contuderunt, vt nomen illud è lapide, cui inscriptum esset, extritum sit: quo facto vociferati fuerunt, *iimmach schmo*, Nomen (aientes) eius deleatur, vel *Schem reschaim urkabh*, Nomen impiorum cõputrescat: Item, *Arur Haman*, Execrationi deuotus sit Hamannus; *Baruch Mordechai*, Benedictus sit Mardochæus: Item *Arurah Zeres*, Execrationi deuota sit Seres Hamanni coniunx: *Berucha Esther*, Benedicta sit regina Esthera: *Arurim col obhede elilim*; Execrationi deuoti sint omnes, quicunque seruiunt deastris: *Beruchim col Iisrael*, Benedictus sit populus vniuersus Israeliticus. Cum ad locum historiæ illum, quo filii Hamanni decem nominantur, legendo peruentum est, locum eundem spiritu vel halitu continuo vno legere coguntur. Scribunt. n. quod filii Hamanni decem isti tam cito quã cõnictus palpebrarũ ocularium duret vnus, percussi fuerint omnes, quodq; anima cuiusq; illorum è corpotib. eorum tempore eodem fuerit egressa. Feriantur &

Orach chaim nũ 690. sect. 16.

Execratio hæc Christianos concernit, prout ex oppositione videre est.

honorant festum hoc, voluptuariè vino quebono sese tractantes: quod Esthera regina, quando apud mensam cum cibis lautis opiparisque, tum vino optimo instructam rex Assuerus assideret, gratiam impetrauerit ab eodem hanc, vt is Iudæos in vita conseruandos esse censeret. Vnde & rectum & iustum sit, vt & ipsi vino assidentes lætos & hilares se præstent. Diebus ergo duobus hisce totis re alia se nulla occupare solent, nisi vt vorent, potent, ludant, saltent, fistulas inflent, cantent, rhythmos dicteriaque suauia alia pronuncient, mulieres vestes viriles, viri vestes muliebres induant. Et quamuis id ipsum expressissimè in lege Dei vetitũ sit: scribunt tamen isti, quod hoc in loco, vel occasione hac oblata facere, peccatũ non sit: cum præsertim causa *simcha*, id est, gaudii recreationisque mundanæ per ipsos id fiat. Similiter scribit *Rabbi Isaac Tirna*, in *Minhagim* eius, quod *mizuah* mandatum, & opus bonum sit, diebus his exhilarare se, pergræcari, *vlehistakker mecod, si helo iakkir*, &c. hoc est, se potu quẽliber tam valde ingurgitare, vt discrimen inter *Arur Haman*, & *Baruch Mardochai*, id est, inter execrationi deuotum Hamãnum & benedictum Mardochæum, ignoret; hoc est, vt quãtum verborum horum quoduis vnum, secundum literam eius numeralem in se contineat numerum,

Orach chaiim nũ. 695.

De ritib. Iudaicis pag. 61.

nume-

numerare non possit: quod rursum est tantundem atque si dicas, cuiuis vni diebus his tãtum bibere licere, vt præ ebrietate digitos manuum eius quinque amplius percensere non norit. Quod mandatum profecto solum per Iudæos diligentissimè omnium & obseruatur & præstatur. Iudæis pauperibus munera & eleemosynæ dantur sic, vt opulenti cuilibet egeno Iudæo munuscula duplicia mittere teneantur: cibum videlicet ac potum, vel cibum & pecuniam, &c. vt & ipsi festum hoc secundum dignitatis eorum gradum decorè feriari possint. Et sanè iniunctum est illis, ne cibum potumve, vel quiduis aliud missitatum in vsum alium, quam in hunc vnum conuertant. Gaudiis his Bacchanalitiis dies festiuos, quos anniuersariè secundum ordinem certum celebrare solent, concludunt. Ab hoc enim vsque ad festum paschatis festum deinceps aliud non habent vllum. Quod si vates adhuc viuerent, vel è mortuis resurgerent, prout olim habuerunt, eodem modo prædicandi occasionem nunc haberent vrgentissimam. *Væ iis*, dicturi profecto essent, *qui summo mane surgunt*, vt *inebriatiua sectentur*, & *qui immorantur vsque ad crepusculum*, donec *vinum æstuare faciat eos*. Ies. 5. 11.

## CAP. XXV.

### *De diebus ieiuniorum Iudæis vsitatorum.*

IN lege Mosis dies ieiunii Iudæis vnicus tantummodo mandatus est. Dies autem ille ipse est Septembris decimus, quo festum Reconciliationis anniuersarie celebrari consueuit: quemadmodum paulo superius indicatum est. Præter hunc autem ordinarium inuenitur, quod secũdum temporis exigentiam apud sanctos patriarchas & prophetas dies ieiuniorum complures instituti fuerint: prout sparsim hinc inde in scriptis eorundem videre est. Hinc nẽpe memoriæ proditum est, quod tempore Zachariæ prophetę dies ad ieiunandum festiui quatuor generales destinati fuerint, annis singulis agendi: prout è verbis sequẽtib. his animaduerti potest.

Zachar. 8. 19.

*Sic dicit Iehouah exercituum, Ieiunium mensis quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, erit domui Iehudah*, &c. Ieiuniũ mẽsis decimi obseruari solitũ fuit tunc, & adhuc obseruatur nũc die decimo eiusdem, Decembris nimirũ: ideo quod die eodem Nebucadnezarus Hierosolymam obsidione cingere, eidẽq; dolori calamitatiq; quãmaximæ esse cœpit. Ieiunium mensis quarti obseruatum fuit die septimodecimo eiusdem, ob calamitatẽ multiplicẽ, qua quondam grauati fuerunt, quamq; deglutitam quasi nondũ digesserunt: tabulæ nimirum legis diuinę duæ istæ cõfractæ sunt, sacrificiũ iuge seu quotidianũ cessauit, liber legis sacrosanctus

ctus cõbustus est, idolum in tẽplo erectũ, vrbs Hierosolyma secũdũ obsessa fissa est, muriq; eius diuisi, &c. Eadem ob causas ieiunãt adhuc hodierno tẽpore quã strenuissimè, vitamq; agũt valde pœnitentẽ, put gestibus externis præ se ferunt: à quibus quin cor vel maximè dissentiat, dubiũ non est. Dies post hunc sequentes ad nonum vsq; mensis sequentis pro diebus inauspicatissimis habẽt. Magistris ipsorum pueros scholam frequentantes verberare durantib. istis non licet. Nemo in iudiciũ vadit. Quod si Iudæo negotiũ cum Christiano sit in iudicio, Iudæus effugiũ quærit quodcunque excogitare potest, ne coram iudice compareat; metuens fore, ne causa cadat. Ieiunium tertium mense quinto obseruatum est, die nimirum nono mensis eius, Iulii inquam: ideo quod templum eo die inflammatum in cineres redactum est. Hìc discalceati incedũt, sup terræ solo sedẽt, historias tristes & threnos Ieremiæ legentes. In cœmeteriũ sese cõferẽtes, ibidẽ quoq; cõqueruntur, cũq; animab. vita functorũ mœrẽt Hierosolymitani tẽpli deuastati causa. qui & alias p mensẽ hunc totũ mœsti sunt. A primo ad diẽ decimũ carnibus non vescuntur vllis, vinum non bibunt vllum, lauare se, seu balneum intrare non audent, tonsorem nullum admittunt: matrimonia nulla cõtrahunt; Inuiti in iudicio comparent, cõ-

querentes; quod in mense hoc fortuna prospera nunquam vsi sint; idq; è prophe-
Oseæ 2.7. ta Hosea demonstrant: *Nunc*, aiente, *mẽsis*
Ierem. 2. *portionem illorum vorabit*: Item, *In mense eo-*
24. *rum deprehendentur*. Die octauo tantùmodo lentib. in mœstitiæ signum vescuntur, Eruũ, fabas leguminaq; similia nõ edunt, ideò, quod in superiore ipsorum parte lineam quandam nigram habent ori similem. Lentes aũt, prout & oua non edunt, quod lineam talẽ non habent, ideoq; nec os vllum, & iccirco hominem tristem, qui velut os non habens nihil loquatur, repræsentãt. Quis super similitudine hac de lentibus per Rabbinos acutos & sagaces desumpta in admirationem nõ rapiatur? De nocte perparum edunt, & id quidem super terrę solo sedẽtes. Et si quid edunt, ouum id tostum est, hocq; similiter in tristitiæ signum assumunt. Quia enim ouum rotundum & figuræ globosæ est; tristitia itidẽ talis est, vt rotundorum in modum nunc ad hunc, nunc ad illum vólutetur; igitur nõ ineptè per oui esum id significari philosophantur. Super lecto nõ tã bono, quam prius facere soliti fuere, somnũ captant. Qui prius puluinarib. vsus est duobus, iste nũc vnum duntaxat vsurpat. Qui prius habuit vnum, is adhibet iam nullũ. Pro subtilibus stragulis linteis vtuntur iã crassis: adeo vt omnia in peius mutata esse oporteat. Ieiunium quartum celebrari soli-

solitum est mense septimo; die nimirum tertio eiusdem qui nobis September est: idq; causam ob hanc, quod vir præstantissimus ille Godolias, toparcha, Iudæis illis, qui Babylonem captiui abducti non fuerant, præfectus, miserabiliter doloseque tum temporis interfectus est; quēadmodum apud prophetam Ieremiam legitur. Hæc sunt festa quatuor ista cōmunissima, quibus Iudæi tempore prophetæ Zachariæ ieiunarunt, & adhuc annis singulis ordinariè summaque ieiunant. Ierem. 40. & 41.

Secundum festiuos dies hos ipsos, habent & alios, qui non ab omnibus in genere simul, sed ab eorum quouis vno seorsim ieiunantium celebrari solent; prout quilibet eorum & sanctus & probus esse vult. Ita ieiunant eorum pleriq; diebus & Lunæ & Iouis per annum totum, quemadmodum Pharisæus iste, de quo in testamēto nouo mentio fit; quiq; superbè gloriatus est, ieiunare se bis septimanatim. Die mensis Martii decimo ieiunant nonnulli propter prophetissam Miriam, quæ die hoc mortua fit: quo facto fons quidā mox exaruerit: & populus in deserto aquæ nihil habuerit: ob quem aquę defectū murmurantes in dominum peccauerint. Pars tamē Rabbinorum maior concluſit, quod mense Martio propter liberationem illā ex Ægypto lætitię pleniſſimam, à ieiuniis abſtinendum ſit omnibus.

Die mensis Aprilis decimo ieiunāt plerique propter id, quod Eli filiiq; eius duo die illo mortui sint: arca fœderis per incircumcisos in captiuitatem prius abducta. Die vigesimo octauo mensis huius eiusdem ieiunant etiam nonnulli, propter id, quod Samuel die isto vitam cum morte cōmutarit. Festorum autem talium, quæ prophetarum, aliorumque virorum sanctorum in illis mortuorū causa instituerunt, multa habent adhuc alia. Quidam ieiunant quoq; tēporib. vespertinis nouiluniorū singulis. Quidā, quoties eis aliqd infortunati de nocte somniantibus oblatum est, ieiunio se mactant macerantque. Ita, cui mortuus est pater, is per vitam totam die mortis eius ieiunare tenetur. Sunt autē generis huius alia adhuc multa. Cum verò ieiunant, ab omni tam cibo quam potu sibi temperant modis omnibus, tantisper, dum tempore nocturno stellæ fuerint exortæ. quæ ieiunatio non mala quidem esset, si cum corde vel animo, veroque Dei timore coniuncta eum in finem, vel eam ad metam dirigeretur, ad quam secundum Dei verbum dirigi deberet. De ieiunatione verò talismodi nunquam prophetarū quisquam concionari sic potuit, vt eam Iudæi percipere, & effectui mandare voluerint. Legitur in *Medrasch rabba* capitulo, *vezos habberachah*, incipiente & sensum hunc sequen-

Vide librū Reschis.

sequentem habente: Quamprimum per- Chochma parvum, pag. 10.
spexit Moses, quod Deus eum poena aliqua afficere statuisset, ieiunium sibimet ipse indicebat, artocreas sine placentam faciens talem, qualis corporis eius magnitudinem exæquaret; saccum induebat, cinerem super caput spargebat, in placentam istam mediam se statuebat, ieiunansque sine intermissione vlla preces dicebat, ex eademque placenta egredi se nolle secum proponebat prius, quam Deus iudicium aduersus eum decretum mutaret & irritaret; vt & factū est. Commentum hoc sine dubio vllo, è Talmudo Taanis. cap. 3. pag. 19. 23. isto sancto, fabularum Iudaicarum fundamento netum est; in cuius tractatu de ieiunio legitur, quod sanctissimus quidam nec non probissimus Iudæus, *Chone Hammagal* appellatus perinde fecerit atque Moses, quotiescunque sublime quid necessariumque à Deo precibus contendere voluerit, quod ab eo consecutus etiam sit. Hic, cum per mensem Februarium totum non pluisset, pluuia verò propter instantem messem perneccessaria esset, ieiunauit, seseque in placentam eiusmodi velut in carcerem constituit; &, Domine, dixit, mundi, filii tui oculos ipsorum dirigunt in me, scientes nimirum, me tibi non minus & charum & familiarem esse, quam filius quispiam patri. Iuro ego per nomen sanctum

tuum, quod hinc exire non velim prius, quam tu infantium tuorũ misertus fueris. quo facto, mox pluit, &c. Quid? quod eodem in loco commemoretur, Habacucũ prophetam similiter egisse: quemadmodum scriptum sit: *Super custodiam meã stabo, & consistam super munitionem, atque contemplabor, vt videam, quid loquatur in me* Dominus, *& quid respondeã arguẽti contra me*, id est, ego hic sto in arto creatæ siue placentæ meæ, expectans tantisper, dum tu respondeas mihi, quî fiat, quod impii tamdiu viuant. quemadmodum *Rabbi Dauid Kimchi* è Rabbinis super hoc vatis Habacuci loco scribit. Adeò miserabiliter miserabiles Iudæi, isti in sensum reprobum traditi sunt, vt eos non pudeat cuiusquam; conscientiamque eorum ne tantillum quidem lædi sentiant, dum modo tam crasso inconuenienteque de verbo diuino loquuntur, scripturamque sacram secundum cerebellum beneplacitumq; ipsorum interpretari nõ erubescunt. Superstitio circa ieiunium maxima, abusus item nõ exiguus, tempore prophetarum regnauit: vnde vates Zacharias Iudæis ieiunium ipsorum exprobrans ieiunium verum quodnam esset, voce Dei declarauit. Iudaico enim cum populo tũ sacerdotibus è Zacharia quærentibus, *Filebone* adhuc *mense quinto, separando me* à cibis, *quemadmodum iam feci tot annis*?

Habac. 2. 1.

R. Sol. Iarchi in hunc locum.

Zach. 7. 3. 5. &c.

iussu

iussu Dei respondet Zacharias sic: *Quum ieiunastis, & planxistis in quinto* mense, *& septimo, idque iam septuaginta annis, nunquid ieiunium ieiunastis propter me?* præcepine *ego?* *Et quando comeditis aut bibitis, nonne* propter *vos comeditis, & propter vos bibitis? Nonne* hæc sunt *verba, quæ prædicauit Iehouah per manũ prophetarum priorum, quum* adhuc *Ierusalem habitaret* confidenter, *& esset quieta, vrbes illi circumstantes, & pars meridiana* ac *planities habitaretur?* *Sic dicit Iehouah exercituum, dicendo: iudicium verum iudicate, & misericordiam ac miserationes facite quisq; cũ fratre suo; &c. Et renuerunt attẽdere, & dederunt scapulã auersam; aures quoque suas aggrauauerunt, ne audirent: & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent Legem ipsam, & verba illa, quæ miserat Iehoua exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: vnde facta est ira magna à Iehouah exercituũ. Euenit q; vt quemadmodum clamaueram, & non audierant: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Iehouah exercituum.*

Hoc etiam de ceremoniis, quibus Iudæi in feriis & festis inter eos receptis superstitiosam ipsorum fidem exercẽtes vtuntur, dictum adeo sufficit, vt inde quilibet satis perspicere possit, quod religio ipsorum non amplius super Mose & prophetis, sed super mendaciis meris, falsisq; Rabbinorum & Scribarum (id quod ab initio libri

huius mihi demonstrandum ꝓposui) eorum institutionibus fundata sit. Sequitur iam ꝑterea de cõsuetudinib. nõnullis aliis, secũdum quas in vita ipsorũ priuata se gerunt.

## CAP. XXVI.

### *De discrimine circa coctionem & cibos ediles, deq; nouis culinariis Iudæorum vasis.*

Iudæi temporis nostri inter carnes, pisces, lacticinia deniq; & coquenda & edenda discrimen ingẽs obseruant. Quod discrimẽ è libro Mosis secundo desumũt, vbi scriptum est sic: *Non coques hœdum in lacte matris suæ.* Hinc disputatio inter eos & ꝑlixa & arguta extitit de eo, quomodo circa carnẽ & mel recte versari quis possit: adeo vt ea de re libros & multos & magnos post se reliquerint exaratos. Vasa culinaria duũm habẽt generũ; vnum pro carnibus; alterum, pro cibis è lacte conficiendis. Vasa pro lacte signis singularibus quibusdã tribus insigniunt: lignea tribus notãt scissuris; ideo, quod verticul⁹ paulo ante citat⁹, in lege Mosaica ter inuenitur. Ita Iudæus quiuis vnus cultros duos secũ gestat; vnum pro carnib.; alterum, pro caseo & piscibus; qui & ipsi scissuris vel potiꝰ incisuris trib. notati sunt. Quæ vasa si inter se miscerentur, aliudq; pro alio sumeretur, tunc Iudæis, quod in eis coctũ fuisset, edere nõ liceret. Et ea quidẽ, si terrea sint, cõfringunt; si lignea sint, in aquã immergunt, & accuratissimè etiã atq; etiam lauan-

Exod. 23. 19. Iore deah. num 86. & seqq. & num. 112.

lauantes repurgant: si ferrea sint, in ignem coniicientes vrunt tantisper, dum repurgata esse sibi persuadeant. Super quibus rebus ordinationes habēt nō paucas. Lac & carnem tēpore vno & codē super foco sibi è regione oppositā non coquunt: prout eadem simul etiam mensæ non imponunt, sed aliquo inter ea interiecto, separare solent. Ita pro carnibus mappam mēsæ insternunt singularē seorsim; pro caseo & lacte similiter aliā seorsim. Qui carnem vel ius de carne edit, is per horam integrā de caseo vesalio, quod è lacte apparatum fuerit, licitè ederenon potest. Qui probissimi haberi volunt, isti per horas vel sex integras à vetitis his abstinere cōsuêrunt. Gallinam veò vnà cum lacte amygdalino simul edere permissum est. Si quis tā diu, ceu paulo ante dictum, post carnes sumptas à lacte sese abstinere non potest; is dentes à carnibus accuratissimè purgare, os eluere, frusto item panis sicco gustum carnis exsiccando auferre cogitur. Si sebum in cibum è lacte coctum ceciderit, cibus isse vetitus est. Si verò cibi sexagies plus est, quam sebi, tum permissus est. Ouum in vase carni deputato non bulliunt. Si aliàs ouis ad coctura vtuntur, ea prius in patinam cōtusa vt effluant, vel ex vna testa in alteram vt decidāt, efficiunt, diligēter vidētes, ne sanguinis aliqua gutta in eis fortassis hæreseat. Hæc est, cau-

sa cur Iudæi oua elixa semper in acumine ipsorum aperiant; quod in acumine isto venula nonnunquam sanguinē repræsentans inueniatur. Si gallinam scindendo, aperiant, illamque oua intra se habere deprehendant, oua non vsurpant, nisi prius in sale & aqua emollita, & probè abluta, sint. Carnes & pisces itidem super mensa vna statuere simul, nefas esse ducunt. Simul itidem non coquunt: multo verò minus carnes & pisces simul edunt: quod, quisquis id faceret, leprosus inde futurus esset, scribentes. Manus igitur & ora inter esum carnium & piscium lauāt: vel pomū aliquod frustumve panis ante, quam post carnes comestas pisces attingant, edunt. Res has aliasque similes discernere posse, inter Iudæos sapientia & omnium maxima & principalissima est. Rebus autem difficilib. occurrētibus Rabbinorum doctissimos in deliberationem adhibere coguntur. Vasa culinaria noua, siue ex auro, siue ex argento, siue è stanno, siue ex ære, siue è cupro, siue è plumbo, qualia sunt cultri, vitra, &c. in aquā coniicienda studioseque eluenda sunt. Quęcunque verò ignem ferre possunt, ea in ignem coniecta vrendo purganda sunt. Hoc ita fieri oportere è libro Mosis quarto demonstrant: *Quicquid*, aientes, *ingreditur ignem, transire facietis per ignem, & mundabitur: veruntamen aqua expiationis pu-*

Num. 31. 23.

*rifi-*

*vificabitur: Quicquid autem non ingreditur ignem, transire facietis per aquam.*

Super hoc scribitur in Talmudo, quod vasa talia vel in aquam vel in puteum, in quibus mulieres Iudaicæ sese lauare consueuerunt, quotiescunque menstruis pollutæ fuerunt (tales enim mulieres Hebraicè *niddos* appellantur, vt & aquę separationis, hic apud Mosen *meniddos*) immergere oporteat. Hìc Iudæi satis ostendunt, quod asinus ex auribus eius ab animantibus aliis facilè discerni queat. Dictum enim Mosis illud prius non loquitur de vasis quibusuis, sed de supellectili illa, quam maiores ipsorum hostibus Madianitis prędando eripuissent, qui Madianitæ tum temporis profani reiectique populi fuerunt. Significabat ergo Moses Iudæis, quod cum illis vel eorum bonis communionem nullam prorsus inire deberent, nisi bona illis erepta priùs sanctificata fuissent. Iudæi verò nostri, quoniam vasis Christianorum, ne hodierno quidem adhuc die, nullis & ne recentibus quidem vtũtur, nisi prius purgata sint, per id satis ostendunt, quod nos eorum iudicio puriores & sanctiores esse non æstimẽt, quam populi isti quondam fuerunt, quos Deus è terra Canaane propter scelera ipsorũ exterminauit. Et sanè Iudæa stri isti in scriptis ipsorũ nos Christianos *temeim*, impuras & profanas gentes appellare non verentur.

Tractatu 2 Elilim c. 5. pag. 76.

## CAP. XXVII.

### *Quomodo Iudæi pecora ipsorum mactare consuêrint.*

INter Iudæos reperiuntur valde multi, qui mactandi rationē vel artem, quod isti *schāchten* appellitant, discere coguntur. Quisquis autem discit, is apud lanionem peritum per annos aliquot esse tenetur. Sunt autem super hāc arte constitutiones tam multæ (libri enim integri de ea scripti circumferuntur) inuentæ, vt aspiciendo nullus eam debitè perdiscere possit. quin super ea discenda studere illum, legesq; eius veras è libris indagatas percipere oportet. Libellum quendam paruum lanionium habent, in quo præcipuæ omniumq; maximè necessariæ traditiones breuiter cōprehensę sunt, qui *Schechitos & Bedikos* appellatur. Secūdum libellū istum Iudæi seculi præsentis sua omnia quæ ad animaliū mactationem spectant, instituunt: & si quid incidat, quod difficilius sit, quā vt ipsi ex eo expedire se possint, tū *Rabbi* quendam ipsis eruditiorē in cōsilium adsciscunt. Quisquis ergo libellum hūc bene perdidicit, rationemq; laniandi vel mactandi per tēpus longum intueri solitus est, iudiciumq; eius super eadem pronunciauit, hūc *Rabbi* in lanionē promouere, eiq; super ista re testimonium manifestum dare tenetur; quo testetur, q̄ in mactando *baky*, expertus & exercitatus

sit,

sit, ideoq; potestatē mactandi vbicunq; & quādocunq; velit, habere mereatur. Non Testimonium lanioni datum. diu est, cum ego testimonium lanioni dabam legi, quod Latinè sese sic habet: Hodie, qui dies mēsis & anni talis & talis est, examinaui & exploraui præcipuum N. filium N. deprehendiq;, quod in arte mactandi peritus & bene versatus est, idque tam ore quàm manibus. Ego igitur permisi illi, vt animalia & mactet, & ea perlustret. Eritque esui permissum, quicquid ille & mactauerit & perlustrauerit: conditione tamen hac adiecta, vt adhuc per annum integrum septimanis singulis *hilchos* seu consuetudines mactandi perlustrandique diligenter perlegat; anni verò alterius mensibus singulis, semel; postremo vero, per vitam eius totam singulis anni quartis partibus siue trientibus semel tantum, idem factitet. Hoc testatur *Rabbi N.* Lanius Hebraicè *schochet* vocatur. Laniare dicitur *schāchten*. Eum qui animantia interius perlustrans inquirit an vitio aliquo laborent, Iudæi *bodek* appellant; ipsummet autem perlustrare *badken*. Ad laniandum vel mactandum cultris vtuntur singularibus. Ad animalia enim grandia mactanda, magnis; ad parua, cultris vtuntur paruis. Magni mucronib. & latis & hebetib. bene nihilominus scindētib. sunt. Quod si fissura vel minima

deformati sint, eis vti non licet. Pecoris maioris iam iam mactandi lanius pedes omnes ad exemplum Abrahami, qui filii Isaaci manus & pedes colligauerit, cum eum Deo offerre voluerit, constringit. Postea gurgulionem & faucem eius tractu vno vel scissura vna abscindit. quo facto, mox cultrum contemplatur, an fissura aliqua affectus sit, nec ne, cogniturus. Per fissuram enim talem animal perterrefieret adeò, vt se sanguis cor versum colligeret, & sic ex animante totus non effluceret: quo fieret, vt animans istud *asur* esset, id est tale, quo vesci non liceret. Vbi verò scissura bene penetrauit, tunc animans suspendit, intestina eius ex eo eximit, scindensque foramen ex vtraq; parte cordis vel ipse, vel alius quispiam, quicunque bene *badken* vel inquirere nouit, manum per foramina illa in corpus animantis inferens, inquirit, num vspiam vel sanguinem vel vesiculas sanguine plenas, pulmoni iecorique adhærentes, habeat. Quod si vitium vel minimum animaduertat, tunc animans illud *asur*, id est, ad esum minimè permissum est. Iudæo nulli de animante tali vel tantillum edere fas est: prout scriptum est: *Et homines sancti eritis mihi, & carnem in agro raptam non comedetis; cani proiicietis illam. Cadauer & raptum non comedet, vt polluat sese in eo: Ego Iehouah.* Ex hoc concludunt Iudæi secundum

Exod. 22. 31. Leuit. 22. 8.

cundum cõsuetudinem ipsorum, inconuenientissimam tamẽ, quod animal nullum edere ipsis fas sit, nisi quod numeris omnibus pleneque sanum sit: cum tamen textus non de animante viuo, sed cadauere, quod per semetipsum mortuum, vel per animal aliud immansuetum laceratum sit, minimè loquatur.

Animantia pennata, quæ alas, & in eisdem pennas habent, Iudæi modo similiter eodem mactantes, ipsis gurgulionem scissu vel tractu cultri vno abscindunt, & sanguinem eius in cumulum cineris exiguum defluere sinunt, eum tegentes in eodem. Consuetudinem hanc è libro Mosis primo piscatur; vbi textus ait, quod Rebecca quam primum Isaacum venientem turi conspicari cœperit, de camelo desilierit. Super hoc scribunt Rabbini, quod tum temporis, (prout in libello ipsorum *Schechitos*, qui de arte mactandi est, scriptum est) Rebeccam infirmitas eius inuaserit, secundum naturę muliebris morem: quæ cum de terra, in quam sese incuruauerat iterum surrexisset, volucres aduolitauerint, sanguinemque virginitatis eius in terram obrutum occulauerint: eaque de causa dicunt, quod Deus illis mandauerit (vbinam vero fecit hoc?) vt & ipsi vicissim sanguinem auium mactatarum tegere meminerint. Sanguinem animãtium reliquorum terra adobruunt,

Gen. 24. 64.

Pag. 11.

eodem plane modo: quod terra dehiscens aperuerit se, sanguinemque Abelis illius probi deglutiuerit, cum per Cainum trucidatus fuisset. Ego quoque (inquit auctor libri lanionii prius citati) in libro *Chasidim* inueni, quod sanguis obtegatur ob id, ne Satan veniens accuset nos iniustitiæ coram Deo; quasi iniustum sit, quod innocens & irrationale pecus illud, cum peccatum nullum commiserit, nulliusque iccirco pœnę obnoxium sit factum, per nos tam miserabiliter trucidetur & occidatur. Ideo tegimus nos sanguinem, ne Satan eum videns animaduertat, quod eiusmodi cædes animalium per nos cõmissa sit. Hic iterum nota ratione Rabbinorum scripturam sacrosanctam interpretandi illotam & impuram. Versutiã quoq; Iudæastrorũ licet ridiculã, maximã tamẽ, etiam nota: quod rursum persuadeant sibi, se diabolum sic circumuenire, eidemq; sic imponere posse, vt quando pecora ipsorum mactẽt, scire non possit. Proh diabolum ignarum istum, qui tam parum sciat & intelligat, vt hoc scire & intelligere non queat!

Cum pecus magnum mactarunt, tum venas & neruos omnes (super quare libros etiam singulares composuerunt) ex eo eximunt, & sebum omne auferunt ab iisdem: quo facto in aquam, vt egregie mollescant, immergunt. Ex aqua deinde limpi-

limpida lauant, vt quicquid sanguinis adhæserit, prorsus abluatur: quo facto super asserem quendam ponunt, vt si quid aquæ restet, id totum destillet: indentes deinde in vas aliquod sale condiunt. Vas autem rimarum plenum est, vt sal omne, quodcunque sanguineum in rebus istis salsis adhuc insit, eximat. Quod totum perfecteque saliri nolunt, id in sale per vnam alteramque duntaxat horam relinquunt, posteaq; pro libitu ipsorũ coquũt. Nihil sanguinei edere solent, vt qui ab edẽdo sanguine mirabiliter abhorruerint semper, & abhorreant adhuc. Partes animantium posteriores itidem non edunt, quod angelus Iacobo commissuram coxæ luxârit, prout in libro Mosis primo legere est. In Italia verò per artem anatomicam, (quam ego apud istos super papyro quadam patente impressam conspexi) adinuenerunt, vt per artificiosam subtilemque venarum exemptionem, partes etiam posteriores *mutatim* vel ad edendum licitæ fieri possint. Quam artem si Iudæi tempore Mosis cognitam perspectamque habuissent, tunc eum cum cibis quos edi vetuisset, ad latus secedere oportuisset. Quod si magistris his, tam præcellentibus anatomicis, etiam sues committerentur, vt & in istis anatomicam scientiam istam exercerẽt, inuenire possent fortassis & in- Gen. 32.

iisdem, quo ex eis exempto carnes earum Iudæa astris edere liceret. Partes posteriores plerunque Christianis diuendunt. Illi verò, qui carnes has libenter ab istis emunt, hæc considerandasibi esse cogitabunt, quod Iudæi omnes, quotquot à fide Iudaica ad Christianam sese cõuerterunt, scribant vnanimiter, eos carnes istas prius maculare, & vt liberi ipsorum super eas mingant, curare; maledictionemque super eis dicentes, vt emptor *Goi* carnes illas edens *misa meschunah*, id est, mortem edat, optare. Fortè Iudæi non omnes omnibus in locis æque mali sunt. aliàs naturæ eorum valde consentaneum est, eos animis talibus erga Christianos esse. E peritia Iudæorum in mactando & exta animalium (vt ita videant num vitiis internis quibusdam laborent nec ne) perlustrando, & venas è carnibus illorum eximendo, medici tam periti inter Iudæos existunt. Eodem enim modo de homine, deque corporis eius proprietatibus & morbis iudicare volunt. quod tamen amissione vitæ Christiani nõ pauci persoluere tenentur. De qua re si quis plura scire velit, Antonium Margaritam non sine fructu se lẽgere perspiciet.

## CAP. XXVIII.

### *De nuptiis Iudæorum.*

Quan-

QVando promissiones inter duos iam factæ sunt, Iudæi multi tam iuuenes quam senes in solarium quoddam magnũ conuocantur. Iudæorum iuuenum quilibet ollam in manu tenet. Postea veniens aliquis literas coniugii contracti palam legit. argumentum literarum talium est, quomodo nimirum coniugium sibi promiserint N. filius N. & N. filia N. alterque alteri in dotem donationemve propter nuptias dare velit tantum aut tantum: nuptiæque celebrandæ sint die isto vel isto, &c. & quod pars illa, quę non præstet ea quæ in literis sponsalitiis illis continentur, florenos quinquaginta parti alteri dare debeat. Hoc facto, alter alteri fortunam felicem precatur, *masal tobh*, bona fortuna, dicendo. Hoc audito Iudęuli circumstantes confestim ollas, quas tenent, è manibus in terram sic abiicientes euibrant, vt confringantur; quod id fortunam prosperam abundantiamque designet, aientes. Deinde quilibet iterum discedit: vbi stans aliquis ad ianuam cuiuis vni vinum dulce dat bibendum: addita interdum confectione quoque nonnulla. Per octiduum proximum neque sponsus neque sponsa è laribus egreditur. Ad sponsum verò iuuenes multi commeantes edunt bibuntque cum illo, multa ludicra temporis fallẽdi gratia apud eum designantes. Idque rectè se facere ex hi-

storia Sampsonis, cui nuptias celebraturo iuuenes triginta fuerint adiuncti, facilime demonstrant. Sponsa die nuptiarū diem proxime præcedēte in aqua frigida se lauare tenetur, sic, vt corpus totū in aquas immergat. Per mulieres autem tinnitus sonitusque editione in balneum inducitur, & ex eodem rursus educitur: vt quilibet audiat & sciat, quod sponsa sit. Pleræque saltant saliuntque ante ipsam: id quod mulieres tamen probæ non probant. Sponsus autem sponsæ cingulum mittit sponsalitium; prout vicissim sponsa, sponso. Oporteq; vt cingulum, quod sponsa sponso donum mittit, bullas habeat argenteas: id vero quod sponsus sponsæ donat, aureas. Cum rei huius ex aliquo Iudæastro causam tempore quodam quæsiissem, dicebat iste, quod hoc ita fieret, quia argentū semen virile, quod esset album: aurum, semē muliebre, quod esset rubrum, repræsentaret. quæ ratio certè putida est, qualia sunt omnia, quæcunque è schola istorum prodire possunt.

Die illo, quo in synagogam benedictionis accipiendæ gratia sponsa deducenda est, vestibus induit se nuptialibus: seque quantum potest, more Iudaico polit: posteaq, per mulieres suaues cantiones nuptiales ante eam cātillantes ad cubiculum quoddā deducta, id subit. Tum mulieres eius ductrices illam super sedile pulchrum

pulchrum locatam pectunt, cincinnulos ei pulchellos plicando parantes. Vittas quoq; perbellas eidem imponunt, flammeumq; oculis eius obducunt, ne spōsum scilicet aspiciat, modestię nimirum pudorisq; causa, quēadmodum fecit Rebecca, quando spōsus eius ei sese obuiū præbuisset. Dum mulieres eā pectunt, lętitia quadā singulari se inuicē exhilarāt; cantiones nēpe suaues decantando, saltādo, similiaque alia gestib. declarando, vt spōsam lætificent. quam ré tam magni æstimant, vt Deo se gratissimum præstare sibi persuadeant officiū. Ac vt hæc quæ taliter circa sponsam designantur, *Rabbini* sublimiter sapiētes & docti mulierib. facerent credidibilia, in Talmudo ipsorum scribere veriti non sunt, quod Deus ipse Euæ cincinnos fecerit in paradiso, eique præcinens, choreas cum ea duxerit ibidē. Hoc autem *Chachamim*, siue sublimiter sapientes *Rabbini* è verbis illis, *Et adduxit eam ad Adamum*, vel hominem: argutati sunt, quasi Deus eam adduxerit ad Adamum, prout sponsa aliqua ad sponsum saltando saliendoque adduci solet, pulchrè ornata, & crinibus implicatis decorata. Quinetiam legitur in eorum *Pirke* siue capitibus *Rabbi Eliezer*, quod Deus ipse Adamo nec non Euæ, dum nuptias celebrarent, seruire non dedectārit, cælumque illud, sub quo

Gen. 24.

Proh impudens mēdax q; Iudæi os istud.
Gen. 2. 22.

Cap. 11.

benedictionem consequerentur, manibus propriis architectatus sit: item, quod angeli & fistulis & tubis melodiam talem insonuerint, vt secundum eam saltare potuerint, &c. Ita blasphemè scribit hac de re Iudæus iste, qui Brandspigelium ante annos paucos composuit, primumque Cracouiæ Polonorum Germanicè literis interim Hebræis adhibitis, excudi fecit. Liber alioqui reprehensorius & moralis, magnoq; apud Iudæos in precio est. In Talmudo tantum reperio, quod Deus Euæ plegmata confecerit, quod probatur ex eo, quia scriptum sit, *vaiibhen hael*, hoc est, *& Deus ædificauit*, hoc est, plicauit: vnde apud Iudæos plerosque plegmata capillorum *Beniasa*, quod Latinis ædificium, vocantur. Etenim vocabulum Hebræum *Banah*, vnde vocabula præcedentia descendunt, propriè ædificare significat. Itaque quod Moses verbis apertis & non obscuris loquitur: *Et*, aiens, *ædificabat Deus ex illa* (costa, quam ex Adamo exemerat) *mulierem, eamque ad Adamum adducebat*; id secundum Rabbinorum sublimiter sapientium intellectum significare oportet, quod Deus Euę plegmata confecerit, eamque saltando saliendoque ad Adam ũ adduxerit. Quod si vel scintillula parua quædam recti perspecti, cognitionisque veræ in populo hoc esset, verborum horum blasphemorũ coram mũ-

Cap. 34.

Tractatu Niddah c. 5. pag. 45.

Gen. 2. 22.

do

do puderet ipsos vniuersos. Id autem frustraneum est totum: cum diuinitus cœcitate percussi, luminis vllius cupidi non sint. Sed ad institutum redeamus.

Quando benedictio nuptiarum publicè facienda est, tum pueri quatuor cælum, ad perticas quatuor annexum in locum illum, plateam videlicet aliquam, vel hortum quempiam, vbi benedictio ipsis cõmunicari debet, baiulãt. Ad plateam vel hortum illa, sub dio sita sequitur sponsus cum viris quibusdam, & huic spõsa cum mulieribus, chelybus, instrumentisque musicis aliis prouisa sub cælum idem succedit. Cælum istud *chuppah*, hoc est, operculum, vocatur. Tum vociferatur quisque *Baruch habbha*, Benedictus esto, qui venit. Sponsa verò sponsum, ad id faciendum per alios ducta, vicibus tribus, prout gallus gallinaceus circumit gallinam, circumit. Fitq; illud secundum hunc scripturæ locum: *Fœmina circumdabit virum.* Ier. 31. 22.
Tum sponsus apprehendẽs sponsam, eam quoque semel tantummodo circumducit. Populus autem triticum siue frumentum super sponsam spargit: vociferaturq; *Pru vrefu, Crescite, ac multiplicamini,* Gen. 1. 28.
id pacem abundantiamq; in re familiari significare dicens: prout in Psalmo scriptum sit: *Qui ponit terminum tuum pacem,* Psal. 147.
*adipe frumenti saturat te.* Aliquibus in locis 14.
pecuniam frumento immiscent, quam

pauperes Iudæi colligunt. Sponsa sponso ad dexteram adstat, prout in Psalmo scriptum est: *Filiæ regum inter honorabiles tuas: astat coniunx ad dexteram tuam in auro Ophir.* Vultum eius meridiem versus directum esse oportet; ideo, quod *Rabbini* in Talmudo tradiderunt, quod ei quisquis lectum suum Meridiem nec non Aquilonem versus, ita vt facies eius meridiē versus spectet, posuerit, filii multi sint nascituri. *Rabbi*, qui copulat eos, extremitatem cilicii, quod spōsus circa collum gestat (isti *Talles* appellitant) sponsæ capiti superimponit; faciens id secundum Ruthæ exemplum, quæ ad Boazum patruelem eius; *Expande*, inquit, *oram* pallii *tui super ancillam tuam, quia propinquus es.* Et apud vatem Ezechielem scriptum reperitur; *Et transiui iuxta te, & vidi te, & ecce tempus tuum* erat *tempus amorum. Expandi autem amictum meum super te, operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait dominus Iehouah, & fuisti mea.* Hoc ita trāsacto; Rabbi vitrum vino plenum sumens precatiūculam super eo laudatoriam (isti *birchas erusin*, Benedictionem desponsatorum vocant) pronunciat: quâ Deum, quod instinctu eius sponsus & sponsa sibi coniugium promiserint, laudat; poculumque sponso & sponsæ porrigens eos ex eo bibere, iubet. Quando sponsa virgo est, tum alibi vitrum oris augusti

Psal. 45. 10.

Ruth. 3. 9.

Ezechiel. 16. 8.

gusti sumit, at Wormaciæ, vas figlinum. cuius rei causa cuilibet est nota. Hic Rabbi annulum à sponso accipiens aureum totum, cui gemma nulla sit inclusa, testes aliquot ad se vocat, eisq; annulum monstrans, quærit ex illis, num bonus, pecuniaque qua comparatus fuit, dignus sit: eumque sponsæ digito alteri inducit, literasque sponsalitias aperta claraque voce pronunciat. Post ea rursus vitrum quoddam vino plenum apprehendens aliud, precatiunculam quoque super hoc (isti *birchas nisuin* appellant) precatur. Hac Deo gratias agit, quod sponsus & sponsa se nunc inuicé acceptarint: eisque denuo poculum vt ex eo pitissent, in manum dat. Tum sponsus vitrum prius ad parietem terramve vi tanta, qua rumpi oporteat, in memoriam templi Hierosolymitani destructi, è manu proiectat. Quibusdam in locis sponsi capiti cineres in memoriam templi combusti similiter inspergunt.

Hac eadem de causa sponsus quoque cucullam super capite gestat nigricolorem, prout ii, qui tristes sunt, facere consueuerunt. Sponsa verò caput pallio quopiam pullo (& tam pulchro, vt hoc infantes adeò terreri possint, vt aufugiendum sibi aliquò putent) in signum eius, quod quum lætissimi omnium sunt, tunc ob ciuitatis Hierosolymitanæ templiq; eius

deuastationem, tristes exhibere se debeant, obuelauit. Vestes autem tristes sunt, sed quod cor ipsum triste non sit, experientia testatur ipsa. Isti tamen nugas
Psal. 2. 11. eorum è Psalmo probant, vbi scriptum est; *Seruite Iehouæ in timore, & exultate in tremore.* Quod sub dio copulationem hanc peragunt, id signum est, quod multiplicare se debeant, adeò, vt eorum tam multi fiant, quam multæ stellæ luceant in cælis. Post factam copulationem illam mensis assidetur. Ibi sponsus primo precationem quandam satprolixam canere tenetur. Qui quo suauius dulciusque cantillat, eo melius sponsæ, quæ ipsi assidet, arridet. fitque sanè multo magis cum ex amore sponsæ tum superbia, quam exattentione animi ad Deum directi. Interea verò dum cantillat ille, quidam vociferantes, vt gallinæ parentur & mensis imponantur, edicunt. Itaque sponsæ cum gallina tum ouum apponuntur. Sponsus sponsæ de gallina frustulum impertit. Post hoc omnes tam mulieres quam viri gallinam manibus ambabus arripientes, canibusque famelicis similimè se gerentes discerpunt eandem. Quisquis frustum omnium maximum de gallina tali auferre potest; iste optimus omniũ est ad mensam simul accumbentium. Quod quisque rapuit, è manibus edit. Mox alii è manibus aliorum quod habent, eripiunt,

unt; quin etiam ex oribus interdum: ſuper eo tumultum riſumque magnum excitantes: idque de cauſa non alia, niſi quod ſponſum & ſponſam per id exhilarare conentur. Ouum illud quod cum gallina appoſitum diximus, coctum non eſt. quod alii in faciem aliorum iacere ſolent. Chriſtianis autem, ſi qui fortaſſis eos ſpectatum venerint, minimè omnium hîc parcunt. At ſponſæ proponitur; ideò, vt inde ſe ſine dolore facileque non minus, quam gallina glocitatione alacri, ouum ponere conſueuit, infantes parituram colligere habeat. Poſt ludicra hæc, temporis fallendi cauſa fieri ſolita, conuiuium ipſum ſerio inchoantes, frontemque exporrigentes, Hieroſolymæ parum meminerunt. Saltant enim ſaliuntque, ſicuti norunt omnes, quotquot harũ rerum ſpectatores fuerũt. In fine nuptiarum ſaltant ſaltationem, quam iſti ſaltationem *mitzuah*, hoc eſt, ſaltationẽ, quæ ob mandatum Dei de nuptiis exerceatur, appellant.

Tum præcipuus nuptialium omnium ſponſum per manum apprehendit. Hunc alius, & hunc alius, & ita deinceps, quandiu ſunt, qui ſaltare poſſint, apprehendit. Similiter mulierum primaria ſponſam per manum apprehendit. Hanc alia, & hanc alia, & ita deinceps: fitque ex eo, vt ordine longiſſimo ſaltantes, ſtrepitum

exercitent inter se terribilem gaudium nuptiale saltatione tali claudentes. Nuptiæ plerumque per octiduum integrum durare solent. Hîc si sabbatum in nuptias incidat, tum, si quam strenuissime saltent, sese sabbatum singulariter honoraturos esse putant. quî sic? quod sabbatum quoq; sponsa vocetur; prout superius indicatum est. Ante omnia, scribunt isti spõsum quemlibet meminisse debere, ne quẽ nõ circumcisum, hoc est, Christianum ad nuptias inuitet. Rex enim Salomon in Prouerbiis, *Cor*, inquit, *cognoscit amaritudinem animæ suæ, & in lætitia eius non miscebitur alienus.* Hæc textus illius corruptio est, qui non corruptus, longe aliud quam hoc, præ se fert.

Prouerb. 14. 10.

Scribunt iidem præterea, quod angeli boni videntes, extraneos, id est, Christianos, ipsorum nuptiis interesse, mox inde discedant; venientesque mali damnum dent, rixas discordiasque suscitent, casus graues, quibus collum pedesq; frangantur, homicidia deniq; causari non cessent. Hinc ergo videre est, quam libẽter Christianos interdum nuptiis ipsorum interesse patiantur.

Quando alii aliis propinant, tum *Lechaiim tobhim*, ad bonam vitam, hoc est, hausturus hic ad sanitatem tuam tibi prosit, aiunt. Si verò cupiam non benevelint, vti Christianis, per verba præce-

den-

dentia intelligunt *kelalah*, hoc est, imprecationem. Hæc enim vox vna secundum computationem Cabalisticam, si numerum spectes, tantundem facit, quantum verba superiora duo: innuere volentes, cupere se vt bibens, mortem è poculo bibat. Benedictiones hæ, aliæque complures, quibus Christianos prosequuntur Iudæi, machinationes quoque clandestinæ eorundem contra eosdem non paucæ, per nos aliâs Deo volente manifestabuntur.

## CAP. XXIX.

### *De repudio repudiive libello Iudæis vsitato.*

ITa sanè est, quod Iudæi super repudio indulgentiam quandam per Mosen nacti sint. Ab initio enim sic se res hæc non habuit, neque sic ordinatum fuit à Deo; sed ob duritiem cordis illorum ipsis per Mosem concessum est diuortium, turpitudinis maioris euitandæ causa: prout Christus in fœdere nouo clare significauit. In *Talmudo* verò de repudio ipsorum, quo nunc vtuntur, tractatum magnum conscripserunt; super quo *Rabbini* alii, commenta nec non interpretamenta multa variaq; fecerunt arguti ssima: causasq; multas, ob quas coniugium quodpiâ dissolui possit, excogitarunt. Ad causas io- *Matth. 5. & 19.* *Gittin.*

pudii quod attinet, res apud Iudæos seculi præsentis eodem plane modo se habet; quo tempore Christi se habuit. Facilè nimirum maritus, vt ab vxore separetur, occasionem nanciscitur, quod vt canis cædatur, facile baculus inueniatur.

Libellum repudii modo singulari scriptum esse oportet. Et lineis quidem duodecim plures paucioresve non habebit. Hic mulieri in præsentia testium trium fide dignorum tradendus est, per testes eosdem & subscriptus & obsignatus. Dum maritus libellum hunc vxori porrigit; En tibi, mulier, libellum repudii tui: hunc à me capito, per hunc à me repudiata alii viro permissa esto: expresse dicere tenetur. Libellus repudii communiter hunc scriptus est in modum:

Die secundo septimanæ, vigesimo octauo mensis N. anno post mundum conditum 5363. prout nos hîc Moguntiæ, quæ vrbs est ad Rhenum sita, numerare solemus, ego Isaacus cognomento Eckendorfius, filius *Rabbi* Abrahami, sacerdotis, qui nunc in vrbe Moguntinensi ad Rhenum sita rerum mearum sedem fixam habens, habito; voluntate mea liberrima, minimeque coacta te *Saram*, cognomento *Trummerle* nominatam, filiam *Rabbi Leuis* sacerdotis, quæ huc vsque vxor mea fuisti, manumittere, deserere, à me repudiare decreui. Nunc autem dese-

dẽsero, manumitto, & eiicio te à me, vt tua ipsius sis, & secundum voluntatem tuam liberam, beneplacitumque tuum abire possis quocunque velis, illudque tibi ex hoc tempore presente in æternum nemo prohibebit. Ac ita quidem dimissa es, vt viro cuiuis alii cuicunque velis, nubere possis.

En tibi secundum mandatum Mosis & Israëlis repudii libellum. Repudium siue diuortium tale in loco sanè qualicunque non fit. Eligunt enim isti locum quẽdam celebrem & notum, qui ad flumen aliquod itidem bene notum situs sit: ad quem *Rabbini* quidam præcipui scripto vocantur, si iam tum ibidẽm alii nulli morentur. Hi rem totam ad vmbilicum perducunt. Super hac repudiatione carnali Iudæi valde solliciti sunt. Libros item multos, eosdemque vastos super ea conscripserunt: repudiationem verò spiritualem, per quam à Deo separati sunt, & ob quam prophetæ omnes vociferati sunt, præ duritie cordis ipsorum considerare non possunt. Manent igitur à Deo diuulsi, perque mundum, quemadmodum promeriti fuere, vagantur vniuersum.

## CAP. XXX.

### *Quomodo mulier Iudæa à mariti eius mortui fratre separare se soleat.*

Deut 25. 5.6.7.8. 9.10.

LIbro Mosis quinto legitur, quod frater nondum coniugatus fratris eius sine liberis mortui viduam relictam, in vxorem acceptare, fratrique semen seu liberos, vt prosapia nomenque eius conseruetur, & ne bona in familiam perueniant extraneam, suscitare debeat. Quem eam in vxorem ducere nolentem, illa apud seniores & Senatores accusans, ei calceum vnum de pede eius detrahit, vtpote qui ius in hæreditatem fratris intrandi perdiderit, & in faciem eius expuens: Sic, ait, agetur cum eo, qui fratris sui viduam

Ebhen haezer. nū. 169.

ædificare non volet, &c. Successione temporis per Rabbinos ordinatum est, quod nemo, idque maioris honoris causa, fratris demortui glorem sine viduam, in vxorem ducere, sed vt ab ea ducenda liberaretur, potius sibi calceum per eam detrahi permittere deberet; quæ repudii ratio *chaliitza* per *Rabbinos* eosdem dicta est.

Hoc autem repudii genus hunc fit in modum. Vidua testes non domesticos quinque conuocat, cum quibus coram *Rabbi* supremo comparitura leuitum vo-

cat-

eat eôdem. Quó cum peruenerunt, tum *Rabbi* mulierem, num tres menses prę-terierint, ex quo maritus eius mortuus fuerit: an maritus eius vita functus fratrem reliquerit non coniugatum: an iste qui præsens ibi sit, frater mariti germanus sit, ex vno patre cum illo natus: cuius ætatis ambo illi sint: an ad liberos procreandos idoneos se putent, an semen aut hæredem mortuo, sibi vero superstitibus suscitare possint, rogat.

Postremo quærit, è muliere vidua num ieiuna sit adhuc, nec ne. Etenim si quid cibi prius assumpsisset, leuiro in faciem expuere licitè non posset. Deinde leuiro quærit, num mulier præsens fratris eius vita functi coniugem se gesserit: num eam ducere, vel econtra per *chalitza*, id est, calcei de calcaneo detractionem se ab ea separaturus sit.

Qui si se nolle eam ducere affirmat, tunc ei calceus, quoad auriculas, corrigiolas, circulos, singulari modo factus, affertur. Hunc pedi dextero nudo induens, ad parietem quendam se statuit; tandem mulier accedens, Hic meus, inquit, leuir fratri eius nomen suscitare nō vult; ea de causa leuir meus in posterum non appellabitur.

Hinc se terram versus inclinans manu dextera calceum illius soluit; eumque

de pede eius detrahens, in faciem eius expuit; & hoc sanè tanta vi, vt testes isti quinque sputum videre possint: Et, Sic, ait, agetur cum quouis, domum fratris eius ædificare non volente. Tunc & iudices & corona circumstans vniuersa; *chalutz hannahal*, quod est, calceus detractus est, exclamant. Eoque modo separati sunt isti duo sic, vt vterque res suas agere possit. Hîc inter Rabbinos quæstio grauis emergit; quomodo mulier eiusmodi, si manum dexteram non habeat, calceum talem soluere possit, indagantes.

Et nonnulli quidem permiserunt, vt in tali casu dentibus ad solutionem illam vteretur: nonnullis vero aliud est visum. Iam, si leuir mulieris eiusmodi discalceationis ignominiam ferre non vult, illa verò alii cuidam nupturit; tum sæpe accidere solet, vt hæc ei summam pecuniæ non paruam soluere teneatur, vt ab eo libera esse possit. Quod si leuir in ciuitate alia habiter, tum fratria leuirum illum sequi cogitur, eumque de coniugio cum ipsa contrahendo conuenire. Matth. 22. E tali verò ducendarum fratriarum consuetudine Pharisæi è Christo quæsiuerunt, cum septem fratrum mulierem vnam alii post alios duxissent, cuiusnam è septem illis in vita futura coniunx fore putaretur. Ex quo deinde videre etiam est, quod adhuc tempore Christi fratres;

fra-

fratrias ipsorum in vxores ducere consueuerint.

## Cap. XXXI.

### *De immundicie mulierum Iudæarum, deque modo, quo sese in eadem gerere consuêrint.*

MVlieri immundæ in scholam intrare, orare, nomen Dei nominare, librum quēdam sacrum attrectare non licet: prout scriptum est: *Nullam rē sacram tanget, & ad sanctuarium non veniet, donec completi fuerint dies purificationis suæ.* Rabbini tamen aliqui idipsum permiserunt. Qui verò sanctissimi omnium videri volunt, ii scribunt, quod mulier, quæcunq; horum admonita, ab illis sese abstinuerit, diutius victura sit. Quamprimum impuritatis eius certior facta est, mox à marito eius per spatium dierum septem separat se; eum attingere, cum eo super scamno vno sedere, è patina vna, super mantili vno comedere, è poculo vno bibere, è regione eius consistere, eique in faciem loqui non audet. Quando alter alteri dare quidpiam vult, id traiiciendò facere non solent, sed vel mensæ vel scamno imponunt, vt altero longius à mensa scamnove digresso, alter id ablatum veniat. Leuit. 12. 4.

Quando vir intempestiuè cum vxore cõcumbit, ex eo leprosi nascuntur infantes. Tálẽ viri cum vxore concubitum isti causarum præcipuarum esse vnam, cur inter Christianos leprosi tam multi sint, affirmãt: multa & venenosa & acerba circa punctum hunc contra Christianos in vulgus etiam scribendo spargentes. quæ tamen ego reticebo. Quando mulier Iudæa dies im puritatis eiꝰ septẽ numerauit, totidem puritatis numerare pergit. Post quod tẽpus sese purissimã inuentã vestib. albis amicit, fœminã aliam ad se assumit, seq; in aqua frigida totã adeò nudã, vt ne interula quidẽ circũdata sit, lauando purgatum vadit. Tempore hyberno quibusdam in locis aquam calidam in cisternam lotoriam infundere solent. In locis econtra quibusdam tam hyeme quàm æstate in aqua frigida se lauare consueuerunt. In aquam vero sese prorsus immergere, idq; adeò, vt pilus capitis ne vnicus quidẽ extra aquã fluitet, tenentur. Interim dũ sese immergũt, & os & oculos totaliter claudere ipsis permissum non est, vt aqua & in os & in oculos penetrare possit. Digitos etiam distẽdere, incuruare se, ne mammæ corpori adhærescant, capillos pectendo bene seperare & explicare, annulum nullum in digito reseruare permittũtur, ne scilicet locus vllus in corpore vniuerso sit, quin ad eum aqua perueniat. Quæ-

dam

dam die lotionis earum tantisper dum lauerint, iciunant: quædam carnes, ne quicquam inter dentes resideat, quod impediat, quo minus ad eos aqua perueniat, non gustant. Quod si qua super vulnere portet emplastrum, id ei istinc amouendum est. Vngues abscissos esse oportet. Fœmina eam in aquam dum mergitur, attingere nulla præsumere audeat; quantumuis vel lipothymia laboraret, nisi si qua manus purè lotas ante quã attingere eam tentet, habere se nõrit. Quando post lotionem ipsam quid adhuc inter dentes hærens animaduertit, denuo lauare se tenetur. Multum hac dere scribendum esset, si secreta mulierum Iudaicarum detegere fas esset vniuersa. Iudæi ipsimet libellum quempiam Germanicum literis Hebræis de moribus mulierum scripserunt, eumque fœminarum libellum nuncuparunt. Quĩ poteſt, legat. Apud Iudæos Mœnofrancofurtenses eum inueniri, dubitandum non est.

## Cap. XXXII.

### *De mendicitate & inopia Iudæorum.*

VVlgo quidem dici cõsuêuit, quod Iudæi nemini suorum mendicare permittant. Experientia verò ipsa conuincit, quod pauperes Iudæi per diuites quam-

pessimè tractentur. Sub noctem diei Veneris singulorumque festiuorum dierum pauperes in domos ditiorum ingredientes mendicãt, vt sabbatino, feriatoue siue festiuo die, quod illiusce cuiusq; ritè colendi gratia mandant, mendicando comportent. Quod si certus aliquis sit, qui paupertate singulari quadam vexetur, huic *Rabbini* eius, notitiam eius habẽtes, chartam mendicatoriam communicare solent. In hac inopiam eius narrantes, probum esse, fidem Iudaicam strenue defendere, aliaque similia dẽ eo testantur. Chartam vel epistolam hanc isti *kibbutz*, quasi collectionis epistolam; mendicum autem ipsum, *Rabbzan*, quasi collectorem dicas, appellant. Hac *instructus* epistola per regionem vagatur vniuersam, Iudæos visens omnes in quotquot incidere potest, stipemq; petens ab iisdem. Quod si quo venit, vbi Iudęi multi sunt, epistolam illam *Rabbi* summo; vel ei, qui domuum postẽs malleolo tundẽs ad scholam eundum esse significat; vel *Parnasim*, hoc est, senatoribus; vel *rosch hakkehel*, siue supremo eorum, capiti synagogæ, consuli non absimili; vel *gabbohim*, mendicorum magistris; vel eleemosynarum dispensatoribus aut eleemosynas colligentibus; quales sunt isti, qui inter Christianos cum sacculo quopiam cymbalum habente, & è baculo pendente per templum palantes

æra cogunt; porrigens orat, vt sibi epistola huiusmodi apud istos eorum permissu mendicare liceat. Cum id ei permissum est, tum duobus aliis adiunctis sub synagogæ ianua stans sibi aliquid dari petit. vel Iudæi isti duo cum epistola illa domesticatim colligunt pro ipso, quātum possunt. Quando Iudæus pauper filiam habet nubilem, neque dotem ei dare potest; tum ille, pater, inquam, eius adeo pauper, cum epistola similiter tamdiu hinc inde vagatur, dum tantum colligat, vt eam elocare queat: aliàs non facile virum inuenturam. Quando Iudæi pauperes peregrinantur, & ad Iudæos alios diuertunt, apud hos plerunque per diem vnum atque alterum tam liberi sunt, vt ab illis pro sumptu nihil exigatur. Isti vero ad quos ita diuertunt præsentiam eorum, vltra biduum sese extendentem ferunt vel ægerrimè. Hinc in hypocaustis eorum, *Beiom rischon orach*, *Beiom scheni torach*, *Beiom schelischi barach* vel *sarach*, hoc est, Die primo hospes est, die secūdo onus est, Die denique tertio fugitiuus aut putidus est; peregrè venientibus ob oculos est positum.

## CAP. XXXIII.

### *De morbis Iudæorum.*

PVtant permulti Iudęos Christianis viuaciores esse, eosque morbis tam mul-

tiplicibus, quam Christianos, obnoxios non esse.

Experientia verò conuincit ipsa, quod non minus in ætate iuuenili quam Christiani populique alii moriantur. Quod.n. variolis, erysipelatib. morbo caduco, pesti, nec non morbis aliis ipsi non minus obnoxii sint, quam populi alii, nemo non videt quotidie. Et morbus quidē caducus Iudæis ipsis est *choli.hannophel.* qui morbus vt inter ipsos valde creber est, sic eorū alii eum aliis imprecari solent: *Schem*, i.e. Deus (aientes) det tibi *cholinophel*, vel *tippul*, id est, morbum caducum. Pestem vocant *hilluch*. hanc aliis alii similiter imprecantur, vt *hilluch* te corripiat, aientes.

Tempore pestis grassantis characteres inusitatos, nominaque prorsus admirabilia ad domos, cameras, cubicula, hypocausta, adscribentes, ea angelorum sanctorum, pesti præpositorum nomenclaturas esse dicunt. Ego ipse vidi aliquando domibus istorum literis magnis adscriptū Adiridon, Bediridon, & ita deinceps, vt *Diridon* istud per alphabetum totum ductum, præsentissimum contra pestem remedium esse putaretur. Lepra quidem inter ipsos adeo frequens non est, quam inter Christianos est; tum, quod illorum cum Christianis collatorū perpauci sint; tum, quod in potu, cibo aliisque rebus, è quibus morbus hic existere possit, temperan-

perantiùs Christianis se gerant. Nam, quod ad cibos attinet, quantum fieri potest, legem Mosis sequi conantur. In nullo cibi genere tam obstinate abstinentes sunt, quam in carne suilla. De hac audire neque volunt neque possunt, mortem potius, quam vt suilla vescantur, obituri. Morbo tamen hoc affecti reperiuntur inter eos aliqui nonnunquam; prout Antonius Margarita, tempore eius Pragæ quosdam leprosos inuentos esse testatur. Testamentum quoque vetus, quod plaga hæc inter eos rara non fuerit, attestatur. Isti *nega* vocantes, aliique eam aliis optantes, vt te *nega* discerpat, aiunt.

## CAP. XXXIV.

### *De pœnis quibusdam per Iudæos alios aduersus alios exerceri solitis.*

CVm Iudæi sceptro regimineque nullo iamdudum potientes, omnem super animabus corporibusque iudicandi potestatem perdiderint; illis, qui deliquere, pœnitentiam iniungunt singularē; quā eum & subire & exoluere oportet. Adulter secundū speciē adulterii cōmissi, pœnitentias diuersas agere tenetur. Tempore hyberno per dies aliquot aliquandiu in aqua riui torrentisve profluentis frigida sedere cogitur. Quod si aqua glacie obducta est, tum glacies

Liber Chasidim nū. 167. Reschit chochma pag. 22.

securi dissecatur & aperitur illeq; in aqua postea ad os vsq; tam diu sedere compellitur, vt ouum assando indurescat. Tempore æstiuo aceruo formicarum nudus insidere compellitur. Quamuis autem adeo nudus sit, vt veste nulla tegatur, nares tamen & aures ei obturantur. Tandem aqua frigida se rursus abluit. Quod si tempus, quo pœnam luit, neque frigidum, neque calidum sit; tempus ei certum quoddam ieiunandi decernitur; quo durante potestas edendi ei nulla est, nisi sero noctis ingruente. Tunc ei aquæ panisq; porrigitur pauxillum, tantisper, dum veniat tempus, quo vel in aqua gelida vel aceruo formicarum feruido sedere possit. In *Medrasch* scribunt, quod Adamus ille primus annos centum & triginta prius quam Sethum genuisset, in aqua sederit vsque ad nasi foramina, ob peccatum illud, quod de arbore vitæ edendo commisisset. Quod si supplicium leuius esse videatur, quam oporteat, tum tempore æstiuo per examen apum prædensum currere, & vt eæ ei corpus lancinent & pungant adeo, vt præ doloribus intumescat vniuersum, permittere adigitur. E quo malo quam primum cõualuit, rursum per huiusmodi examen apiarium currere tenetur; & id sæpius quidem; prout grauiter peccando idipsum iudicio ipsorum promeritus est. Si sæpenumero stuprum

vel

vel adulterium commisit, per annos multos pœnam istam continuè pati tenetur. Huiusmodi peccatori ieiunium pro supplicio imponitur interdum, tale, vt per annos tres totos & diebus & noctibus ieiunet ita, vt nullo, nisi tempore vespertino, dum cœnat, aqua & pane vescatur. Si verò velit ipse, datur ei optio, vt pro annis tribus illisce continuis ter eorundem singulo dies tres totos ieiunet; idque sic, ne temporis interea potus cibive vel tantillum capessat. prout regina quoq; Esthera in grauissima nec non extrema necessitate fecit, Iudæisque reliquis facere præcepit omnibus. Esth. 4. 16.

Quod si quis tempore non opportuno cum muliere concubuit, is dierum quadraginta totorum spatio ieiunare; & vt ei diebus singulis bis terve *malkus* verberando incutiatur, hoc est, vt ei dorsum nudum per coriacea ligacula cingulave triginta nouem verberibus percutiatur, non recusare iuberur; carnes nullas, nullum cibum calidum ei edere conceditur: vinum ei nullum, nisi die sabbatino solo, permittitur bibendum. Si quis vxorem, mēstruis pollutam, basiauerit, brachiisve complexus erit, is pœnam eandem subire tenetur.

Latro in exilium triennale relegatur, & vt se modo paulo ante dicto per singulas ciuitates, in quibus Iudęi commoran-

tur, *Rotzeach ani, Latro sum ego*, voce clara clamitâte, verberandûe exhibeat, tenetur, Carnes edere, vinum bibere ipsi permissum non est. Capillos & barbam alere, induvia vestimentaq; alia illota induere obnoxius est. Lauare se, fas ei non est; Mensibus singulis caput semel velare; brachium, quo homicidium patrauit, ad collum catena ferrea alligatum gestare, & ita inter Iudæos obeundo homicidium patratum deplorare damnatus est. Nonnullis pœna imponitur hæc, vt vbi per noctem vnam dormierunt, ibi per alteram non dormiant; sic vt eos per mundum vagari oporteat, prout Cainus per eundem vagatus est. Nonnulli loricâ ferream super cute nuda gestare coguntur. Nonnulli ante scholæ limen sese prosternere tenentur, vt quilibet super eis, pedibus eos conculcans, ingrediatur. Qui Iudæus Iudæum alium apud magistratum Christianum in iudicium vocatû accusat, vel nequitiam eius actionesq; malas euulgat; is *moser*, id est, proditor appellatur. Huic alii pœnam grauem imponentes, eum loco numeroque plane nullo deinceps habere dignantur.

## CAP. XXXV.

*De sepultura mortuorum Iudæorum, deque modo, quo reliqui viuentes ob vitâ functos lugere solent.*

Quando

QVando Iudæus aliquis ægrotat, hũc eruditi *Rabbini* diligenter visitantes solantur. id quod illi pro opere bono valdeque precioso putant æstimandum. Si quis lethaliter ægrotet, ad hunc eos, qui ipsi sanguinis propinquitate coniuncti sunt, & doctos itidem alios accersunt. Æger hic si dives sit, tum omnium primo tractatur apud eum de bonis eius temporalibus: si pauper sit, tractatu tali non est opus. Hortantur eum serio, vt in fide eorum constanter perseueret. In primis autem quærunt ex eo, an etiam Messiam venturum esse credat. Confessionem quoq; peccatorum eiꝰ in lecto mortis dicere tenetur. cuius sensus est hic: Confiteor coram te, Deus & domine mi, Deus parentum meorum, domine creaturarum omnium, quod & sanitas & mors mea in manu tua est: oro te atq; rogo, facias, vt sanitatem pristinam recuperem; meique memor, precationem meam exaudire velis, quemadmodum precationem regis Hiskiæ tum, cum graviter ægrotaret, exaudiuisti. Si verò tempus mortis meæ appropinquauit, tum mors illa mea remissio sit peccatorum meorum omniũ, quæ vel ignorãs vel petulanter sciẽs patraui, ex die illo, quo primum homo natus sum. *Fac, vt partem habeam in Paradiso nec non seculo futuro illo, quod reseruatur iustis; fac etiam vt norim viam vitæ*

*in perpetuum duratura. Satura me gaudio vultus tui præstantis per manū tuam dexteram in sempiternum. Benedictus esto Deus, qui precationem exaudis.*

Hæc postrema istorum consolatio est, quod mors temporalis & corruptæ naturæ debita, reconciliatio pro peccatis eorum omnibus esse possit, & ob mortem eandem Deus illis peccata ipsorum condonare teneatur. Quam bonam tranquillamque conscientiam consolatio talis operetur, quiuis vnus per se facile coniicere potest. Quando ex eo iam morientē anima egreditur, tum omnes, quotquot eum circumstant, tā extranei, quam sanguinis propinquitate coniuncti vestes ipsorum concerpunt: quamuis id inimavestium certa quadam parte faciant, vbi illis detrimentum non admodum magnum laceratio talis afferre potest: quippe quæ non plus, quam manum vnam lata sit. Deplorant autem lugentq; eum vita functum diebus septem; secundum exemplum Ioseph, qui & ipse diebus septem patris mortem defleuit. De vestimentorum laceratione scriptum extat: *Et scidit Iacob vestimenta sua, posuitque saccum in lumbis suis, & luxit filium suum diebus multis.* Quamprimum resolutus & mortuus est, aquas omnes ex ædibus foras in plateas effundunt; vultum eius, ne quis eum deinceps intuendi habeat facultā-

Gen. 50. 10.

Gen. 37. 34.

cultatem, tegunt. Pollicem deinde eius incuruatum in manum premunt, efficiuntque vt is incuruando sic in manum pressus, nomen *Schaddai* iuxta literas Hebræas effigiatum repræsentet. id quod Satanæ terrori tanto sit, vt cadauer attingere nō sit ausurus. Ligant autē pollicem filis. è zizis, hoc est filamentis siue plegmatibus, quæ palliolo eius oratorio adhęserunt; alias curuum non permansurum. Mortuus enim semper & manus & digitos extendere cōsueuit: eo significare volens, quod mundum derelinquat, quodque eorum, quæ in mundo sunt, nihil amplius eius sit: prout econtra infantuli nascentes manus habent occlusas; per id notantes, quod Deus illis opes huius mūdi dederit, & velut in manus eorum concluserit. De zizis autem superius est dictum. Aqua deinde lauatur calida, vt purus sit, quando eum rationem de peccatis reddere oportebit. Quo facto ouum sumentes frangunt, interioraque in vinum effundentes, vtraque inter ipsa diligenter agitando miscent, & mista capiti cadaueris illiniunt. Peracto etiam hoc, stolam ei induunt eius albam, quam die reconciliationis gestare solitus erat, tandemque sarcophago cadauer imponunt.

Quando ex ædibus eum efferunt, tum post illum testam quandam iaciunt: eo significare volentes, quod vnà cum eo tri-

stitia quæuis extra domum iecta frangi debeat. Quam primum super cœmeterium peruenerunt, tum, Benedictus, inquiunt, esto Deus, qui vos (sic enim sepultos & dudum mortuos tanquam viuos alloquuntur) cum iudicio & iustitia formauit, creauit, cibauit, sustentauit, & tandem rursus exanimauit. Ille nouit numerum vestrum omnium, vosque tempore eius iterum viuificabit. Benedictus esto Deus, qui exanimat & rursus animat. Apud sepulchrum deinde mortuum recèns elatum deponunt, idemque (sepulchrum) circumeuntes, precationē satis prolixam dicunt. Hac laudant Deum, quod sup eo iudicium rectum pronunciarit, vnde iudicium hoc ipsum *tzidduck haddin* appellant. Ludicro consummato simul hoc, accedentes alii quidam certi, funus in fossam sepulchralem demittunt, & terris adobruunt. Isti verò, qui eum sanguinis propinquitate omnium proximè attingunt, primi terram primam in sepulchrū cōiiciunt. His ita peractis retrorsus acti, magno cum vlulatu à sepulchro domum reuertuntur. Interim verò dum domum repetunt, eorum quiuis vnus ter se retrorsus inclinans, gramen è terra euellit, illudque in manibus supra caput eleuatum post tergum iacit: eo significare volens, quod mortui resurrecturi sint, quippe qui rursus è terra germinaturi sint aliquan-

quando non aliter ac gramen; quemadmodum propheta dicit; *Videbitisque & gaudebit cor vestrum, ossaque vestra tanquam herba germinabunt: & cognoscetur manus Domini.* Alii dicunt, quod homo per id, se terram & puluerem esse, admoneri debeat. Ies. 66. 14.

Quando in Synagogæ siue ecclesiæ ipsorum prostibulum reuertũtur, tum manus lauantes; *Perdet* (aiũt) *mortem in sempiternum, & absterget, dominus Iehouah lachrymam, ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet ab vniuersa terra, quia Iehouah loquutus est.* Hoc facto in Synagogam ingrediuntur, sessum eunt, mox hinc inde saltitant, locumq; sedendi vel septies immutãt: genꝰ precationis quod isti *kaddisch* appellitant, super mortuo dicunt; sententias item consolatorias quasdam recitant; qualis est; *Sit decor Domini Dei nostri super nos.* Ies. 25. 8. Psal. 90. 17.

Qui mortuum prorsus elugent, siue infantes eius sint; siue ii, quibus illum consanguinitate attingunt, pedibus nudis humi spatio dierum septem sedere coguntur. Carnes non edunt, vinum non bibunt.

Diebus tamen sabbatinis, festiuis item aliis id ipsis permissum est, in sabbati feriarumque (si diis placet) honorem. Per dies triginta tres totos balneum non intrant. Tõderi se nõ faciũt. A quis oleisve bene o-

lentibus se non imbuunt. Vngues non decurtantes crescere sinunt, &c. Vir, qui mœrore ob mortuum defungitur, cum viris; fœmina, cum fœminis cibum capere obstricta est. Ociantur, nihilque rerum tractant, more miserabili lamentabilique sese gerentes. Primo sero mœrens de cibo eius proprio nō sumit quicquam. Amici, venientes ad ipsum, ciborum, quos adferunt, eum participem faciunt. In primis autem mittuntur ei oua quibus vescatur; idq; ad consolationem eius; quod vt oua rotunda globosaque sunt, ita mors rotunda, globosaque nunc ad hunc, tunc ad illum transcurrat. Super patre matreque mortuis infantes per annum mœrent integrum. Si filius per mortuum patrem relictus fuerit, is per menses vndecim totos diebus singulis precationem, quam *kaddisch* vocatam paulo superius obseruatū fuit, orare obligatus est. Scribentes enim *Chachamim* credunt, quod per precationem huiusmodi pater eius sepultus è purgatorio liberetur. *Reschaim* seu impii per spatiū mensium duodecim in purgatorio manent. Qui tamē aliis aliquantulum probiores sunt, citius aliis indidem liberantur. Hinc est, quod vulgo filii pro patribus annos vndecim precari solent; quod nemo sit, qui patrem eius pro improbo haberi velit. Quod autem per precationem talem pater liberari possit,

è Tal-

è Talmudo historiâ vel fabulâ potius aniliſſimâ (quam auctor libri, quod Brādſpiegelium vocatur, è tractatu *Calah* dicto citat) demonſtrant tali: *Rabbi Akibha* tempore quodam ſpatia ductum ſe confert. Tunc ei vir quidam faſce lignorum grauatus tam magno, quam vel aſinus vel equus nullus geſtare potuiſſet, obuiā fit. Ex hoc *Rabbi Akibha*, num homo vel ſpectrum ſit, quærit. Huic ille reſpondēs; Homo, inquit, equidem aliquando fui, iam vero mortuus diebus ſingulis onus lignorum tam graue in purgatorium, vt ibidem ipſemet cremer miſerabiliter cauſa peccatorum meorum, quæ viuens adhuc in mundo hoc patraui, baiulare cogor, vt aſino quam homini ſimilior reputari non immerito poſſim. Quem *Rabbi* vlterius interrogans, Num, inquit, filium poſt te ſuperſtitem reliquiſti? Quodnam filio coniugique tuæ nomen eſt? In qua vrbe habitant iidem? Quæ omnia cum *Rabbi* iſte ex eo cognouiſſet; ad vrbē, in qua filium eſſe dixiſſet, extempore profectus incidit in eum; quem precationem illam *kaddiſch* edocuit, imperans ei, vt eandem pro patre eius mortuo diebus ſingulis oraret; quod ita futurum eſſet, vt is è purgatorio liberaretur.

Qui filius cum precationem illam didiciſſet, proque patre liberando precatus fuiſſet; pater dicto *Rabbi* de nocte per

somnium apparuit, eique pro molestia tanta eius è purgatorio liberandi causa suscepta gratias agens, confessus est, se iam tandem aliquando è purgatorio liberatum, & in *gan eden*, quod est, in hortum Paradisiacum translatum esse. Historiam hanc *Rabbi*, mox scholis Iudæorum cunctis per epistolam notificauit; mandato simul hoc adiuncto, vt filius quiuis vnus pro patre suo mortuo precationem talem precaretur. Hinc est, quod pater aliquis Iudæus iam iam moriturus lætitia summa perfunditur, quod filium sic pro ipso oraturum superstitem relinquere se norit.

Qui filium non habet, pro hoc vita functo diebus sabbatinis feriatisque synagoga rogat vniuersa. Per fabulas huiusmodi *Rabbini* isti tam sublimiter sapientes & docti, fidem Iudaicam iuuenturi eorum instillant, vt ex instillatione tali tandem tam probi & eruditi Iudæi fiant; prout isti profecto se coram populis aliis omnibus de sapientia singulari sanctitateque non vulgari iactare consueuerunt.

Lumen quoque succensum, vt in honorem animæ vitâ functi per dies septem ardeat, procurant. Animamque mortui cuiusq; ad locum illum vbi quisque mortuus est, reuerti solita, super corpore quod amisit, mœret.

Quod

Quod autem aquam è domibus foras effundunt, hoc ideo faciũt, vt ibi quẽpiam mortuum esse prætereuntes edoceantur. Alii dicunt, quod in memoriam prophetissæ *Miriam* fiat; de qua scriptum sit: *Peruenerunt autem filii Israel vniuersa congregatio in desertum Sin mense primo, & remansit populus in Cades: vbi mortua est Miriam, & sepulta fuit ibi. Quumque non esset aqua congregationi, conuenerunt aduersus Moseh & Aharon.* Num. 20. 1. & 2. Domini Talmudistici tam sublimiter docti fieri dicunt ob hoc, quod angelus mortis, qui hominem vita priuauit, cultrum vel ensem eius in aqua mox abluens, eam venenet. Scribunt enim in Talmudo, quod Satan aut mortis angelus ad caput lecti se sistens, gladium euaginatum in manu teneat; de quo gladio guttæ fellis tres dependeant: quodque, quamprimum æger gladium istum conspicatus sit, perterrefactus os aperiat: quo facto guttæ illæ omnes in os eius illabantur, deque earum vna mox moriatur; de altera fuluus & pallidus euadat; de tertia denique putrefiat. Tractatu Abhoda Zara cap. 1.

Simulatque vir æger iste mortuus est, angelus mox ad aquas eas accurrens, gladium in eis abluit: quæ inde veneno infectæ effundendæ sint.

Fundamentum rursus & hoc fidei Iudaicæ quam

daicæque optimum est, scilicet. Antonius autem Margarita in tractatu de tabernaculis aut vmbraculis, scribere pergit; quod antiquitus Iudæi probi isti Deum rogauerint, ne permitteret amplius, vt eis super lecto morituris angelus mortis modo tã formidabili visibilis appareret, idque à Deo obtinuerint: quod iidem similiter eidem per nomina sancta & adiurato & arctissimè ligato oculum effoderint sinistrum, &c. Scribunt itidem in Talmudo, quemlibet oportere meminisse, vita functos honore maximo prosequendos esse: quod omnia, quæcunque fiant in mundo hoc, isti norint in altero. Scribunt itidem, quod anima non statim in cælum vnde venerit, reuertatur: sed quod mensibus duodecim per mundum hunc vagetur, redeat in sepulchrum, multa interim in purgatorio patiatur; post menses autem duodecim decursos primum in cælum remeet, ibique tum tandem requiescat. Cum in libri *Schebhet Iehudah* vocati disputatione quadam inter Christianum & Iudæum instituta, quæritur, quonam modo fiat, quod mortui sciant omnia, quæcunque in terra cõtingant; tum respondetur, quod anima non veniat in cælum prius, quam corpus humatum, puluis denuo factum fuerit; sed quod maneat tantisper in terra, ideoque quidnam rerum geratur ibidem, ne-

scire

scire non possit. Quod autem anima non statim sursum in cælum proficiscatur, ipsum ex Ecclesiaste Salomonis ostenditur, apud quē scriptū sit ita: *Et reuertatur puluis in terram, quemadmodum erat: & spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit illum.* Hîc *puluis*, inquiunt, est corpus, quod necessario redit in terrā, in qua prius fuit: *spiritus* autem anima est, rediens ad Deum, qui dedit eum. Hîc, inquiunt præterea, stat, quod corpus prius puluerem terramque fieri oporteat, quo facto, spiritus ad Deum reuertatur. quod si ita non esset, Salomon sine dubio mox dicturus fuisset Spiritum ad Deum redire oportet, corpus autem, &c. Eccles. 12.

*Elias* Grammaticus ille præclarus in Dictionario suo, *Tischbi* inscripto vocem *chabat* exponens, scriptum reliquit, *Rabbinorum* quoque suorum opinionem esse, quod postea, quam Iudæus quispiam ex hoc mundo discessit & humatus est, veniens angelus mortis super sepulchrum sepulti sessum eat; eodemque tempore anima eiusdem reuertatur in corpus, & erigat id ipsum. quodque tunc angelus iste mortis ferream sumens catenam, dimidia ex parte frigidam, dimidia ex parte calidam, bis corpus siue cadauer percutiat eâdem; quodque percussione quidem primâ peractâ membrorum corporis omnium alia ab aliis disiecta dila-

bantur; percussione vero secunda ossa omnia dispergantur; percussione denique tertia corollarii loco facta corpus totum in puluerem cineremq; conuertatur; venientesque deinceps angeli boni ossa rursum collecta sepeliant. Pœnam hanc Rabbini *chibbut hakkebher* vocitantes, de ea non modo scribunt; sed eam pro certissima quoq; credunt; in libris eorũ precatoriis precantes; vt eos Deus contra pœnam hãc præseruet, & *chibbut hakkebher* illud ab eis auertat; quemadmodum videre est in precatione, quam isti inter precationes istas, quas in die reconciliationis orare solent, interiectam, *Benschen* appellitant.

Num. 32. Nunc in libro *Chasidim* quoque legitur, quod quisquis eleemosynas multas dat, correptionem & modestiam amat, libenter & è corde toto bene agens peregrinos cibat, animo attento orat; quantumuis extra terram Canaanem commoretur, percussionem tamen sepulchri visurus experturusque non sit; & quod, vt aduersus *chibbut hakkebher* istud præseruetur, certo futurum sit.

Ex hoc quoque perspicuum fit, quod ii, qui in terra Canaane vitam cum morte commutent, aduersus percussionem hanc liberi tutiq; sint: cæteri verò, quotquot extra terram illam diem ipsorum obeant, pœnæ huic subiecti sint omnes.

Huc

Huc quoque referendum est, eos, qui in terris peregrinis moriuntur, per occultas secretasque cauernulas & spelunculas terræ permeare; vel sese tantisper, dum in terram perueniant promissam, alias è morte non resurrecturos, volutare solere. id quod & in primo libri huius capitulo nec non alibi quoque per nos annotatum meminimus.

## CAP. XXXVI.

### *De Messia Iudæorum ad eos aduenturo.*

QVod Iudæis Messias aliquis promissus sit; id ipsimet ore vno fatentur omnes; hinc in precibus eorum quotidianis vt cito duranteque adhuc vita ipsorum venire velit, orantes. Qualis autem futurus, & quando venturus sit, hoc verò est, quod apud eos in dubium vocatur haud paruum.

Generaliter credunt omnes, hominem illum simplicem futurum, homines nihilominus alios omnes virtutibus omnigenis multo longeque præstaturum: vxore quoque ducta liberos post ipsum regnaturos, procreaturum. Cum verò scriptura sacrosancta de Messia modo duplici loquatur: & interdum quidem tanquam de simplice, paupere, humili,

tandem quoque morituro : interdum verò tanquam de præclaro, potente nec non exaltato sublimatoque, &c. inde factum est, vt isti Messias sibi duos ; vnum quidem, quem *Messiam ben Ioseph*, Messiam filium Iosephi, pauperem scilicet ac simplicem, belli tamen gerendi & peritissimum & potentissimum : alterum verò, quem iidem *Messiam ben Dauid*, Messiam filium Dauidis appellitant, Messiam illum verum & regem super Israële futurum, eosque in terra ipsorum gubernaturum, fingere vel somniare non dubitarint. Ad aduentum eius quod attinet, plane discordes sunt.

Iudæi vetusti isti, qui ante Christi natiuitatem vixerunt, à scopo non multum aberrarunt, quando Elias dixit, mundum hunc sex annorum millib. duraturũ; quorum duo millia futura essent *tohu*, vacua & inania, hoc est, sine lege Dei; duo altera millia *thorah*, sub lege; tertia denique duo millia *ieme Maschiach*, sub Messia.

Sperabant itaque quod post quatuor à condito mundo annorum millia Messias ille venturus esset: qua in re per eos à scopo nõ multum aberratum fuit, vt dictum est. Etenim secũdum cõmunem Christianorum numerationem natus est Christus; rectus ille verusque Messias anno 3963. at secundum cõmunem Iudæorum cõputatio-

tionem anno 3761. vt hic eos à nobis spatio annorum 202. discrepare perspicuum sit. Quoniam verò Christus non ita, prout alius quispiam potestate magna præditus, spectabilisque rex, quales Dauid & Salomon fuerunt, aduenit ad eos ex Herodis extranei regis istius tyrannide, & Romanorum violentia liberandos; neque cum sceptro ferreo, ad hostes ipsorum omnes hoc ipso comminuendos & perimendos; sed cum sceptro duntaxat spirituali oris regimen super illos exorsus est; ea de causa illum pro Messia vero suscipere noluerunt. quamuis illum nonnulli eorum & agnouerint & susceperint, & circa tempus illud ipsum verustissimi nec non probissimi quique Iudæi aduentum eius quotidie præstolati fuerint: quemadmodum Simeonem quendam, consolationem Israelis, quæ profecto Christus est, expectasse: Annamque prophetissam annosam quãdam de Christo ad omnes, qui liberationem Hierosolymæ expectarint, verba feciisse narratur. Et hoc est, quod Apostolus Paulus Romanis scribens affirmat, quod quamuis Iudæi erga Christum sese præstiterint ingratissimos: quidam tamen ex illis adhærentes Christo, secundum electionem gratuitã, quâ Christum verum illum Messiam & mundi redemptorem amplexati sint, seruati fuerint. Eo tamen non obstante, quoniam Iudæi

Luc. 2. 25.

Ibid. v. 38.

Rom. 11. 5.

regiam potestatem, dignitatemque verè sacerdotalem & honorem perdiderant omnem, vrbs Hierosolyma vastata, tẽplumeius sanctum combustum erat; ipsis tempus Messiæ venturi præteriuisse, visum est. Hinc anno post templi destructionem quinquagesimo secundo factum est, vt Iudæus quidam & superbus & animo magno præditus pro Messia vero se venditans, vaticinium Bileamicum hoc: *Video illum, sed non modò; intueor illum, sed non de prope: procedet stella ex Iaacob, & surget sceptrum ex Israel, & confodiet angulos Moab, & destruet omnes filios Seir. Et erit Edom possessa, & erit possessa Seir ab inimicis suis, & Israel faciet virtutem:* de se interpretari veritus non sit. Alii vaticinium hoc tum quoque temporis de regno Christianorum recenter inchoato acceperunt. Quin hodie quoque adhuc apud se statuunt, Messiam aduenturum, & ea, quæ Bileamus prædixit, opere ipso completurum. Quod autem Iudæus iste pro Messia se venditaret, id verò nuncium fuit eis optatissimum; cogitantibus nimirum fore, vt Romanorum, qui paulo ante & vrbem & templum eorum destruxerant, victores euaderent. Nominabat iste se se iuxta vaticinium hoc Bileamicũ *ben cochab*, id est, filium stellæ. Assentiebatur illi ab initio *Rabbi Akibha* præcellenter eruditus, qui vicies quater mille-

Num. 24. 17. 18.

discí-

discipulos sub se habuit, manifesteque super eo, *Haienno*, dicens, *Malka Meschicha*, hoc est, Hic scilicet est rex ille Messias, vociferabatur. Qui ita se gerens effecit, vt multitudo populi magna ei se adiungeret, vnde sedem quoque regiam in vrbe Bittera locauit. Cum verò paulo post Adrianus Imperator Romanorum Messiam hunc per annos tres & dimidium in vrbe eius obsedisset, eandemque in potestatem redegisset, Messiam cepisset, captum necauisset, vnaque cum stella hac bella plura quam quadragies centena Iudæorum millia interemisset, miserabiliterque trucidauisset: tum verò isti, qui è strage tanta reliqui facti erant, à stella hac se turpiter seductos fuisse perspiciebant, Messiamque falsum istum è tempore illo ad diem vsque hodiernum *Bar cozabh* vel *cuzibha*, hoc est, filium mendacii, mendacem nothumque Messiam vocitarunt. Post eum tamen alii adhuc multi pro Messia se venditarunt, prout in libro *Schebbet Iehudah* legere est.

Id autem totum sic euenit, vt Iudæi in conscientiis ipsorum conuicti, tempus Messiæ venturi iam tum decursum fuisse, fateri, nollent vellent, cogerentur.

Itaq; cum Christum Messiam verum illum contempsissent, suscipereque recusa-

uissent, Messiasq; verus nullus alius compareret, traditionem illam Eliæ superius commemoratam, quod nempe Messias post annos quater mille venturus esset, falsificarunt; appendēdo ei, quod ob peccata ipsorum tempus dilatum esset, Messiasque eandem ob causam venire noluisset. Cumque deinceps Messias nullus ratione vlla veniret, istique terminum aduentus eius nullū amplius attingere possent; tandem aliquando illum, qui tempus certum metamve certam, quibus venturus esse videretur, poneret, anathemate percussere; *Tippach ruchan (atzman) schel mechasschebhe kitzin*, quod est, præ tumore rumpatur spiritus eorum (corpus eorum) qui tempus ad vnguem computant, tēpus, inquam, illud, quo Messias expresse venturus sit, aientes. Hoc etiam non cōsiderato, sed in postremis habito, multi eorum ob prophetarum de Messiæ aduentu vaticinia, in anima conscientiaque ipsorum confiteri coacti fuerunt, quod tempus aduentus illius iam tum præteriisset: ideoque natum quidem illum, sed ob peccata vitamque ipsorum impœnitentem nondum patefactum fuisse, scripserunt. Et hoc sanè hac tempestate nostra pars Iudæorum maxima sic habere se credit. Hinc scribit *Rabbi Salomon Iarchi*, quod natu maiores existimauerint, natum esse illum die illo, quo Hierosolyma

Sanhedrin cap. 11. pag. 97.

postre-

postremo omnium vastata est. Vbi verò tam diu latitando vixerit, incertum esse. Putant eorum nonnulli, quod in paradiso ad pilum mulieris alligatus iaceat; in eam sententiam verba Cantici canticorum Salomonis; *Caput tuum super te veluti coccinum, & coma capitis tui sicut purpura, Rex ligatus in tignis:* adducere, & per regem, Messiam; per tigna, paradisum accipere non dubitantes. Cāt. 7. 5.

Ad expositionem hāc *Rabbinorum* priscorum respicit & *Rabbi Salomon* hic cōmemoratus. Talmudistæ scribunt, quod Romæ sub porta inter ægros lepraq; infectos sedeat; ad caput Esaię prophetę quinquagesimum tertium, vbi scriptum legitur, quod omniū abiectissimus sit, & mortalium indignissimus, dolorum & morborum pleniſſimus, respicientes. Alii mendacia fabulamentaque confingunt alia. Sanhedrin cap. 11. p. 98. Esaiæ 53. 3.

Esto verò, sint hæc omnia prout volūt: credunt tamen, quod venturus sit. Prius verò quam veniat, miracula decem valde notabilia contingent; per quæ quiuis vnus admonebitur & excitabitur, vt aduētus eius rationem curamque habeat accuratam: quodque non tam simpliciter clandestineque venturus sit, quam venerit Christus, per eadem cogitandum esse moneatur. Ego vero miracula illa decem narrabo, & id quidem faciam non a-

liter ac in libello quodam paruulo, *Abkas rochel* vocato descripta posteritati Rabbini reliquerunt ipsi.

Miraculum primum est. Deus suscitabit producetque reges tres, qui fidē suam ipsorum prodentes ab ea deficient: sic interim coram hominibus vitam agentes, quasi Deo vero genuinoq; seruiant: cum nihil minus ac hoc facturi sint; homines nimirum seducturi, tamque perplexos eos reddituri, vt à Deo fidequesua ipsorum desciscant, adeò, vt etiam multi peccatorum Israelidarum de redemptione ipsorum desperaturi sint, Deum abnegaturi & metum eius derelicturi. De ta-

Esa.59.14. 15. libus dicta sunt hæc: *Propterea retrocessit nobis iudicium, & iustitia à longe stetit, quia impegit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Veritas, inquam, defecit.* Quid? Omnes quicunque veritatis amantes erunt, turmatim aufugient, seque fugientes in foraminibus & rimulis terrenis abscondent, eosque heroes fortes & tyranni persequentes trucidabunt. Tum temporis in Israele rex nullus erit; quemadmodum scriptum est:

Hos.3.4. *Diebus multis manebunt filii Israel absque Rege & absque Principe, & sine vllo sacrificio, & sine statua, & sine ephod & theraphim.* Nullus amplius erit *rosch ieschibbah*, id est, caput synagogæ; pastores fidi, qui populum in lege Dei pascant, nulli,

li; misericordes & sancti, nulli; famosi præcellentesque viri nulli superabunt. Cæli clausi erunt, quo fiet, vt victus hominibus nullus suppetiturus sit. Reges isti tres decreta tam multiplicia, grauia, tyrannica, iudiciaque super illis pronunciabunt, vt numerus hominum valde paruus futurus sit, quippe qui potius mori, quàm viuentes Deum abnegare velint. Reges tamen tales ordinatione dispositioneque diuina menses tantummodo tres regnabunt.

Regnantes autem populis tributum duplo, quam pendere soliti fuerint, maius imponẽt, vt scil. is qui prius dederit octo, post octuaginta dare teneatur; qui prius decem tribuere solitus sit, post centum tribuat; qui nihil, quod dare possit, habeat, ille capitis amissione, quod ab eo exactum obtineri nequit, exoluat, &c. oneraque populo Israelitico quanto diutius superstites erunt, tyrannidemque exerere poterunt, tanto maiora iniungent. Ab extremitate quoque terræ venient homines quidam nigri nec non abominabiles, quos si quis aspexerit, is præ pauore nimio morti succumbet. Etenim quiuis eorum capita duo, oculos septem, ad instar flammæ igneæ scintillãtes habebit. Isti tam agiliter, tam facilè, tam celeriter current, quam cerui vlli currere possint. Tum vociferaturus

Israel, Væ nobis, (aiet) væ nobis paruuli eius perterrefacti, Ah væ, ah væ, quid faciemus, pater chare dictitando clamabunt. Tum pater, Liberatio (dicet) Israelis iam valde prope, adeoque præ foribus est.

Miraculum secundum est. Deus faciet, vt calor maximus à sole in mundum spargatur; vnde febres multiplices, eędemque ardentes, pestilentiæ, morbi alii existent; per quos morbos diebus singulis millies mille gentilium populorumque mundi morientur. Hinc gentiles tandem lachrimaturi amarulenteque clamaturi, & dicturi sunt: Ah & væ, quô vertemus nos? quô abdemus nos? Abeunteſq; festinanter sepulchra sibi fodient ipsi, & apud eadem sibi mortem optabunt, seque prę nimia siti doloreque in cauernas terræ fossasque quales quales abdent. Iustis autem & probis in Israele calor aut æstus ille tantus medicina quædam salubris erit, quemadmodum scriptum est: *Orietur autem vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas* erit *in alis eius: egredieminique & multiplicabimini sicut vituli saginarii.* vbi sol iustitiæ Iudæis sol ille cælestis, vulgo planeta dictus, est. De hoc quoq; Bileamus impius iste vaticinatus est, *Væ*, inquiens, *quis viuet, quum* (Deus) *statuerit istud?*

Mal. 4. 2.

Num. 24. 23.

Miraculum tertium. Faciet Deus, vt ros sanguineus in terram decidat: quem Chri-

Christiani populique terræ aqueum amabilissimumque esse putantes, de eo bibēt omnes, & morientur omnes. Impii quoque in Israele ipso, qui de liberatione desperabunt, indidem bibentes morientur. Probis autem iustisque Iudæis, qui in vera fide Deo constanter adhærentes perseuerabunt, noxius non erit: quemadmodū scriptum est: *Intelligentes autem fulgebunt* Dan. 12. 3. *vt splendor firmamenti: & iustificantes multos, tanquam stellæ in seculum & in æternum.* Et erit mundus vniuersus diebus tribus totis sanguine refertissimus: veluti scriptum legitur: *Daboque prodigia in cælo & in* Ioel 2. 30. *terra, sanguinem, & ignem, & columnas fumi.*

Miraculum quartum. Deus iterum torem salubrem decidere faciet. De hoc bibent isti, qui mediocriter probi sunt. Qui, quod de rore priore bibissent, ægri facti fuerunt; ii bibentes de hoc, iterum conualescent. quemadmodum scriptum est: *Ero tanquam ros Israel, germinabit tan-* Hos. 14. 6 *quam lilium, & pertingent radices eius, veluti Lebanon.*

Miraculum quintum. Deus solem in tenebras conuertet adeo densas, vt spatio dierum triginta non luceat; prout literis consignatum legitur: *Solipse conuertetur* Ioel 2. 31. *in tenebras, & Luna in sanguinē, antequam veniat dies Iehouæ magnus & horribilis.* Diebus triginta decursis Deus ei splendo-

rem solitum restituet: prout scriptum est:
Esa. 24. 22. *Et congregabuntur congregatione vinctorum in carcere, claudenturque in carcere, & post multos dies visitabuntur.* De hoc Christiani valde pauefacti, pudore perfundentur, agnoscentque, quod hoc causa populi fiat Israelitici: multique fidem Iudaicam amplectentur: quemadmo-
Ioan 2. 9. dum scriptum est: *Obseruantes vanitates mendaces, misericordiam suam derelinquunt.*

Miraculum sextum. Permittet Deus, vt regnum Idumæum (nempe Romanum) per mundum imperet vniuersum. Vnus autem præ cæteris omnibus Romæ existet, mensibusq; nouem in mundum vniuersum obtinebit imperium, terras vastas magnas. Ira istius super populum exardescet Israeliticum: & ita tributum ab eo exigens magnum, calamitatem miseriamq; magnam super eum inducet. Tunc Israelitæ mirum in modum diminuentur & delebuntur; adiutoremque nullum prorsus habebunt. De tempore
Isa. 59. 16. tali vates Esaias vaticinatus est cum dixit: *Vidit quod non esset vir, & admiratus est, quod non esset qui intercederet: itaque salutem fecit ipsi brachium eius*, &c. Post menses autem nouem mittet Deus *Messiam ben Ioseph*, è filiis Iosephi oriundum, cui Nehemiæ nomen erit, filium *Hussielis*. Veniet ille cum stemmate Ephraimico,

imico, Manassæo & Beniamitico; & cum parte filiorum Gadis vna. Quamprimum id Israelitæ fama & auditione acceperint, tunc ex omnibus & vrbibus & regionibus ad eum se colligent: quemadmodum literis consignatum est: *Convertimini filii rebelles, dixit Iehouah; nam ego dominatus sum vobis: & assumam vos, vnum de ciuitate vna, & duos de familia vna, & introducam vos in Sijon.* Ierem. 3. 14.

Tum *Messias Ben Ioseph* bellum grauissimum contra regem Edomiticum vel Idumæum (id est, contra regem Papamque Romanensem) gerere exordietur: victoriaque contra istum obtenta, multitudinem exercitus eius ingentem trucidabit: quinetiam regem Edomiticum ipsummet tandem iugulabit; Imperium Romanum (*medinas Romi*) depopulando desolabit; vasaque nonnulla sancta, in ædibus Æliani pro thesauro adseruari solita, Hierosolymam reducet. Quin rex Ægyptius ipse cum Israelitis quoque pacem componet, homines omnes, qui circum Hierosolymam, Dammesecum, Escalonemq; morãtur, interemturus, cuius rei fama cũ per orbem terrarum pererebuerit vniuersum, tum timor & pauor ingens homines omnes inuadet.

Miraculum septimũ. Aiunt Romę marmor aliquod esse, imaginem virginis præ

seferens; quod manibus humanis factum non sit, sed potentiâ diuinâ tale extiterit. Ad imaginem istam sese congregabunt homines impiissimi, quotquot in mundo sunt, amoreque illius flagrantes cum illa incestè consuescent. Hinc Deus creaturam figuramve infantis in marmore eodem efformabit. E marmore isto tandem dirupto infans iste prodibit. Hic *Armillus Haraseha*, Armillus iste impius, nominabitur. Is erit iste, quem *Vmos* siue Christiani antichristum vocabunt. Longitudo latitudoque eius decem vlnarum erit. Inter oculos eius spatium palmæ transuersalis patebit. Oculi eius profundè in capite iacentes rubei erunt: capillum habebit ad instar auri fuluum: plantæ pedum eius virides erunt. Capitibus duobus deformis erit. Iste ad impium regem Romanensem veniens, se Messiam illum & Deum Romanensium esse dicet. Cui Romani mox fidem adhibentes, eum super se regem cõstituent. Eum filii Esaui omnes amabunt, ei se prorsus agglutinantes. Is ditionem totam sibi subiugabit, & ad liberos Esaui siue Christianos: Afferte mihi, dicet, legem istam, quam vobis ego dedi. Quam isti ei tunc afferent vna cum libro ipsorum precatorio, quæ ille pro confessis & veris acceptabit, se illis eam legem eumque librum dedisse, dicens: & ab illis, vt in eum credere velint,

lint, efflagitabit. Hoc facto mittet legatos quoque suos Hierosolymam ad *Nehemiam* filium *Husielis*, & ad populum Israëlis vniuersum; mandans, vt & isti legem ipsorum ei adferentes, Deum ipsum esse testentur: Cuius rei fama percepta, perterrefient mirantes vehementer. Tum *Nehemias* ad *Armillum* cum trecentis hominum millibus è tribu Ephraimitica collectis proficiscetur, librū legis secum ferens. Cumque ad *Armillum* appropinquauerit, leget isti ex eo sententiam hanc: Ego sum dominus ille Deus tuus, tu Deos alios in conspectu meo nullos habebis. Cui respondens *Armillus*, sententiam talem in lege ipsorum nequaquam extare, dicet; quare venire, eumque Deum ipsorum esse testari debeant, non aliter ac *Vmos* populive terrarum alii iam tum fecerint. *Nehemias* autem, *Husiele* prognatus, seruis eius eueſtigio præcipiet, vt captum *Armillum* ligent; surgensque cū tricies heroum armatorum millibus, ducenta millia de exercitu *Armilli* prosternet. Ob hoc *Armillus* ira tam magna exardescet, vt populum suum omnem in vallem quandam profundam collecturus sit, contra Israëlem pugnatū, & Israëlitarum numerum non exiguum è medio sublatum. Ibidem *Messias*, bonus ille *ben Ioseph*, peribit & ipse, angelique sancti eum sublatum occultatumq; cum

patriarchis aliis mundi conseruabunt. Israëlitæ verò pauore percellentur adeò magno, vt cor eorum velut aqua diffluxurum sit. *Armillus* autem non percipiet, quod *Messias* bonus ille *ben Ioseph*, filius Iosephi, mortuus sit: qui alias hominem ex eis nullum diutius in vita relicturus esset.

Tum quoque populi terrarum omnes Israëlitas è ditionibus ipsorum expellent, eisque vt inter eos amplius morentur, minimè permittent. Eritque molestia & angustia inter Iudæos tum temporis tanta, quanta ab orbe condito non fuit.

Dan. 12. 1 Tunc angelus *Michaël* prodibit, impiosque ab *Israele* segregabit, prout scriptum est: *In tempore autem illo stabit Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui; eritque tempus angustiæ, qualis non est facta ex eo tempore, quo fuit gens vsque ad tempus illud*, &c. Qui tunc reliqui facti fuerint, in desertum profugient; ibique probabit eos Deus purgabitque non aliter, quam & argentum & aurum in fornace probari solent. prout scriptum est: *Et seligam è vobis rebelles, & prauaricantes in me*, &c. Item, *Mundabuntur & dealbabuntur, & repurgabuntur multi, impie autem agent impii, nec intelligent omnes impii: sed intelligentes intelligent.* Omnesque Israelitarum reliquiæ in eremo pu-

Ezechiel. 20. 38. Dan. 12. 10.

ræ &

ræ, & sanctæ erunt, ibidem per dies quadraginta quinque mansuræ, & nihil aliud quam gramina, folia nec non herbas comesturæ: Implebiturque super illis id- Hos. 2. 14.
ipsum, quod per prophetam Hoseam pronunciatum est verbis his: *Propterea en ego seducam eam, & deducam eam in desertum, loquarque ad cor eius.* Vnde vero probabitur id, quod diebus quadraginta quin- Dan. 12.
que in eremo præstolaturæ sint? Ex hoc, 11. 12.
quod scriptum extat: *A tempore autem quo ablatum fuerit iugè sacrificium, ad ponendam abominationem stupendam*, erunt *dies mille ducenti & nonaginta. Beatus qui exspectauerit, & peruenerit vsque ad dies mille trecentos triginta & quinque.*

*Tu autem vades ad finem tuum, & requiesces, stabisque, in sorte tua in fine dierum.*

Intellige quod, vbi ad numerum præcedentem nonaginta illorum, dies quadraginta quinque additi fuerint, inde numerus postremus 1335. extaturus sit. In tempore illo morientes peribunt omnes, quotquot in *Israele* impii erunt; indigni, qui liberationem cernant. Finaliter *Armillus* etiam Ægyptum armatus inuadēs, eā in potestatem suam rediget: quēadmodum scriptum est: *Et terra Misraim non erit* Dan. 11.
*in euasionem.* Ab Ægypto verò Hierosoly- 42.
mam versus sese conuertet, vrbemque istam secundò deuastare conabitur, pro-

Ibid.45. vt scriptum extat: *Et plantabit tabernacula palatii sui inter maria, in monte inclyto sanctitatis, & veniet vsque ad summitatem eius, & non* erit *adiutor ei.*

Miraculum octauum. Surrecturus est angelus *Michaël* ille magnus, terque cornu grande inflabit, quemadmodum Iesa.27.13. ris proditum est: *Et erit, in die illa clangetur tuba magna, & venient, qui perierant in terra Assur, & expulsi fuerant in terram Ægypti, & incuruabunt se Iehoua in monte* Zach.9. *sanctitatis Ierusalaim.* Item alibi: *Domi-* 14. *nus Iehoua tubâ clanget, atque incedet cum turbinibus Austri.* Is cum primo omnium tono sufficiente nec non æquali tubam inflabit; tunc genuinus ille verusque Messias, filius Dauidis, & Elias propheta comparentes sese manifestabunt Israëlitis piis illis, qui in desertum Iuda profugerunt. Illi tunc animum recolligent. Manus eorum lassæ corroborabuntur, pedes eorum claudi virtutem recipient. Iudæi quoque cuncti per orbem terræ vniuersum, vbicunque commorabuntur, cornu hoc inflatum exaudient, Deũque populum eius misericorditer visitauisse, liberationemque plenariam tandem aliquando adduxisse confitebuntur: congregabunturque etiam illi, quotquot in Assyriam captiui fuerunt abducti. Cornu vero istud quando inflatum sonabit, timor & tremor ingens Christianos & popu-

populos mundi reliquos inuadet: à morbis etiam grauissimis corripiendos. Interea verò temporis Iudæi lumbos eorũ cingentes exurgent, vt Hierosolymam versus ingentibus magnis iterum contendãt. Tum Messias Dauidides ille, nec non vates Elias cum illo & cum probis aliis omnibus, quotquot in solitudinem Iudæ profugerunt; cum Israelitis item cunctis, qui ad Messiam illum se receperint, gaudio cum magno Hierosolymam peruenient. Quamprimum *Armillus* iste malus audiet hoc, Quandiu, inquiet, populus contemptibilis & abiectus hic ita se geret? rursusque turbam magnam exercitumq; ingentem Christianorum colligens, Hierosolymam properabit, regem illum nouũ bello petiturus. Deus autem non permittet, vt Israelitæ ex anxietate vna incidant in aliam: sed Messiam alloquens, Venito, inquiet, teque ad dexteram meam locato. Ad populum verò Israeliticum, Estote, inquiet, quieti; sedetoteq; tranquillè, auxiliumq; magnum illud, quo vobis Deus hodierno die succurret, exspectatote. Tum Deus & ignem & sulphur è cælo pluet, prout scriptum extat: *Et iudicio contendam cum eo, peste & sanguine, & imbrem inundantem, & lapides grandinis, ignem & sulphur pluere faciam super eum, & super exercitus eius, & super populos multos, qui erunt cum eo.* Tunc Ezech. 38.22.

*Armillus* ille malus cum exercitus eius vniuerſo morietur, atheique Edomitæ (hi Iudæis Chriſtiani ſunt) qui domum Dei noſtri demoliti nos è terra noſtra captiuos abduxerunt, miſerabiliter peribunt; & in tempore illo Iudæi vltionem
Obad 18. ſument ab illis, vt ſcriptum eſt: *Et erit domus Iacob vt ignis, & domus Ioſeph* velut *flamma, & domus Eſau* (hoc eſt, Chriſtianorũ, Iudæis interpretib. qui nos Chriſtianos Eſauitas, & Edomitas appellitant.) vt *ſtipula*. Hanc ſtipulam Iudæi ſuccẽdent, ne nobis Edomitis quicquam relinquatur incrematum & in cineres redactum.

Miraculum nonum. Cum *Michael* archangelus ſecunda vice tonum & fortem & longum cornu inflato ediderit, tum ſepulchra, quotquot Hieroſolymis ſunt, aperient ſe omnia, Deusque mortuos omnes reuiuificabit. *Meſſias* quoque Dauidides ille, nec nõ Elias propheta *Meſſiam*, probum illum *ben Ioſeph*, filium Ioſephi, ſub porta reſeruatum in vitam reuocabunt.

Temporis interea populus Iſraelis vniuerſus *Meſſiam ben Dauid*, hoc eſt, Meſſiam Dauididen, ad Iudæos è clade ſuperſtites, quique hinc inde inter Chriſtianos & populos alios in mundo diſperſi ſunt, ablegabunt; eis, vt & ipſi Hieroſolymam veniãt, indicatũ. Tunc reges populorum

lorum ne tantillum quidem morati Iudæos, in ditionibus ipsorum tunc adhuc habitantes, & humeris & curribus ipsorum pensilibus impositos Hierosolymam deducent. Ad Calendas Græcas id facient, opinor.

Miraculum decimum. Quando *Michael* angelus vice tertia cornu inspirans sonum edet, tum Deus illos, quicunque superriuis *Gosane, Lachlache, Chabore* denique, necnon in vrbibus Iuda degent, educet: iique sine numero sineque mensura vlla cum infantibus Mosis in Paradisum intrabunt; terræque solum & ante & post eos ignis merus, & flamma ignis mera erit, qui ignis & flamma eius Christianis aliisque populis nihil, vnde se sustentantes viuere possint, reliqui facient.

At cum tribus Israelis decem è populis aliis emigrabunt, tum columna nubis gloriæ maiestatisque diuinæ eos circumdabit, Deusque adeò ipse illis viam præibit; prout scriptum extat: *Ascendet effractor ante ipsos: frangent, & transibunt portam, & egredientur per eam, transibitque rex eorum ante eos. Iehouah autem* antea erat *in capite eorum.* Deus illis quoque fontes, ex arbore vitæ profluentes aperiet: eosque dum in itinere erunt, potabit; ne sitim tempore vllo patiantur. quemadmodum scriptum est: *Aperiam in excelsis* Mich. 2. 13. Esai. 41. 18.

*flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagnum aquarum, & terram solitudinis in scaturigines aquarum.* Item, *Non esurient, neque sitient, neque percutiet eos æstus, aut sol: quia miserator eorum diriget eos, & ad fontes aquarum deducet eos.*

Idē 49. 10.

Aduersus signa aduentus Messiæ, decem hæc; quorum pars maior eos anxietates aduersitatesque magnas perpessuros esse portendit, consolatione decupla muniti sunt.

Consolatio prima est, quod *Messias* adhuc certò venturus est; quemadmodum scriptum est; *Ecce rex tuus venit tibi*, &c.

Zach. 9.9.

Secunda est, quod eos per mundum dispersos vniuersum recollectos iterum cõgregabit, sicut scriptum est: *Reducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos de lateribus terræ: inter eos erunt cœcus & claudus, & prægnans & pariens simul: cœtus magnus reuertentur huc.* E quo discendum, quod, si quis claudus aut cœcus mortuus fuerit, eundem Deus quoque & claudum & cœcum resuscitaturus sit: quod alius quoque alium recogniturus sit. Deus autem mancos tum sanabit ita, vt claudi non aliter quam cerui tripudiaturi sint; quẽadmodum literæ sacræ testantur: *Tunc saliet, aientes, vt cervus claudus, & laudabis*

Ierem. 31.8.

Isaiæ 35. 6.

*dabit lingua muti, quia eruperunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.*

Tertia est, quod Deus mortuos resuscitaturus sit; prout scriptum est; *Multi dormientium in terræ pulueris expergiscentur, hi ad vitam æternam, & illi ad opprobrium & ad contemptum sempiternum.*

Quarta est, quod Deus templum sanctum tertium quoddam restauraturus sit, secundum formam & figuram illam, quam vates Ezechiel contemplatus est. Ezech. 41. 1. 2. 3. &c.

Quinta est, quod populus Israeliticus tum regnans mundo vniuerso imperitabit, à termino eius vno ad alium vsque, prout literæ sacræ prodiderunt: *Gentes enim & regnum quæ non seruierint tibi, peribunt: Gentes inquam vastando vastabuntur.* Iesa. 60. 12.

Mundus quinetiam totus ad Deum conuersus, iuri eius & legi subditus erit: quemadmodum scriptum est: *Tunc enim vertam ad populos labium electum, vt inuocent omnes nomen Iehoua, vt seruiant ei humero vno.* Soph. 3. 9.

Sexta est, quod Deus tempore illo deleturus & perditurus sit hostes populi eius (nempe Christianos) omnes, vltionemque magnam sumpturus ab illis: quêadmodum scriptum sit: *Et dabo vltionem meam in Edom per manum populi mei Israel, facientque in Edom iuxta furorem meum,* &c. Ezech. 25. 14.

Septima est, quod Deus morbos omnes, & plagas omnes à populo Israelitico auferet, sicut scriptum est: *Et non dicet habitator, ægrotus sum; populo qui habitat in ea, remissa est iniquitas.* Isa. 33. 24.

Octaua est, quod Deus populo Israelitico annos & tempora viuendi prolongaturus sit, adeò, vt tam diu victuri sint, quam quercus vel arbor id genus alia vivere possit, prout scriptum est: *Iuxta dies arboris erunt dies populi mei, & opus manuum suarum ad vetustatem perducent electi mei.* Esaiæ 65. 22. Item: *Non erit inde vltra infans dierum, & senex, qui non impleuerit dies suos: quoniam puer centenarius morietur, & peccator centenarius maledicetur.* Ibid. 20. hoc est, si quis annum agés centesimum moriatur, dicetur de eo, quod in infantia eius, vel quod vt paruulus infans mortuus fuerit: viuêtque, quemadmodum ab Adamo vsque ad Noæi tempora vixerunt, annos aliquot centum; prout *Aben Ezra* super locum hunc commentatus est. Vide Pefachim in Talmudo c. 6. pag. 68.

Nona est, quod se Deus Israelitis manifestabit ita, vt eum à facie ad faciem visuri sint: prout scriptum est: *Reuelabitque se gloria Iehoua, & videbit omnis caro pariter, quod os Iehoua loquutum sit.* Isa. 40. 5. Quin faciet Deus, vt Israel totus prophetizet. quemadmodum scriptum est: *Erit autem post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt* Ioel. 2. 28.

*bunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, iuuenes vestri visiones videbunt.*

Decima est, quod Deus cupiditates innatas, inclinationes & inuitationes ad malum auferet ab eis, prout scriptum est: *Daboque vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in medio vestri: & auferam cor lapideum è carne vestra, daboque vobis cor carneum*, &c. Hactenus hæc è libello *Abbkæs Rochel.* in quo quamuis summatim comprehensum sit, quidnam Iudæi de Messia credant, & quomodo eos in terram ipsorum reducturus sit; inutile tamen futurum nõ esse puto, si quibus cum solennitatibus *Messias* eos in terra ipsorum excepturus sit; & in quam magna felicitate prosperitateq; sub illo vitã acturi sint, aliquanto prolixius hîc adiungam. Ezech. 36.26.

Quando igitur *Messias* Iudæos omnes è regionibus omnibus, & à ventorum cardinibus omnibus recollegerit, & in terram Canaanem melle nec non lacte fluentem simul perduxerit; tum verò conuiuium lautum nec non opiparum apparari faciet, magna cum pompa, magnoque cum gaudio, Iudæos omnes ad id inuitaturus, amiceque exceptu-rus.

Ibi animalia omniũ maxima, aues itẽ & pisces quos Deus vnquã creauit, mactati,

vinum quoq; & precioſum & nobile, quod in paradiſo creuerit, & in cella Adami iſtic adhuc ad tempus illud adſeruatum fuerit, apponentur.

Primo omnium bos ingens ille, miræ cuiuſdam & magnitudinis & roboris in libro Iobi deſcriptus, & *behemos* appellatus prodibit. Hunc ſcribunt *Rabbini* bouem eſſe eundem, de quo legatur in Pſalmo: *Quoniam mea eſt omnis beſtia ſyluæ, & animalia, behemos*, paſcentia in *montibus mille*: hoc eſt, qui diebus ſingulis montes mille depaſcit.

Iob. 4. 10.

Pſal. 50. 10.

Quærat autem quiſpiam, quô tandem peruenerit bos ille, qui, ſi diu vixiſſet, mõtes mundi totius omnes iamdudum depaſturus fuerit. Ad quod *Rabbini* magiſtri iſti ſublimiſſimè docti reſpõſum dantes, aiunt, quod ſine intermiſſione maneat in loco ſuo ad inſtar bouis qui ſaginetur, cuiuſvis; & quod id, quodcunque die depauerit, de nocte denuo creſcat, eadem prorſus & pulchritudine & longitudine, quâ pridie præditum viruerit.

R Sal. Iarchi & Kabbhuenaki hic.

Secundo, ad conuiuium hoc idem rite læteque celebrandum capietur & cetus immanis ille *Leuiathan* (ſecundum eloquium Iudaicum *Lipiaſan* proferendus) appellatus, qui & ipſe in libro Iobi deſcriptus eſt, & in literis quoque ſacroſanctis aliis memoratur. De feris ſiue beſtiis dua-

dũabus hisce legitur traditio Iudaica in Talmudo, secundum *Rabbinorum* sublimiter eruditorum ingenium quædã pulchrè concinnata, sic habens: *Rabbi Iehuda* dicit, omne, quodcunq; Deus in mundo creauit, id masculum & fœminam creâsse: & *Leuiathanem* sine dubio sic quoque creâsse. Ne verò Leuiathan mas & fœmina naturaliter se inuicem miscerent, genusque ipsorum augerent, eorumque & magnitudine & multitudine mundum vniuersum vastarent, ideo Deum masculũm quidem castrauisse, fœmellam verò peremtam sale condiuisse pro *tzaddikim* siue iustis illis & Dei metuentib. Iudæis, vt carnes eius temporibus futuris, (hoc est, Messiæ) apponeret edendas; quemadmodum scriptum est: *In die illa visitabit Iehouah in gladio suo duro, & magno, & forti super Leuiathan serpẽtem, transeuntem* mare, *& super Leuiathan serpentem tortuosum, occidet q; cetum, qui* est *in mari.* Eodem quoque modo bouem istum immanem *Behemos* appellatum, & super montibus mille versantẽ, & masculum & fœmellam creauit: Ne verò & illi sese multiplicantes mundum vastarent ac perderent vniuersum, marem quidem Deus castrauit, fœminam verò frigidam nec non infœcundam fecit: & pro Iudæis piis recondit, vt his eam temporibus futuris apponere posset: sicuti literæ sacræ testantur; *En*

Baua Basra cap. 5. p. 74.

Iesa. 27. 1.

Iob. 40. 15.

*nunc potentia eius in lumbis eius est, & fortitudo eius in umbilico ventris eius.*

Tertio scribit *Elias Leuita* in dictionario suo *Tisbi*, se è multis & priscis & probis Rabbinis audiuisse, in conuiuio eodem hoc, auem formidabiliter immanem istam *bar iuchne* vocatam, peremptam & euisceratam affatum iri: de qua in Talmudo scriptum est, quod tempore quodam ouum è nido suo ejecerit, è cuius lapsu cedri altissimæ trecentæ & confractæ & deiectæ sint: cumque è lapsu istoouum confractum fuerit, pagos sexaginta summersos & velut alluuione inundatos de locis ipsorum consuetis aliò asportarit & planè dissiparit.

Bechoros cap. vlt. pag. 57.

Ex historia, scilicet hac, quiuis vnus facilimè perspicere poterit, quod auis hæc & pisci & boui superius nominatis magnitudine prorsus impar non sit: vnde simul etiam colligere est, quam magnum inde assum fieri possit per Messiam Iudæulis in tempore illo conuiuis eius apponendum. Atque cum auium talium plures in terra Iudæorum reperiantur, stultus equidem sit, quicunque quod de aue hac narratum nunc est, fabulosum esse suspicetur. Loco Talmudi paulò superius citato legitur de coruo quodam, qui & ipse paruus non fuerit, & à *Rabbi* quodam verace conspectus etiam sit, hûc in modum re tota eueniente: Dixit *Rab-*

Babha basra c. 5. pag. 72.

*ba*

*ba bar channah*; Tempore quodam ranam quandam conspexi, quæ tam grandis esset, quam pagus *Akra* in *Hagronia* situs. Quam magnus erat pagus iste? Tam magnus vt domorum sexaginta capax esset. Tum veniens serpens quidam ingens, deglutiebat ranam istam. Mox coruus aliquis grandissimus aduolitans & serpentem & ranam deglutiebat, auolansq; super arborem ibidem sessura sese demittebat. Cogita iam quam & magnam & robustam arborem hanc fuisse oportuerit. Ad quod respondens *Rabh Papa*, filius *Samuelis*, Nisi, inquit, egomet ipse in loco isto fuissem, arboremque istam oculis meis hisce propriis conspicatus essem, credere equidem nequiuissem. Hucusque Talmudus. Quis *Rabh* & coruum hunc mendacii arguere auderet? Cum *Kimchi* quoque bonus ille vir in psalmum quinquagesimum, explicans vocem *Zizis*, scriptum reliquerit, quod *Rabbi Iehudah* filius Simeonis affirmarit, *Ziz* autem esse tam grandem, vt, quando alas expandit, *galgal hachamma*, id est, sphæram solarem, obumbret, tenebrisque mundum vniuersum offuscet. Tempore præterea quodam certus aliquis *Rabbi* nauicula mare tranauit, auemque in mari medio stantem conspexit, altitudinis tantæ, vt aqua marina ad genua eius tantum

Ibid. in Talmudo.

modo pertingeret. Sociis ergo suis, Agite, inquit, lauemus nos hîc; quod aqua profunda non sit. Tum vox quædam è cælo delata, Vide, aiebat, *Rabbi* mi, ne facias. Anni enim iam septem sunt integri, cum viro cuidam securis super aquis his è manibus elapsa, ad fundum earum continuè deorsum labendo peruenire nondum potuit. E quo facile colligere est, quam longis pedibus auis ista fuerit, & quam grande, habita proportionis pedum ratione, corpus eius esse oportuerit. Genus hoc auium tam prægrandium sine dubio in sylua *Ela* dicta viuit: in qua & leo quidam inauditus tamque grandis, vt horrorem vel cuiuis ob magnitudinem incutiat, degere perhibetur: de quo legitur in Talmudo sic: Cum tempore quodam Princeps Romanus è *Rabbi Iehosua ben Hanania*, id est, Rabbino Iehosua filio Hananiæ, quæsiuisset, qua de causa Deus ipsorum se leoni compararet; &, an Deus ille tam fortis esset, vt leonem perimere valeret: tum respondens ei *Rabbi*, Non, inquit; leoni vulgari se comparat Deus noster, sed ei, qui in sylua *Ela* versatur. Cui Princeps Romanus, Monstra mihi, inquit, leonem istum. Tum Rabbi Deo supplicans obtinet, vt leo dictus è sylua excurrat, qui cum milliaribus quadringentis ab Imperatore adhuc abesset, tam fortiter rugiebat, vt mulieres Romanæ:

Cholin. cap. 3. pag. 59.

præ-

prægnantes abortiuerint omnes, muriq; ciuitatis collapsi fuerint. Cumque milliaribus centum propius accessisset, rugitum denuo edidit tam terribilem, vt dentes Romanis omnibus excciderint; quin & imperator ipse de solio semimortuus in terram prostratus sit. Qui *Rabbi* mirum in modum rogauit, efficeret, vt leo iste in syluam, vnde venerat, rediret: id quod ita factum est. At nos nimis longè diuertimus à cœna illa, quam Messias Iudaicus iste Iudæis eius in terra promissa apponendam curabit.

Itaque carni cum *behemos* siue bouis, tũ Leuiathanis, siue piscis obsoletę & salsæ haustus vini bonus adiungendus est: alias enim indigesta in stomacho permãsuræ. Itaque Messias in conuiuio hoc vinum hornum accumbentibus apponet, quod mox à condito mundo creuit in paradiso, & in cella vinaria Adamica ad tẽpus vsque istud adseruatum est: prout per literas sacras memoriæ proditum est: *In die illa*, dicentes, *Vinea ruboris, cantate ei.* Ego Iehouah *custodio eam, per singula momenta rigare faciam eam; ne forte visitet eam* hostis: *nocte & die custodiam eam.* Item, *Quia calix in manu Iehouæ, & vinum* quod in eo, *rubet: & plenus est misto, & effundit ex hoc: vtique fæces eius sugent, & bibent omnes impii terræ.* Esa. 27. 2. 3. Psal. 75. 9.

Messias idem quoque ipse prius, quam

cœnam apponat, ludos spectatum iucundissimos more principum regumque aliorum nuptias aliave conuiuia celebrantium, dabit, vt conuiuas eius exhilaret lætosque reddat. Igitur, vt bos immanis ille *Behemos*, & pisces ingens *Lisiasan* in loco quodam largo conueniant, ibique coram ipso (*Messia*) temporis fallendi, animique recreandi gratia colludant, imperabit, prout scriptum est: *Profecto gramen montes ferunt ei, & omnis bestia agri ludunt ibi.* Item, *Ibi naues ambulant, Leuiathan iste, quem formasti ad ludendum in eo.* Tunc bos hinc inde discurrens cornua eius cõtra *Lisiasanem* vibrabit: quod spectando *Messias* lætabitur, dicente id scriptura: *Gratius erit Iehoua quam bos, aut vitulus cornua producens & vngulas.* &c. *Lisiasan* autem & ipse boui in occursum veniet squamis eius, tanquam lorica & armis aliis munitus, visu sanè non facilis, prout scriptum est; *Ostia faciei eius quis aperuit? in circuitu dentium eius est terror. Res magnifica fortia scutorum, clausum est* vnumquodque *clausurâ artâ.*

Iob. 40. 15.
Psal. 104. 26.
Psal. 69. 32.
Iob. 41. 5. 6.

Hîc autem primum omnium concertatio feruidissima, & ad arma conclamatio sumet initium; infructuose tamen. Etenim cum vterque potentiæ roborisque paris sint, alter ab altero victoriam obtinere non poterit; fietque vt ambo

præ

prę lassitudine nimia humi procumbant. Tum Messias gladium eius euaginabit, eosque confodiens ambos occidet; sicuti scriptum est: *Tum temporis inuiset Dominus duro, magno & robusto gladio Lisiasanem vtrumque, tam longum, quam curuum piscem.* Item: *Qui fecit illum, is etiam apprehendet eum gladio eius.* Item: *Tu concussisti capita cetorum, &c.* Isa.27. Iob.40. 14. Psal.74. 13.

Hic coctio assarioque inchoabitur, cœnaque & lautè & opiparè apparabitur: quemadmodum scriptum est: *Faciet quoque Iehouah exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium defæcatorum, pinguium* item *medullatorum, & defæcatorum purgatorum.* Piscis ille discumbentibus diuisus apponetur; quo facto, quilibet lætitia exultabit, scriptura sacra illud attestante, &, Nunquid, inquiente, *cœnabunt propter illū socii, diuident inter negociatores?* Esaiæ 25. 6. Iob.40. 25.

Post cœnam hanc donatiuam Messias vxorem quoq; ducet, sicuti literis proditum est: *Filiæ regū inter honorabiles tuas: astat coniunx ad dexteram tuã in auro Ophir.* Psal.45. 10. Sic Iudæi interpretantur ipsi. Et sensus est hic, prout è glossa *Kimchi* magna videre est: Inter mulieres præstantes, quas *Messias* habebit, erunt filiæ regum. Etenim rex populorum mundi quiuis vnus sibi glorioſum reputabit, si filiam *Messiæ* in vxorem det. Genuina verò nec-

non vera *Messiæ* regina (quæ propriè per vocem *Schegal* significatur) è pulcherrimis Israelis filiabus erit, ad dexteram illius sessura, & sine intermissione in ipso regis cubiculo habitatura: cęteræ verò in cœnaculo quodam vel gynæceo commorabuntur; regem non, nisi quando ipse eas tempore certo ad se vocabit, adituræ, &c. Itaque *Messias* in coniugio hoc liberos liberorum q; liberos procreabit; postea moriturus non aliter quam mortales alii: liberique eius post eum super populo Israelitico dominabuntur, & regimē possidebūt; prout scriptum est: *Videbit semen,* Iesa. 53. 10. quod *prolongabit dies, & voluntas Iehouæ in manu eius prosperabitur*: hoc est, prout *Ramban* scribit, *Messias* quidem tempore sat longo viuet, postremò verò morietur & ipse in splendore magno, & filius eius regnabit post eum; & hoc vita functo, regnum obtinebunt eius posteri post eum.

Quomodo verò viuent Iudæi in terra ipsorum sub *Messia* eorum tali? Primò, omnium Christiani populique alii, qui reliqui facti, perque manus eorum prostrati non fuerint, accurrent, & domos & vrbes ipsis ædificaturi, agrum culturi, vineas plantaturi; non equidem pro mercede, sed gratis: quin bona etiam sua ipsorum gratis Iudæis donabunt. quid? principes & domini seruituri sunt illis, sub imperium ipsorum redacti. Ipsi verò in vesti-

vestimētis pulchris obambulaturi, omnes sacerdotes vncti, & sanctitas erūt Domino; quemadmodum scriptum est: *Et ædificabunt filii alienigenæ muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. In ira enim mea percussi te, & in beneplacito meo misertus sum tui. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferant ad te fortitudinem gentium, & reges earum adducantur. Gentes enim & regnum quæ non seruierint tibi, peribunt. Gentes, inquam, vastando vastabuntur.* Item, *Stabunt que alieni, & pascent pecora vestra; & filii alienigenæ erunt agricolæ vestri, ac vinitores vestri. Vos autem sacerdotes Iehouæ vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis: opes gentium comedetis, & in gloria eorum exaltabimini.* Esaiæ 60. 10. 11. 12. Esaiæ 61. 5. 6.

(O quàm famelici siticulosique sunt hîc Iudæi! quanquam istorum nonnulli & famem & sitim istam sine vllo vultuum propriorum sudore sedantes, aliquot centena aureorum millia nanciscuntur: ob quam ipsorum fortunam talem Christiani non pauci præ anxietate calamitateq; sudare coguntur.)

Aerem quoque & nouum & salubrem adipiscentur: prout scriptum extat: *Ecce enim, ego creo cælos nouos & terram nouam, & non memorabuntur priores, nec ascendent super cor.* Beneficio talis aeris sani manebunt, tempore longissimo victuri, prout homines ante diluuium diutissi- Iesa. 65. 17.

mè vixerũt. In senectute quoq; ipsorum iam magna & agiles & fortes esse non desinent; non aliter, quam si iuuenes essent. prout scriptum extat: *Plantati in domo Iehouæ, in atriis Dei nostri florebunt. Adhuc fructificabunt in senectute, pingues & virides erunt.*

Psal 92. 14. 15.

Frumentũ semel satũ ex tẽpore illo in perpetuũ sponte eius propria crescet, virescet, florescet, matureſcet: non aliter atque vites: quæ semel tantummodo plantantur: prout in literis sacris perscriptum legitur: *Viuificabunt seipsos* vt *triticum*, & germinabunt *tanquam vitis, odor eius sicut odor Lebanon.*

Hos. 14. 8.

Quoties aliquis pro horto, agro, quinetiam pro herbula vel minima pluuiã desiderabit seorsim, eam confestim dabit ei Dominus, scriptura sacra id attestãte, &: *Petite*, dicente, *à Iehouah pluuiam in tempore serotinæ pluuiæ, & Iehouah faciet porruscationes, atque pluuiam imbris dabit vobis, & cuique herbam in agro ipso.* Tum frumentum & vinum eorum colligent in quiete securitateque magna; & ab hoste nullo lædentur, prout scriptum est: *Iurauit Iehouah*, &c. *Si dedero triticum tuum vltra in cibum inimicis tuis: & si biberint filii alieni vinum tuum in quo laborasti; Sed qui congregauerint illud, comedent ipsum.*

Zach. 10. 11

Iesa. 62. 8. 9.

Ne-

Neque bellum, neque belli rumor amplius audietur in terra: eritque mera cum hominum inter homines, tum hominum inter belluas etiam feras & pax & securitas: sicuti scriptum legitur: *Et percutiam eis fœdus in die illa cum bestiis agri, & cum volucribus cæli, & reptilibus terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, dormireque faciam eos securè. Et desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi, inquam in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miserationibus.* Item: *Et vacca, & ursa pascentur, simul accubabunt nati earum: & leo sicut bos comedet paleam. Et habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, & vitulus & catulus leonis, & bubalus simul,* &c. Hos. 2. 18. 19. Esaiæ 11. 7. ibid. 6.

Quando inter gentiles & peregrinos bellum & discordia existet, tum *Messias* reconciliabit eos, pacemque renouabit inter eos; adeò, vt non amplius ad arma necessario veniatur: prout scriptum est: *Iudicabit inter gentes, & arguet populos multos, & contundent gladios suos in ligones, & lances suas in falces; non leuabit gens contra gentem gladium, & non discent vltra bellum.* Iesa. 2. 4.

Tum Iudæi viuent in gaudio in perpetuum duraturo, nuptias nouas contrahent, Deum sine intermissione laudaturi & glorificaturi, plenique sapientiæ, & cognitionis item Dei erunt:

quemadmodum scriptum est: *Hoc in loco, de quo dicitis vos, quod desertus sit, vox lætitiæ, vox exultationis, vox læta sponsi & sponsæ, vox eorum, qui dicant: Gratias agite domino exercituum*, &c. rursus audietur. Item: *Terra plena erit cognitionis dominica, prout mare aqua plenum est.* In summa, felicitas populi huius sancti tam magna tunc erit, vt cogitationibus exhauriri, verbis, idque multo minus, efferri non possit. Quod cum ita sit, iam tandem Iudæos quietos in hoc ipsorum statu tam prospero relinquens, secretum fidei ipsorum Christianis amplius non declarabo. idque eo magis, quod in præcedentibus id fecerim plus quam ipsi, siquidem per eos stetisset, permissuri fuissent. Istis profecto mea hæc parum placebunt; per quæ & fidem, & vitam ipsorum ipsis ignorantibus ob oculos statuerim.

Lector verò Christianus ex omnibus his sine dubio bene percepit, quod fides Iudaica totaque religio ipsorum non super Mose, sed super mendaciis meris, super falsis minimeque fundatis constitutionibus & *Rabbinorum* fabulamētis, plurimumque seductorum Pharisæorum adinuentionibus exædificata sit: ideoque inter Christianos amplius dici non debeat, quod Iudęi pro lege Mosis propugnēt:
Ierem. 8. sed cum propheta Ieremia pronunciari, quod p falso deorum cultu fortiter pro-

pu-

pugnent, permittere nolentes, vt ab eodem auertantur. &c. Item cum Christo affirmari; quod mandata Dei transgrediantur ob traditiones ipsorum, Deo frustra seruientes; cum præter hominum mandata non doceant quicquam: honorantes eum labiis, cordibus ab eo longè absint: Verbis aiant Deum se nosse, rebus autem id negent ipsis: Cum illi sint isti, quos Deus abominationi habeat: quiq; dicto non audientes ad opus omne bonum inidonei sint, vt apostolus Paulus loquutus est. E quibus luce quoque meridiana clarius apparet, quod pœna illa super eis impleta sit, quam Moses eis minatus est: quod eos nimirum Deus væcordia, cœcitate, animorumq; rabie percusserit adeò magna, vt tempore vel meridiano palpent non aliter, quam cœcus in tenebris palpare solet. Id enim nimio plus animaduertitur in illis ex eo, quod verbum Dei tam miserabiliter peruertant, tamque turpiter contra rationem omnem, pudorem & intellectum exponant ac interpretentur, quam eos facere passim vidimus.

Matth. 15.3.

Tit. 1.

Deut. 28.

Deus misericors Christianis nobis gratiam hanc impertiri velit, vt exemplo hoc iræ diuinæ tam horrendo moniti, eum verbum que eius & amemus & honoremus; ne ira diuina eadem ipsa super nos exardescat, adeò, vt ita quoque nos lucem

veritatis ob ingratitudinem nostram perdamus. Deus item vt iustitiæ sol in cordibus nostris magis ac magis luceat, permittere, perque spiritum eius bonum in veritatem nos omnem *ducere dignetur*: *Amen.*

## COLLOQVIVM IVDÆO-Christianum: in quo Christianus Obiectionibus Iudæi obiectiones alias opponens, moxque & has & illas declarans, Iesum verum Deum esse conuincit.

IL. IVDÆVS. Quomodo vos dicere potestis, quod venerit Iesus, homines à peccatis ipsorum purgatum, & ex inferno liberatum: qui tamen occisus peccata Iudæorum, per quos interemptus est, cruci affixus, ita primũ cumulauerit & amplificauerit? Peccatum certè nullum grauius vel excogitari vel patrari potest, quam Deum sũspendere, eundemque cruci affigere. CHRISTIANVS. Quomodo dicitis vos Iudæi, quod lex data sit ad salutem; cum tamen & transgressionem & debitum trangressionis amplificauerit maiusque reddiderit? Notum enim & perspectum est omnibus, quod Iudæi fœdus, quod Deus cum ipsis pepigerat, statim dereliquerint, quodque, cum iustitiam legis transgressi fuerint, Deum sine intermissione

sione ad iram contra ipsos susciendam incitauerint commouerintq;. Imò, quæro ego, quomodo fœdus Dei, quod nihilominus gratiæ bonitatisque diuinæ testimonio singulare fuit, & tale, per quod infantes Abrahami in proprietatem adoptauit, multis eorum causa duplicis interitus extiterit? quēadmodum prophe-
ta Ezechiel dicit, quod Israel peior sit quam Sodoma & Gomorrha, hanc dun- Ezech. 16 51.
taxat ob causam, quod salutem ipsi oblatam contempserit & abiecerit? Ex quo videre est, quod Iudæi nihil tam pensi vnquam habere soleant, quam vt semper Christianos & conténant & criminentur.

Sed ad obiectionem istorum & quæstionem responsio facilis est. quod nempe filius Dei venerit quidem cùm Iudæis ante omnes, tum mundo vniuerso vitæ lumen allatum; sed quod à principio tam Iudæi, quam maxima mundi pars, lumen illud è propria malitia in tenebras commutarint. Et certè vt mirum non est, ita quoque nouum non est, quod homines gratiâ Dei sic fuerint abusi, vt quod ad salutem illorum fuerit ordinatum, id ipsi ad perditionē ipsorum propriam direxerint. Etenim vbicunq; Dominus promittit, quod populi eius saluator & redēptor futurus sit, ibi affirmat etiam, quod lapis offensionis regno Israelis & Iudah futurus sit. Quomodo verò consonat hoc ali-

ter, nisi quod Deus veraciter, & non fallaciter, vel seductoriè gratiam eius, in qua populi salus veraque felicitas spectatur atque quiescit, annunciat? Quoniam verò increduli gratiam illam repudiantes abiiciunt; interitus per hoc sibi duplicis auctores existunt ipsimet. cuius rei exemplum habemus Dauidem, qui rex creatus fuerat ob id, vt post ex eo Messias prodiret; qui tamen lapis offensionis à præcipuis ædificantium reiectus appellatur. Huc accedit & illud, quod personæ Iesu, qui Messias est, nihil acciderit, quod de Messia prophetæ vaticinati non fuerint prius, quam in ipso re ipsa compleretur.

Psal. 118. 20.

Inter prophetas autem de Messia vaticinatos præcipuus fuit Esaias; qui cum gratiam, quâ per manum suam populares afficere volebat, valde exaltare & amplificare cuperet, orationem eius exorsus est in verba hæc: *Quis credidit auditui nostro? & brachium Iehouæ cui reuelatum est?* Etenim cum mox dicturus esset, quod Messias homines Deo reconciliaturus esset, vt salutem consequerentur, vocē prius eleuat, clamās, bono tam magno partē mortalium magnam; propter cœcitatem ipsorum priuatū iri; cum potentia Domini ipsis ita occulta futura sit, vt eam ignoraturi sint. Alio quodam in loco capita duo hæc clarius adhuc comple-

Iesa. 53. 1.

Iesa. 49. 6.

plexus, parum esse inquit, quod Messias deuastationem Israelis restauraturus sit, cum salutare Domini se ad fines terræ totius extensurum sit: cum tamen futurum sit, vt Israel nõ totus, sed ex parte restauretur: ideò quod pars eius magna ad Dominum sese conuersura non sit. Postremò sciendum, quod Iudæi loquantur hæc de re non aliter, quam si populares eorum se tempore prorsus nullõ ingratos Deo exhibuissent, sicque medicinam saluberrimã in venenum mortiferũ non conuertissent. An Deus, cum illis liberationem & reditum è captiuitate Babylonica pollicitus erat, gratiæ eius ad salutem ipsorum significationem cum primis recordatione dignam non dederat? Pars nihilominus Israelitarum maxima per contemptum impium, transgressionem & ita pœnam notabiliter auxit. Vnde ipsis multo quoque melius fuisset, vt nunquam liberati fuissent, quam vt in libertatem rursus asserti, gratiam beneficentiamque tam magnam nihili pendentes abiicerent. At verò vaticinium Esaiæ prophetæ hunc in modum adimpleri oportuit, videlicet hoc: Etiam *si fuerit populus tuus Israel velut arena maris*: attamen *residuum conuertetur ex eo*. Et vt finem faciam, liberatio luce meridiana clarius ostendit, quod gratia Dei ab eo hominibus oblata, illis non omnibus, vt etiam non semper vel vtilis, Iesa. 10. 22.

vel bona esse solerat; sed modis duobus quibusdam potius nociua; si contempta fuerit atque repudiata. Equidem Dominus per manum Mosis populum ex Ægypto eduxerat, vt saluos eos conseruaret omnes. Nos interim scimus, quod sæpenumero aduersus aliquot eorum millia detonuerit, suppliciumque sumpserit ab iisdem, quinetiam multitudo Israelitarum difficulter enumerabilis illa, tandem aliquando per solitudinem, viris tantummodo duobus exceptis, miserabiliter perierint funditusque è medio sublati fuerint. An tunc impiis non multo melius fuisset, si ex Ægypto nunquam educti fuissent? imò, si nunquam nati vixissent, quam quod per manum Dei ratione tali prostrati sunt?

II. IVDÆVS. Apud Matthæum est scriptum, Christum dicere, se non venisse *legem vel prophetas solutum, sed adimpletum*. Et in lege Mosis est, quod *infans quilibet, vbi dierum fuerit octo, circumcidi debeat præputium carnis eius*. Alibi quoque scriptum est: *Omne quodcunque vobis ego mandauero, seruabitis, vt secundum id facitis. Vos vt de eo nihil adimetis, sic ei nihil addetis*. Quæ si ita sunt, notum profecto & manifestum est, quod Christus Mosis legem soluerit. CHRISTIANVS. Cum lex Mosis præcipiat, ne quis opus vllum die septimo faciat, qui-

Matth. 5. 17.
1. Mos. 17. 12.
5. Mos. 12. 32.

fis

sit quod econtra iubeat, vt masculi tamen die circumdantur septimo? Item, cum Moses præceperit, vt populus diem septimum sanctificaret, quî fit quod Esaias econtra promittat, sub Christo regnante sabbata æterna, nouilunia que semper duranția futura? An id ideò factum non est, vt Deus per circumcisionem significaret, quod opera eius legi communi subiecta non essent? Esaias autem præcellentius & melius aliquid promittens, quam Iudæis sub lege datum fuisset, ostenderet, mandatum de sabbato figurale tantũ & vmbræ alicui simile esse? Isa. 66.

Sed vt ad obiectionem hanc plenius respondeatur; scito, quod, cum Deus voluerit, vt ipsi super altari duntaxat vno victimæ obmouerentur: Iesaias autem promiserit, quod sub regnante Messia & in Ægypto media, & in Assyria Domino altaria faciẽda essent, eo nõ obstãte, quod mãdatum fuisset, ne alibi quã Hierosolymis facies eius quæreretur sacrificiaq; offerrentur ibidẽ; Iesaias autẽ dicat, eum & in Ægypto templum habiturum; Malachias quoque discrimen locorum tollens aiat, quod in locis omnibus nomini diuino suffitus, sacrificiumq; purum cibariũ fieri debeat; mutatio cultus externi sub Christo regnãte planè clareq; præsignificata fuerit. Per hoc tamen lex diuina non soluitur, quin ne punctulus quidem vnus Iesa. 19. 19. Malach. 1. 11.

eus ab ea demitur. Imò, quod amplius est, lex per hoc potius confirmatur: cum ita perspiciatur, quod in figuris veteribus istis aut imaginibus non inane quoddam nulloque precio dignum exhibeatur spectaculum, sed substantia rerum ipsa, per figuras eas subindicata, in Christo re ipsa exhibita sit. Consideretur iam, qua de causa Deus sabbatum instituerit. Id autem fecit ob id, vt sanctificationis signũ esset, prout ille ipse per Mosen & Ieremiã nos docet. E quo iã sequitur, quod mandatum illud ipsum vmbris annumerandum sit. An enim mirum esset, si postea, quam sol clarissimus lucere cœperit, stellarum splendor euanuerit? Et hoc est cælum nouum illud, & terra noua illa, de quibus Esaias concionatus est creandis.

Esa. 65.

III. IVDÆVS. Si Deus est, cur seipse filium hominis appellat? Cum tamen multis Scripturæ sacræ locis lex admoneat nos, videamus, ne Deum homini similem faciamus: vt cum scriptum est: *Non est homo Deus, vt mentiatur; & filius hominis, vt pœniteat eum.* Iam dicit etiam Dauid: *Ne fidatis principibus, filio hominis, in quo non est salus.* Alibi quoque scriptum est: *Maledictus vir, qui fidit homini, & ponit carnem brachium suum, & à Iehouah recedit cor eius*, &c. Totum verò hoc ipsum in Iesu deprehensum est; qui filius hominis vocatur. CHRISTIANVS. Cur in lege

Num. 23. 19.
Psal. 146. 3.
Ierem. 17. 5.

Mosis.

Mosis Deus miles appellatur? Cur Ezechiel in visione eius memoria dignissima dicit, quod iudex ille sedens super throno iudiciali filio hominis similis sit? Cur Deus ipse sibi ipsi toties oculos, nasum, manus, pedes adscribit? Cur Ieremias de filio Dauidis verba faciēs, eidem Iehouæ nomen appropriat? Cur Esaias Messiam Immanuelem? patrem æternum? Deum fortem vocat? Cur in Psalmis sub persona Salomonis Messias nomine *Elohim* decoratur? Alias etiam responsio ad quæstionem hanc difficilis non est. Vetat lex, Deum homini comparare, ob id, ne fortassis alicubi sub hominis imagine maiestas, & splendor Dei ob oculos constituatur: alias Deus ipse igni, soli, leoni, apro, lapidi, &c. quæ res alioquin vel animalia irrationalia vel elementa vitæ expertia sunt, se comparat. In Messia verò Deus homini similis factus non est, sed cum Deus carnem humanam induisset, homo factus est ita, vt in natura ipsius æterna nec non immutabili totus permanserit. Fides enim nostra non est (prout vos Iudæi somniaris vobis ipsi) quod Deus fuerit mutatus; sed; quod in carne fuerit manifestatus; & id quidem sic, vt sibi similis in æternum permaneret. Et ita non, prout homines alii sunt omnes, mendax, vanitative subiectus fuit, sed ob diuinitatem eius, veritas in æternum

Exod. 15. 14. Ezech. 3. & 9.

Psal. 45.

persistens. Ob quam rem nos fiduciam nostram in eo ponimus, non vt in homine mortali; sed quia corpus eius templum Deitatis est, in quo maiestas Dei perfectè habitat. Et quatenus Deus est, super naturam humanam virtutem vitificantem spiritus eius effundit. In locis enim multis Deus seruis eius fiduciam salutis in alio nullo proponit, quam in Messia solo: quemadmodum inter alia videre est in vaticinio Iacobi apud Mosen, vbi scriptū est sic: *Illi adhærebunt populi.* E quo vniuerso consequitur, quod (vt ante dictum fuit) hic sit Deus fortis ille, verus Immanuel, & filius hominis, è semine Dauidis ortus.

1. Mos. 49. 10.

IV. IVDÆVS. Esaiæ 66. 17. scriptum extat; *Comedentes carnem suillam & abominationem, atque murem, simul consumentur*, dixit Iehouah. An ex eo non sequitur, quod edere carnes suillas nunquam permissum fuerit?

CHRISTIANVS. Cum apud Esaiam prophetam, quem tu Iudæe citasti; scriptum sit, quod quisquis mactet bouem, perinde faciat, ac si hominem trucidet; & quod, quisquis immolet ouem, perinde faciat, ac si canis ceruicem frangat, &c. si quis ex eo concludere vellet, quod Deus à sacrificiis abhorruerit temporibus omnibus, quo aufugio tu cum cæteris

ris Iudæis tuis hîc vti posses? quomodo vos defenderetis?

Responsio verò ad obiectionem tuam sumitur ex abrogatione & obliteratione cultus diuini secundum legem, quam rem cum vos Iudæi nesciatis, inde fit, vt tam pueriliter deliretis. In cæremoniis omnibus, quas Moses vnquam præcepit obseruandas, regulam generalem obseruare debuissetis hanc: quod cæremoniæ istæ omnes fuerint quasi speculum quoddam & imago eius, quod Mosi Deus in monte monstrârat. 2. Mos. 25. 40.

Quoniam verò imago illa in Messia adimpleta est, absurdum profecto non est, dicere, quod Messias adueniendo tanquam lux aliqua luculentissima cerem-oniarum legalium tenebras vmbrasve dissipulerit.

IVDÆVS. Qua de causa tristes estis, & quare cruciatis vos ipsi ieiunio, reque alia non absimili die sexto? quo, quemadmodum vos affirmatis, Messias crucifixus est: cum tamen vos per crucifixionem eius & supplicia à cruciatu infernali liberati, & è seruitute in libertatem vindicati sitis, & ita gaudii, non luctus occasionem adepti? Die illo vos potius feriari, edere, bibere, frontemque modis omnibus præ gaudio exporrigere debueretis. CHRISTIANVS. Cur excruciant castigantque Iudæi corpo- Vi.

ra ipsorum tempore festi reconciliatio-
Leuit. 23. nis, prout Deus in lege ipsorum præce-
27. perat: eo non obstante, quod die isthoc cum Deo reconcilientur, eaque de causa diem eundē tanquam festiuum sanctificare, edere, bibere, præq; lætitia magna exultare & ipsi debeant.

Sed & hæc obiectio cauillatioque Iudæorum sine negotio vllo euerti, & in nihilum redigi potest. Nos confitemur & dicimus, quod illi, qui diem passionis & mortis Christi mœrendo ieiunandoque feriari sanctificareque sibi proposuerint; superstitiosum, præposterum, quinetiam nouum Dei cultum nequaquam fingant, aut in medium producant. Hic tamen superstitionem & abusum, quæ hactenus in papatu obtinuerunt, nequaquam defendere volumus. Obstaculum enim nullum inde existit, quod efficiat, ne verè credentes memoriam liberationis eorum, quamdiu viuunt diebus singulis, cum gaudiis & cantionibus recolentes decantent: mœrētes interim simul & gementes peccata ipsorum, debitaque coram Deo demississimè confiteantur.

VI. IVDÆVS. Quid quæso, plus fecit Iesus, quam sancti alii? Elias enim & Enochus sursum ascēderunt in altum: Moses aquam in sanguinem conuertit: aquam amaram dulcem fecit: populum Israeliticum per mare rubrum traduxit:

xit: Elisæus fecit, vt lecythus oleo plenus esset inexhausto, vnde & lecythi alii impleti fuerunt aliquammulti. Idem Naamanem Syrum à lepra eius mundauit, duos præterea mortuos in vitam reuocauit. De talibus tamen nemo sentit aut credit, quod dii fuerint; sed quiuis existimat, quod viri Dei iusti fuerint. CHRISTIANVS. An autem Moses quemquam mortuum resuscitauit; quemadmodum fecit Elisæus, Mose tamen longe & inferior, & minor? Ita cogūtur Iudei confiteri, nullaque ratione inficiari possunt, quod Moses multo & sublimior & maior extiterit Iosua, tyrone vel discipulo eius. Moses tamen cursum solis non inhibuit sic, vt è diebus duobus vnus fit factus. Vnde sequitur, quod iudicium Iudæorū hoc de præstantia præcellentiaque personæ cuiusdam è miraculis meris sententiam ferentium; & peruersum & præposterum sit.

Obiectio vero puerilis hæc facilime solui potest, si Iudæos nō solum quænam miracula prophetæ fecissent, sed & per quem eadem facere potuissent, quærere debuisse dicamus. Christus tamen affirmans discipulos eius miracula maiora facturos esse, quam fecisset ipse, sibi ipsi discipulos præferre per hoc non voluit, quin ne pariter quidem conferre. Illi enim soli gloria operum mirabilium eius

Ioh. 14. 12.

manet illibatissima, qualia videlicet ipse per hominum ministerium operatur sic, vt eorum auctor & princeps inchoator sit & maneat idem ipse. Imò, nos adhuc amplius aliquid dicemus; hoc nimirum, quod miracula illa omnia, quæ Moses, quæque post Mosen eundem prophetæ reliqui fecerunt, ab alio nullo quam à Christo solo propriissimè profecta eius vnius efficacia peracta sint. Is enim expressè angelus fuit hic, de quo
2. Mos. 23. 20. 23. dixit Moses; quod populo præiens conseruet eundem. Iam, si Iudæi gustum veritatis haberent vel omnium minimum, mox visuri essent, quod Christus Mosen (si miraculorum editionem spectes) parasangis post se relinquat innumeris.

Moses enim patriarchas ad æternam spiritualemque vitam pane cælesti non cibauit; prout eo nos cibat Christus. Sed vt isti non sancti & impii, quinetiam canes impuri sunt; ita mirum quoque non est, quod ad cibum cælestem gustandum tam parum idonei vel habiles sint. Oportet igitur vt eos in cœcitate indurationeque bestiali missos facientes relinquamus.

VII. IVDAEVS. Quod vos affirmatis, Iesum Dei filium esse, cùm nos interim in locis scripturæ multis inueniamus, quòd Israelitæ quoque ipsi filii Dei vocentur, id aut-

id aut ementitum & falsum esse oportet, aut Israelitas filios Dei omnes esse necesse est. CHRISTIANVS. Si itaque Israelitæ omnes sine discrimine vllo dii sant, quî fit, quod Dauid rex titulo eo decoretur solus! quando Deus ipse de eo loquens, *Tu meus*, inquit, *filius es.* Psal. 2. 7. Quare Deus idem Salomonem super Israelitas alios omnes extollit, *Ego*, inquiens, *pater eius ero, & ipse meus erit filius?*

Per hæc obiectio istorum, ne hilî quidem facienda, soluta esset atque refutata; nisi propter simplices aliquid adhuc adiiciendum videretur. Igitur aio, quod angeli quoque ipsi filii Dei vocẽtur. Nomen idem quemadmodum regibus, ita iudicibus quoque tribuitur. Dauidi verò è gratia singulari priuilegioque datur; vnde super angelos quoque exaltatus est. E quo iccirco coniici concludique potest, imo debet, quod inter filios seu liberos Dei gradus distinctioneſque multiplices sint. Vnde mirum profecto nõ est, si Messias super alios Dei filios exaltatus est omnes: quem nos filium Dei vocamus vnigenitum, naturæ ipsius, per quem nos gratiam, qua in Dei liberos adoptemur, accipimus, consideratione.

VIII. IVDÆVS. Quomodo Messias rex vester esse potuit; cũ tẽpore toto illo, quo vixit, nihil præter rixas & cõtentiones in mun-

do viguerit, mundusque post eum à bello
Iesa.9.7. nunquam fuerit pacatus. Cum tamen
scriptū sit, quod dominatio eius magna,
& pacis (per eum introducendæ) finis nul-
Matth. 10.34. lus futurus sit. at cū Iesus dicat ipse, quod
pacem mortalibus conciliatum non ve-
nerit, sed gladium missum: sequitur, quod
verba eius cū verbis prophetarum è dia-
metro & διὰ παντὸς pugnēt. CHRI-
STIANVS. Quando igitur venerunt
Psal.72. 10.11. reges è regionibus longe dissitis, seq; po-
pulo Israelitico vectigales subdiderunt,
munera ipsorum donaque afferentes iis-
dem? Quando diuitiæ facultatesq; popu-
lorum omnium congestæ & coaceruatæ,
Iesa.11.12. Iudæis in prædam factæ sunt? Quomodo
dicit Esaias, quod vexillis explicitis & vo-
litantibus ab exilio in patriam redituri
sint? Gloria templi secundi quam polli-
Hag.2.8. 9. citus est Haggæus, vbinam latitat? Profe-
cto, nisi Iudęi, nebulones pessimi prophe-
tas omnes religionemq; vniuersam con-
temptui haberent; maiore cum reueren-
tia nec non attētione ponderarēt omne,
quodcunque Deus de beneficiis eius vn-
quam proponi fecisset.

Obiectionis autem ipsius solutio est
hæc; quod, cur mundus pace illa, quam
Christus in eum veniens attulit, nō frua-
tur, eius rei culpa in aliud vllum transfer-
ri non queat, quam in homines ipsosmet,
qui se turpiter fœdeque Deo semper op-

pone-

ponere, bellum aduersus eum gerere, &
& ita semetipsos intricare inquietosque
reddere, quã in Messia conscientias quie-
tas possidere maluerunt. Ista verò mali-
tia istorum impedire non potuit, quin
Messias officium eius, officiique eiusdem
nomina titulosque retineret honorarios.
Atque licèt impii quieti pacatique nun-
quam sint: ob id tamen minimè dicetur,
quod Christus potentiam efficacitatem-
que suam perdiderit. Quin etiam, quo-
niam reconciliationem per eum cũ Deo
contemnentes reiecerunt, secũdum hor-
ribile iudicium Dei sic fieri oportuit, vt
in cœcitatem rabiemque mentis eiusmo-
di inciderent, vt inter se ipsi discordes se-
se armis oppugnarent. Inter homines
omnes Iudæi primi fuerunt, qui per ob-
stinationem ceruicositatemque ipsorum
significauerunt, quod sibi cum Deo pa-
cem intercedere non optarent. Igitur
isti merito inter ipsos more quopiã non
humano, sed ferino potius veluti sues sese
mactare debuerunt & iugulare; tantisper,
dum postremo tandem patria ipsorum
per istud periret, & extremè omnium de-
uastaretur. Eos alii secuti sunt; & eorum
quidem quilibet temporib. ipsorum. Ab
hoc enim peccato populus se planè nul-
lus excludere potest.

Interea verò & pii & credentes tanto
melius de Christo inquisiuerunt, & ex-

perti profecto fuerunt, quod ipse rex ille pacis verus esset; siquidem illi in mediis bellorum immanium & furentium quasi fluctibus corda pacata tranquillaque possederint, & ita Deum temporibus omnibus ac singulis inuocarint. Et haec pax illa est, quam vates Esaias tantopere deprædicat, & post eum Apostoli quoque omnes maximè commendarunt; docentes, quod hic fructus fidei præcipuus sit, vt nos fiduciam nostram super Deo misericorde nostro ponentes, non amplius inquieti simus; sed in omni cordis tranquillitate & quiete firmiter persistamus, vt vt vires mundi totius sese commouentes, impacatæ forent. Quod autem Christus affirmat se venisse potius bellum quam pacem allatum, id non simpliciter, sed accidentaliter verum esse cogitandum est: cum impietas hominum discordias qualescunque, rixasque excitet omnigenas, è quibus deinde bella grauia dissidiaque exoriantur.

Luc. 21.

IX. IVDAEVS. Quod si Messias vester Deus est, cur carnem assumpsit ad eâ tegendum se? Cur non multo magis accessit manifestè, legem eius renouatum, ne homines temporis huius perirent? Etenim eorum, qui damnabuntur ob id, quod ignorent hoc ipsum, numerus longe maior erit, quam reliquorum, qui liberati sunt. Per id enim quod velut in obscu-

obscuro ratione iam dicta tectus accessit, ab eo separati fiduciã ipsorũ in eo collocare nõ possunt. CHRISTIANVS. Qua de causa Deus in cælis habitans sub Cherubinis velut occultat' iacere voluit? Cur habitationem sub pellibus ferarum sibi elegit? Quare voluit, vt signum illud sanctum fœderis eius per abscisionem præputii virilis repræsentaretur? Quare populo eius regem dedit eum, qui in domo ignobili rusticaque natus, & opilio quidem esset; quem propter id homines eius proprii contempserunt, & alii reiectum pro nihilo reputauerunt? Quare nullius æstimatum tranquillumque flumen Siloah singulariter elegit, aliaque celeriter labentia famosaque flumina quasi per incogitantiam quandam pede tacito præteriit? cum Iudæis tamen, quod pompæ extraneæ peregrinæque cupidi sint, eandemque modis venentur omnibus, improperans obiiciat. 1. Mos. 49. 10.

Petulantia verò Iudæorum hæc tanta facilimè refutatur euertiturque per Esaiæ verba illa, quibus Messiam nobis quasi depictum ob oculos constituit; forma nulla præditum, contemptissimum omnium, vexatum, à Deo plagis affectum, cruciatum; & contemptum adeò, vt & faciem eius quiuis eum contemplatus ab eo auerterit. Quod Messias,

verus & viuus character gloriæ maiestatisque diuinæ sit, hoc vt non possunt, ita profecto Iudæi negare non audent. Quî fit igitur, quòd ille, rex iste, per cuius manum Deus potẽtiam suam declarare vult & videndam monstrare, tam deformis, &, veluti leprosus quidam, contemptus & abiectus in medium prodeat, & se cõspiciendum præbeat? Irrationabiles autem canes hi, prout animo superbo sunt & excelso; ita Deum ad leges & ordinationes ipsorum proprias alligare, & adigere eò, vt se quod melius factu foret aut non vidisse, aut quod ita ipsi placeret, incogitãter per vatem prædixisse, confiteretur, libentissimè vellent. Ratio vero pia requirit à nobis, vt nos qui homines & sumus, & tales æstimari volumus; voluntati beneplacitoque Dei multo magis cedamus, quam nostræ ipsorum adinuentioni, imaginationi vel opinioni, concedamus.

Oblatrant canes hi, dicẽtes, quod pars hominum maxima cõdemnetur ob hoc, quod paupere contemptaque Messię forma scandalizati ab eo abhorreant. quasi Esaias fruſtra & in vanum prædixisset, Iesa. 53. 1. quod cognitio eius obscura & occulta futura esset; *Quis* (aiens) *credidit prædicationi nostræ? cuinam brachium Domini reuelatur?* Nihilominus & verum & solidum manet id, quod docet Apostolus, in eo Ioh. 1. gloriam quandam quasi gloriam vnigeniti

niti patris, splenduisse. Est verum & hoc, quod Euangelium, in quo maiestas cælestis & gloria Dei lucet, obscurum & occultum non sit, nisi solis illis, qui reprobati sunt; & perditioni prædestinati. Mirum verò est, quod conquerantur, splendorem maiestatis diuinæ in Christo maiorem non fuisse quam vellent; cum patres interim istorum splendorem faciei Mosis ferre tam parum potuerint, vt is, quoties cum illis colloqui vellet, faciem velare teneretur.

IVDAEVS. Vt Ionas id Matthæo referente in ventre ceti dieb. tribus & noctib. tribus fuit: ita Messias diebus trib. & noctibus tribus in terra iacuit. at hoc verum certè non est. Etenim secundum id, quod affirmatis & prætenditis vosmet ipsi, in sepulchro diutius, quàm diebus tribus, noctibus autem tantummodo duabus, non fuit. X. Matt. 12.

CHRISTIANVS. Quomodo populus vniuersus excepto nemine propter perfidiam nec non ἀπιστοίαν eius reprehenditur & culpatur? Etenim si reprehensio culpatioque talis generalissimè capienda est, de electo residuoque electorum semine, quid fiet? Quomodo de populo toto dicitur, quod Ieremiam ad mortem petierint & postularint; cum tamen notum perspectumque sit, è populo fuisse nonnullos, qui eum ereptum & in vita conseruatum cupierint?

Sed ad obiectionē propositam respon-

sio non minus breuis quam prompta est hæc, quod in lege & prophetis sæpenumero per partem rei cuiuspiam res ipsa tota; & econtra, per eam totam pars eius tantummodo quædam certa veniat intelligenda (quæ loquendi ratio synecdoche vocari solet) id adeò notum & vulgare est, vt demonstratione ampliore non egeat. De numero dierum quibus Christus in sepulchro iacuerit, Iudæi nobiscum disceptandi occasionem nullam prorsus habent. Ad numerum verò noctium quod attinet, opinantur isti, quod ansam calumniandi nos deq; mendacio conuincendi fuerint adepti: quandoquidem Christus resurrexit prius quã nox tertia ingruerit. Cum verò nox corollarium vel additamentum diei reputari possit, Christus veritus non est, dies tres & noctes totidem dicere; vt ita tres integri dies existerẽt, & sic exemplum Ionæ ad rem propositam tanto melius quadraret. Cùm verò de negotio ipso dubitatio digladiatiove nulla sit; absurdum profecto ridiculumque est, si, quod reprehendere cauillarique velimus, id in verbis nudis indagare studeamus. Et quamuis aduersus hoc quoque latrantes affirmarent, quod similitudo prorsus impertinenter ad rem Christo propositam ab eo fuerit adducta; siquidem Ionas tempore ferme dimidio diutius in ventre ba-

lænæ delituerit, q̃ Christus in sepulchro iacuerit: iterum tamẽ ad obiectionẽ istorum talismodi, quod in similitudinib⁹ & exemplis nequaquam requiratur, vt in omnibus paria sint; quod q; absurdũ nõ sit, tamets imparitas, q̃dam in talibus animaduertatur, rectissime responderi queat.

IVDÆVS. Scriptum reperitur quod dixerit Mosi Deus; *Non poteris videre faciem meam: quia non videbit me homo & viuet.* Quomodo igitur secundum id, quod affirmatis vos, subsistere potest, Iesum nimirum fuisse Deum; qui quamuis à multis conspectus sit, eorum tamẽ nullus ob id mortẽ oppetierit? CHRISTIANVS. Quomodo Iacobus patriarcha Deum vidit, & quidem à facie ad faciem, vt ideo tamen mortuus non fuerit? Quomodo voluit Deus seruum eius Mosen à prophetis aliis seiungere & discernere, cũ eo familiarissime nec nõ amicissime à facie ad faciem, & non solum per visiones & somnia, collocutus? Quomodo Deus populo comparuit vniuerso, eidemq; in nube & ignis columna præiuit? Quomodo formam maiestatis eius pphetis Ezechieli & Danieli more visibili monstrauit, cernendamq; præbuit? quorum morte subitanea tamen nullus extinctus est? XI. Exod. 33. 20.

Quod si verò apud homines hosce nauci ingenuitatis vel tantillum superesset, tum profecto puderet eos, obiectionibus tã crassis & absurdis oppugnare nos; imo,

mendaciis tam impudentibus, & refutatione prorsus indignis contra nos quicquam moliri, cauerent. Deus, inquit, fieri nō posse, vt deitatis eius gloria nec non maiestas, quæ infinita & immensurabilis est, per rationem humanam & intellectum terrenum comprehendi possit. Id quod illimet ipsi dubio procul concedere, verumque esse confiteri coguntur omnes. Hanc ob causam Deus se gerere solet in omnibus secundum capacitatem piorum, vt eum videlicet hi videre queant, licet eum adhuc nōdum perfectè cōtemplentur. Ita Deus in Christo, viua eius imagine comparuit, eo modo, quem pii ferre perspicereq; valuerunt; & quem salus eorum beatitudoque requisiuerunt. Tum vero videbūt eum iidem talem qualis est, quando ei similes erunt effecti. Id verò nimis & crassum & stultū est, si quis dicat, Deum in persona Christi non aliter videri potuisse, quam si essentia eius diuina, oculis carneis sese videndā præbuerit.

XII. IVDAEVS. Scriptum extat, quod
Matt. 17. quisquis fidei in Iesum habeat tantum, quam magnum est granum sinapis, is verbo vel vnico montes ita commoturus sit, vt locum ipsorum relinquentes, alioſsum se transferant. Nos autem videmus re ipsa, quod Christianorū vel piissimi quique ne tantillum quidem præstare, nedum istud, efficere possint. Quid igitur

vulgus

vulgus abiectum efficere valeret? Quod si ita est, igitur certum est, quod nihil præstare possint, vt vt millies in ipsum spem fiduciamque ipsorum defixam habeant & collocatam. CHRISTIANVS. Cum Psal. 132. de monte Sione scriptum sit, quod Deus elegerit eum, in eoque habitet perlibenter, & id adeo quidem, vt ibi requieturus & commoraturus sit in æternum; quod mons iste præ montibus aliis omnibus arrideat ipsi, &c. quî fit igitur, quod locus iste vastatus & euersus sit, perque tot annos centum talis permanserit, & quamdiu mundus staturus est, talis permansurus esse videatur? Quomodo & illud accipiendum, quod Iudæi tam miserè tamque flebiliter per orbem terrarum vniuersum dispersi exilium sine intermissione ædificent; eo non obstante quod Esaias expressissimè dixerit, Do. Iesi. 11.12. minum vexillum inter gentes eleuaturum, profligatos Israelitas collecturum, eosdemque dispersos è Iudah in locum vnum è locis terræ quatuor adducturum esse?

Quod si verò canes isti perspicacitatis vel tantillum reliquum haberent, sine dubio perspecturi essent, quod dictum illud Christi per eos allegatum, & in quo absurdum se inuenire garriunt, & certum & firmiter verum sit. Circa id, quod obiiciunt, primò causa, propter quam

Christus discipulis eius id ita locutus est, considerandum erit. Et sanè fecit ob hanc, vt ostenderet eis, culpam in illos ipsos conferendam potius esse, quam in aliud vel quiduis, quod edere miracula non valerent: vt vt ea facere niterentur. Iudæastri igitur isti quid nobis responsuri essent, si, quod miracula nulla facere queamus, culpa nostramet ipsorum, potestate illa per incredulitatem nostram spoliatorum fieri respondeamus? Sanè, confessio hæc parum nos decet; eiusque meritò pudere nos deberet. Cur autem eum, qui veritas Dei æterni æterna est, quique, quod in sententia eius hac ipsa verax sit, multipliciter re ipsa demõstrauit, culpare; quam nostram ipsorum met incredulitatem, per quam gratiæ Dei via (vt ita dicam) præcluditur; fuco adulterarum proprio, minimeque durabili cælare mallemus? Hîc autem & hoc sciendum nec non tenendum est, quod fides illa, de qua Christus agit, non sit fides illa communis, quam spiritus adoptionis afferens piis omnibus Christi membris impartitur: sed quod fides sit ea, quâ Apostoli officium ipsis iniunctum exordiri deberent, vt nimirum doctrina Euangelii, quæ mundo noua visa est, quæque tum temporis vulgo nondum recepta & approbata erat, confirmaretur & stabiliretur. Donum autem hoc non datur

sine

sine discrimine cuiuis. Vt enim sufficit, legem diuinam, cum in monte Sina dabatur; per miracula semel tantummodo confirmari: ita iure meritoque ad autoritatem fidemque Euangelio conciliandam, pro plure quam sufficiente haberi debet, quod, dum per annos ferè triginta totos annunciatur, signa prodigiaque non pauca facta sunt. Iam quoque non legimus de prophetis vllis, quod fide tanta fuerint, vt montes transferre potuerint. quippe quod Deus id consultum esse non statueret. At mirum non est, quod homines hi profani dona spiritualia hæc atque bona, quæ Christus duntaxat illis, qui eius sunt, elargitur, nihili ducant & æstiment, qui ad ipsa quoque vitæ cælestis principia degustandum inhabiles & inidonei sint.

IVDÆVS. Quod si Messias vester Deus est, cur igitur super animali non puro sedens eo vectus est? cum tamen in lege scriptum sit; *Nec pecus, nec bos pascant è regione montis huius.* XIII. Exod. 34. 3.

Quid nunc aduersus hoc afferemus? Certè, si secundum mandatum Dei bestiæ etiam illæ, quæ puræ essent, ad montem hunc pascendi causa aditum non habuerunt; quanto minus impuræ? At vero Messias vester super animali non puro sedens Hierosolymam ingressus est. Matth. 21.

CHRISTIANVS. Nugaris ô insane Iudæe.

Num Dauid sanctus ille & rex & propheta commaculauit & impurum se reddidit, quod super mulo equitauit? Num personæ aliæ complures impuræ euaserunt, quas super asinis sedentes inuectas fuisse in locis scripturæ sacræ legitur compluribus?

Quoniam verò Iudæorum nequitia maliciaque petulantissima vaticinationi diuinæ non parcit, ego necessarium esse non puto, vt obiectionem istorum multis refutem. Iam, qualem qualem Messiam sibi imaginentur; sententiam tamen Zachariæ de alio nullo quã de Messia vel intelligere vel exponere possunt. Zach. 9. *Exulta valde filia Sion, iubila filia Ierusalaim: ecce rex tuus veniet tibi (iustus, & seruabit (seipsũ) mitis & sedens super asinum & super pullum filium asinæ.* Quid igitur arbitrantur obtinere se posse per hoc, si contra prophetã rixari ausint? An ludibrium istorum putidum hoc non ostendit satis, quod quemadmodum superius à nobis est dictum, non modo dominum nostrum Christum, sed etiam & legẽ & prophetas ridere non vereantur? Etenim si Zachariæ vatis illius sancti discipuli sunt, tum nodum illum quem nobis secandum proposuerunt, pro nobis secant ipsi. Irrisio autem istorũ nostri, quâ dicunt, quod, cùm Deus legem promulgauit, animali prorsum nulli ad montem appropinquare licuerit, nimis absur-

absurda est. Etenim per id, quod Deus locum illũ neq; p̃ homines, neq; per animalia vlla alia adiri voluit, Messias ab vsu cõmuni humanæ vitæ nõ excluditur. Quidnam verò impuri in eo inuenire poterũt, quod filius Dauidis super asino sedit? Quorsum deinde Zacharias vaticinio eius respexerit, ignotum non est. Docere nimirum voluit, quod redemptor qui venire debebat, vitam regum mũdanorum more pomposam non ducturus, sed pauper, & alicui de vulgo communi similis futurus esset.

IVDÆVS. Cur Iesus vester esurijt? XIV.
Quod si dicas, quod esurierit ideo, quoniam & carne & sanguine præditus homo fuerit; opponam ego tibi Mosen, qui & ipse carne sanguineq; præditus homo fuit, & tamen cum dies quadraginta noctesque totidem ieiunasset, ex quo Domino appropinquasset, iterum non esuriit. Cur igitur hic, qui Deus quoque fuit, in carne tamen esurijt? CHRISTIANVS. Cur angeli apud Abrahamum comederunt? Quomodo angeli per Sodomitas tam ignominiosè & excepti & tractati fuerunt? Quomodo dicit Deus, quod Mosis impediens ipsum faciat, ne vltionem, quam sibi proposuisset exercendam, exercendo non exerat?

Sed ad huiusmodi porcorum istorum obiectionem responsio facilis est. Christus

enim esuriit ob id, quod, cum carnem nostram induisset, etiam siti, nec non accidentibus humanis & infirmitatibus aliis, excepto tantum peccato, sese subiecisset omnibus. Interrogationis eorum causam afferunt equidem hanc, quod de Mose tale nihil reperiatur. An verò somniant isti, quod Propheta sanctus ille, rursus edere sicut antea solitus erat, desideraturus non fuisset, si eum infirmitas & fragilitas naturæ ipsius ad id faciendum compulisset? Aliâs enim petulantia mediocritatisque excessu peccasset, si cibos sine vlla necessitatis causa consumere & iisdem abuti voluisset. De Elia verò quid sentiunt? Etenim cum Dei spiritus duos hos diebus quadraginta ieiunauisse testetur, eo satis ostendere vult, quod diutius tempore illo quod expressum est, à cibo non abstinuerint. Itaque cum Christus ad officium munusque suum obeundum sese præpararet, per ieiunium dierum quadraginta illud inchoare voluit, ne minor, quam Moses Eliasque fuissent, esse putaretur. E quo perspicuum est, per potentiam cælestem & diuinam factum fuisse, quod ab edēdi & bibendi necessitate, cui mortales omnes obnoxii sunt, liberi deprehensi fuerint. Quoniam verò non minus vtile fuit & bonum, vt à nobis pro fratre agnosceretur, qui vitæ communis conditionibus & accidentibus

bus non minus atque nos, subiectus esset; itaque quamprimum tempus ad ieiunandum ordinatū decursum esset; ad id, quod hominis veri natura proprietasque requirit, reuersus est. In omnibus autem his infirmitates & necessitates humanæ ei non plus dominatæ fuerunt, quam illemet ipse pro mera eius bonaque voluntate; vt nobis conformis esset, se eis submittere non recusaret.

IVDÆVS. Si agnus paschalis Iesum præsignificauit, & effigurauit, sequitur ex eo; quod Iesus vno plures & nasci & suspendi debuerint. Israelitis enim, vt tempore festi paschalis agnum duntaxat vnū mactarent, mandatum nō est. CHRISTIANVS. An igitur sacrificia ista omnia, quæ in templo Hierosolymitano mactata offerri solebant, significationem prorsus nullam habuerunt? certè si hoc ita esset, sacrificia ista, quam Ægyptiorum superstitio, meliora non fuissent. Deinde scimus, quod Mosi mandatum fuerit, vt omnia secundum formam, quam prius super monte viderat sibi monstratam, facere meminisset. Quod autem is, qui Mosi præceperat hoc, fuerit Dominus ipse, id Iudæi ceu non possunt, ita negare quoque non audent. An autem ex eo, Deos vno plures vel potius innumerabiles inferri permitterent? Cum præterea agnus XV.

ille paschalis & typus & pignus liberationis fuerit, an igitur illi dicere vellent, liberationes tam multas esse factas, quot agni per familias iussu diuino mactati sunt?

Nos verò loco responsionis confitemur, & id quidem libenter, prout facere nos oportere scimus, quod pietas & religio vera, non ficta, id iubeat; confitemur, inquam, quod agnus paschalis ille non modo typus & figura Christi fuerit, sed quod sacrificia quoque reliqua typi generis eiusdem fuerint. Nimis enim & crassum & absonum est, quod quasi somniando sibi persuadent Iudæi, Deum per odoremadipum, vel aspersionem sanguinis, vel mactationem & occisionem animalium reconciliatum fuisse, per eadem que peccata hominum expiata, illis amplius nocere nequiuisse. Quare, si nos rem bene consideremus, in omni legis ministerio, per dominum Deum aliquid lõge sublimius & diuinius, quam lex ipsa, præ se ferret, figuratum fuisse facile perspiciemus. Quod autem isti ex eo ipso, concludunt, Christos vno plures cum quærere, tum quæsitos habere oportere; id profecto nimis & crassum & stultum est. Vt enim scirent patriarchæ, quod ipsi sub lege perfectionem nondum consecuti fuissent, Deus iisdem præcipiendo voluit, vt, si quando reconciliationem quærere

rere vellent, media hæc sibi proponerent considerandа. Quod si oblatio vel bouis vel vituli cuiusdam, ad reconciliationem suffecisset; sacrificiis oblationibusque tam multis opus minimè fuisset: sed vel bos, vel vitulus vnus suffecisset.

Repetitio autem sacrificiorum ista tam multiplex eos admonere debuit, quod in typis præfigurationibusq; talibus perfecti nihil inesset.

Eodem quoq; modo sacerdotes omnes personam Christi gessisse & repræsentauisse; illorumq; plures creari oportuisse; siquidem vnus post alium secundum prouidentiam diuinam de statione sua terrena moriendo, gloriamque sacerdotalem perdendo decedere consueuisset, affirmamus.

Christus autem, qui propter id è mortuis resurrexit, vt sacerdotium gereret æternum, vnicus ille, & præter eum non alius sacerdos est vllus. Sed ne ego in negotio hoc non nimium difficili nimium longus sim, dicens fateor coram omnibus qualicunque ingenio præditis, quod regnum per Dominum in domo Dauidis ab eo ipso ad posteros eius omnes institutum, Messiæ tandem aliquando præsto futuri præfiguratio tantum præsignificatioque fuerit. Quis verò tam stultus & ineptus esset, vt no-

bis ob id obiiceret, nos Christos vno plures constituere?

XVI. IVDAEVS. Accipite panem hunc, hic est corpus meum; & vinum hoc, hoc est sanguis meus testamenti noui, &c. Quomodo fieri potuit hoc? Aut enim de carne eius propria frustum quodpiam fregit discipulisque porrexit; aut corpus eius è pane vinoque compositum fuit, & de reliquiis, panis & vini corporis eiusdem materiebus, dedit discipulis eius. Et hoc est corpus illud de quo discipuli eius & comederunt & biberunt. CHRISTIANVS. Gum Deus per Esaiam mortales omnes ad se vocans inuitat, vt venientes emant sine pecunia, edant & bibant gratis tum vinum, tum lac, tum mel deniq; eousq;, dum satientur; an ibi non aliud quicquam significare vult, quam quod ventres fidelium suorum transituris perituris que rebus his; vino, lacte, melle, implere & saginare decreuerit? Cum in Psalmo scriptum est; *Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum, potum dabis eis:* an innuit istic propheta, quod vita cælestis spiritualisque cibo terreno potuque mundano conferretur?

Isa. 55. 1.

Psal. 36. 9.

Sed hæc Iudæorum interrogatio tam puerilis solutu facilima est, è puro illo rectoque verborum Christi intellectu sumpta. Et sanè verba Iesu versi in Papatu

per

per mendacia tam crassa, vt manibus palpari possint, mirè falsificata sint; id tamen causæ nequaquam satis est, cur ob hominum quorundam ignorantiam bestiæ hæ nobis insultare nosque pudefacere præsumant. Christus corpus eius in frusta neque scidit, neq; rupit; quemadmodum corpus idem neque è pane, neque è vino composuit aut fudit. eo tamen non obstante discipulis id edendum dedit; sed modo singulari; nempe spirituali: prout tempore quoque præsente per spiritus eius virtutem occultam facit, vt caro eius quotidie cibus noster & sit & maneat.

Nos igitur affirmamus, quod apostoli Christi carnē eiusdem verè comederint: modo tamen haud eo, quo carnes communes, & in macello emptæ, edi solent; sed quatenus Christus animas apostolorum ad vitam cibauit æternam: quemadmodum animas quoque nostras omnium adhuc quotidie cibat, vt eæ tali esu spirituali ad vitam nutriantur illam æternam; perinde vt corpus pane vinoque cibatum in vita conseruatur hac terrena.

IVDÆVS. Quid sibi vult hoc, quod anima eius ad mortem vsque tristata fuit? Si dicas causa carnis eius, quæ mortem abhorruerit, id ei accidisse, sunc econtra, mihi concedas opor- XVII.

tet, quod dixerit ipse, *Anima mea*, nequaquam verò, *caro mea*, tristis est. Et notum est omnibus, quod caro non loquatur, vel sciat quicquam: cum tanquam truncus aliquis vel lapis sit, si vis spiritus eius ei nõ adsit. CHRISTIANVS. Quod si caro sensus & motus omnis expers est,
Iesa. 40.5. quomodo igitur ait Iesaias, quod caro omnis gloriam Dei contemplatura sit?
Genes. 2. Cur ait etiam Moses, quod caro omnis vias eius super terra corruperit? Imo, cur lex ascribit carni omne id, quodcunque hominis proprium est?

Ex hoc autem apparet euidenter, quod canes hi rabiosi sine intellectu vllo arripiant & arrodant quicquid è testamento nouo afferri audiant. Quod per vocem, carnis, homines, atq; sic anima non minus quam corpus, intelligatur; eo ceu notius, sic vsitatius est nihil. Iam, quod nos dicimus, Christum ad auditum mortis sibi in carne subeundæ perculsum abhorruisse ab eadem, id de natura eius humana accipiendum volumus. Aliter enim fieri non poterat, quin tanquam homo naturalis naturaliter mortem abhorrens, ea percelleretur.

Interea tamen tristitiam & anxietatem illam in anima eius passus est; quod, dum corpus assumpsit, animam quoque simul assumpsit talem, quæ passionis particeps esse posset.

IVDÆ-

IVDÆVS. Quod si Dei filius est, pater autem & filius vnum sunt; sequitur, quod vtrunq; voluntatis eiusdem esse oporteat. Atqui Christus cum patrem oraret, *Pater mi*, dixit, *si possibile est, abeat à me poculum istud: Veruntamen non vt ego volo, sed vt tu.* Ex eo enim sequitur, quod voluntatis eiusdem non fuerint. CHRISTIANVS. Quomodo dicit Deus, quod mortem peccatoris non velit, cùm reprobatos tamen ad condemnationem reprobarit? *Miserebor cuius miserebor, & clemens ero, in quem clemẽs ero?* Ibi certè discrimen omne mortales vel damnandi vel saluandi Deus ad voluntatem suam & beneplacitum referens, clarè satis ostendit, quod spiritum conuersionis & pœnitẽtiæ mortalibus non det omnibus. XVIII. Matt. 26. 39. Ezech. 33. 11. Exod. 33.

Quomodo verò deinde sibi adscribit Deus pœnitudinem, non aliter atq; si mutabilis & inconstans, vel aliàs imprudens esset? Quid autem contra malignitatem Iudæorum securum nec non irreprehensum maneret? cum eo vsque progrediantur, vt mysteriis Dei occultis oblatrare & obloqui non vereantur?

Attamen solutio seu responsio ad interrogationem per istos factam sumitur à regula, (quam fundamentum quoque vel principium dicere queas) quæ istis, qui spiritu vertiginis & insipientiæ perculsi sunt, ignota est, hac: *Quod Christus Deus est*

*cum patre, id non effecit quo minus homo fieret; affectibus item, nec non inclinationibus humanis sese subiiceret.* Ac ita voluntas eius à voluntate patris diuersa fuit, qui homo voluerit omnia, quæ hominem propriè velle solere constaret. Aliàs in Deum neque spes, neque metus, neque gaudium, neque tristitia, neque alia vlla generis eiusdem cadunt. Vnde eum pateat ipsis, se fidei nostræ caput hoc, quod Christus nimirum, Deus & homo verus sit; euertere non valere, rixando seipsos frustra stulteque voluntate illa patris & Christi duplice vexant & affligunt.

XIX. IVDÆVS. Si Christus est Deus, cur igitur orans patrem dixit, faceret ille quod ei placeret? Ex eo enim facile videri potest, quod in potestate manibusque Christi non fuerit, vt vel hoc vel illud faceret, cùm, quodcunque fecit, secundum voluntatem patris id fecerit, secundum potestatem facultatemque eius propriam minimè. CHRISTIANVS. Cum genius ille, qui ad Abrahamum nec non Lothum venit, seipsum iudicem super Sodoma constituit, potestatemque Dei omnē sibi assignauit; & idem tamen paulo post ait, quod prius ne tantillum quidem facere possit, quam Lothius in ciuitatem nominatam peruenerit; an eum temporis potestas Dei hominis vo-

Gen. 19. à v. 12. ad 22.

luntatem

luntati & placito alligata erat? Et an manus eiusdem sic, vt facere non posset ipse quicquam prius, quam mortalis homo consentiret in hoc ipsum, constrictæ erant?

Tam verò friuolum est, quodisti nobis hìc obiectant, vt sanctus Petrus læ- 1. Petr. 3.
tus & intrepidus testari & gloriari non 19.
vereatur, Christum carne mortificatum, spiritu viuificatum fuisse. In Christo nimirum semper respicere nos oportet ad mediatoris officiũ, quod sine obedientia perficere non potuisset, prout obedientiam quoque, nisi se prius humiliauisset, præstare nequiuisset. Itaque Christus non duntaxat vt homo debilis & infirmus esse voluit, sed & formam seruilem assumpsit, & exinaniuit seipse; Phil. 2. 7.
non, quod per id potentiæ eius & virtuti aliquid adimeretur; vel, quod ipsa diminuta sit; sed quoniam quâ Deus fuit æternus, tamdiu quieuit & tãtisper quasi substitit, dum in natura hominis assumpta patri eius obedientiam perfectam præstitisset. Modo scilicet hoc sententiæ Christi duæ; *Ego potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem resumendi eandem*; Item, *Pater, glorifica filium tuum*, concordes & sibi consonæ sunt. Ioh. 10. 18. Ioh. 17. 1.

IVDÆVS. Cur dixit Christus ipse, XX.
Mihi potestas omnis & in cælo & in terra data est? Quis ei dedit eam? Etenim

si Dei filius est, & ita Deus ipse pro & per se, prout vos asseritis, quid opus erat, vt ei potestas eiusmodi daretur? An ergo mundus eius nō est vniuersus? CHRISTIANVS. Quomodo de populo Israelitico
Psal.114. 2. dicitur, quod ille sanctitas Dei fuerit, cum ex Ægypto eductus & liberatus est? cum sanctitas Deitatis nihil ab hominib. mutuetur; prout eadem neq; principii neq;
Psal.68. 32. 33. 34. 36. finis capax est. Quomodo iam deinde dicitur de Deo, quod ab hominibus deuictis munera donaque acceperit, perinde atque si per rapinam hostium diues euasisset: cum tamen cornu copiæ ipsummet
Psal.45. 8 in manibus eius, imò, ille sit ipse? Quomodo deinde dicitur in psalmo de Christo Deo tanquam rege, quod oleo lætitiæ fuerit vnctus plus, & largius, quam socii eius omnes? eo non obstante, quod ille-
Ibid 7. met ipse ibidem *elohim* siue Deus appelletur, cuius solium maneat in æternum?

Profecto nisi Christus vnà cum natura hominis paupertatem nuditatemq; eius simul assumpsisset, tum munus illud & donū quoq;, de quo sermo fit, abundans & inane fuisset. Christus sanè non dicit, quod secūdum diuinitatem eius, regnum precario commodatove acceptum habeat: sed indicat gloriaturq;, qua regni maiestate secundum humanitatem decora-
Ioh.17, 5. tus sit; prout alibi, *Nunc igitur*, ait, *glorifica me tu, pater, apud temet ipsum ea gloria, quam habui*

*habui apud te prius quam hic mundus exiſteret.* Quibus Ieſu verbis obiectio Iudæaſtrorum nihili putidaque plus quam neceſſe ſit, refutatur & euertitur: ſiquidē diſtinctè petit, vt iuxta gloriā eam, quæ hominibus antea fuerit abſcondita, in carne manifeſtetur. Eodem quoque modo diſtinguit hanc rem Paulus Apoſtolus; nempe quod, dum illemet ipſe humiliauerit & exinaniuerit ſe, nomē ei datū fuerit ſupra nomen omne, ſic, vt in nomine eius flectere ſe debeat genu quodcunque. Philip. 2. 7. 8. 9. 10. 11.

IVDÆVS. Quemadmodum caro ſpirituſq; ſimul homo ſunt vnus: ita ſecundum verba veſtra, diuinitas & humanitas ſimul iūctę Meſſias vnus ſunt. Quod ſi verum eſt, conſequitur, profecto, quod humanitate morte affecta, diuinitas etiam ipſa morte fuerit affecta. Nam ſi, prout vos affirmatis, Ieſus veſter ſimul & Deus & homo eſt, idem quoque morte affectus vt ſit, neceſſe eſt. Iam, ſi diuinitas eius morte affecta eſt, Deus certe nō fuit: quippe quod Deus affici morte nō poſſit. XXI.

CHRISTIANVS. Cum patres ſancti mortui fuerint omnes, an putent credantve Iudæi animas ipſorum mortuas, & vnà cum corporibus extinctas eſſe? Cùm deinde in literis ſacris tam ſæpe ſcriptum reperiatur, quod ſancti obdormierint, an putent iidem Iudæi, quod animæ ſimul cum corporibus intereant? Imò, eum

scriptura dicit, quod Absalomus longe rum magnorumque corporis membrorum fuerit, & vir Israelitarum pulcherrimus; econtra verò Dauid & ætate & staturâ minimus inter fratres eius, putabuntne animas & corda secundum proportionem, formam, mensuram corporis mensuratas fuisse?

Ibi iam verum est, quod vulgo prouerbialiter dici consuêuit: *Simile non est idem:* Quod assimilatur alii, non ideo idem est, quod aliud, cui assimilatur, est. Porci verò hi omnia naturæ elementa principiaque prima adeo peruertunt & euertunt, vt neque ratio vlla, neque intellectus locum apud eos vllum inueniant.

Affirmamus sane nos, quemadmodum animus & corpus hominem constituant vnum: ita Christum constare naturis duabus vnum: & id nos dicimus non ideo, quasi statuamus, quod similitudo illa per omnia par sit: sed ideò, quia conueniens & apta sit, ad vnionis duarum in persona Christi naturarum duntaxat vnâ, declarationem. Iam tametsi concederemus illis id, quod volunt, paria scilicet hæc esse, non similia tantum; præposterè tamen & peruerse ex eo inferrent, quod diuinitas Christi vnà cum humanitate supplicio mortis affecta fuisset. An enim tyranni, qui seculis superioribus sanctos persecuti sunt, rabiam q.

2. Mach. 6 & 7. capitib. & alibi pas sim.

emque ipsorum aduersus eos effuderunt, animas cum corporibus eorum trucidarunt?

An igitur Abelus per fratrem Cainum interfectus & animo & corpore funditus interiit? Iam, si post mortem corporis, anima eius, quæ tamen pars eius erat, superstes & inuiolata permansit; cur diuinitas Christi non multo magis in morte salua nec non illæsa permansisset, vt vt cum natura eius humana vel arctissime fuerit vnita? Gen. 3. &c.

IVDÆVS. Quod si venit in mundum hunc, vt semetipsum in vincula, imò, in mortem, pro vobis dederit; cur ergo dixit, quod Iudas Iscariothes ipsum prodiderit & tradiderit; cum tamen expresse venerit ob id, vt iudicatus supplicio mortis afficeretur? CHRISTIANVS. Quomodo dicit Iobus, quod Dominus ei bona eius abstulerit, eo non obstante, quod id per prædatores factum fuisset? Quomodo dicit autem Deus ipse, quod sibilo suo Ægyptios excitet, & Assyrios armet, si talib. annuendo duntaxat id faciendi signum det: quippe qui veluti securis in manu eius sint? cum interim machinationes illorum malas, quas meditarétur, reiiciat; quodq; tales in istis vindicare velit, minitando testetur. Iam, quid illimet ipsi de Messia ipsorum teneant, si quis ex eis quærat, quid respondeant? XXIII. Iesa. 10. 15.

Iesaiæ 53.10. Esaias enim dicit, quod ille vitam victimam daturus sit pro peccatis populi eius, nec non infirmitatem eiusdem portaturus. Ibid. 5. Dicit etiam vates idem, quod à Deo Messias idem percussus, vulneratus & flagellatus sit. Ibi certè concedere cogentur & fateri, quod vel illemet ipse vim vitæ manu propria inferre, vel per alios vitâ priuari debuerit.

E dicto autem Esaiæ illo, quod nos adduximus, notum & manifestum est, quod in locutionibus duabus his pugna nulla sit; cum dicimus, quod Messias semetipse voluntariè det in mortem, vel, quod ab impiis & atheis trucidetur. Ob id enim per mortem ipsius nos patri reconciliauit; cum per obedientiam eius peccata flagitiaque nostra omnia quasi sepulta sint & extincta. Igitur vt Christus sacrificium esset voluntarium, necesse fuit. Sed per admirandum Dei consilium idemque arcanum factum est, vt idem ipse, qui se sponte prompteque traderet, ab impiis in crucem abriperetur. Ita Deus, cuius voluntas erat, populum eius ex Ægypto educere; idipsum Mosi iniunxit efficiendum. Contrà Deus idem Pharaonem suscitauerat, vt, per inobedientiam istius rebellionemq; sibi nomen gloriosius acquirere posset.

Christus ergo patri suo sic obedientiam præstitit, vt Iudæ tamen ad patran-

dam,

dam, quam patrauit iste, proditionem, auxilio non fuerit.

IVDÆVS. Quod vos affirmatis, nos ideo, quia Iesum occiderimus, ex eo tempore in exilio & in terra aliena vagatos esse, id profecto verum non est. siquidem nos & ante mortem ipsius in exilio fuimus. Esto nihilominus vt vultis: scriptum tamen est in Euangelio, quod tempore mortis patrem rogarit, vt ipsum crucifigentibus facinus eorum condonare vellet, quippe quid agerent ignorantibus. Iam, si pater & filius vnum sunt, siq; voluntate præditi sunt eâdem, peccatum istud, quod eum supplicio mortis afficiendo commisissemus, remissum esset: vtpote quod remisisset ipse, qui Deus esset. XXIII.

CHRISTIANVS. Cum Deus optet Iudæis, vt sapientes facti perspiciant, quid illis post euenturum sit; qui fit ergo, quod cæci maneant, & in stultitia ipsorum persistant? cum tamen in manu voluntateq; Dei positum sit, sapientiam & intellectum, quibus spoliati sunt, illis impertiri? Iam, cum Deus apud Esaiam quoque dicat, captiuitate vel exilio annorum septuaginta contentum se esse velle, ex eoque tempore misericordia clementiaque æterna erga Iudæos vsurum; qui fit, quod tempore tam longo vindictam in posteros eorum exerceat? Deut. 32. 29.

Primo perdita nec non execrabili in-

duratione & excœcatione, quæ reparati non potuit, nihil aliud meriti fuerunt, quam vt immensurabilibus aduersitatis exiliique velut aceruis sine fine modoque cumularentur: idque sic, vt quilibet ex infortunio illorum lætitiam perciperet; nullus econtra, quem calamitatis eorum misereret, inueniretur. Quæ enim (amabo) hæc tam horrenda induratio excæcatioque est, vt isti, quamuis iam per annos tot centum continuè sub manu Dei irati humiliati, imo, comminuti iacuerint; superiure tamen ipsorum tam confidenter animoseque se iactent! E prophetis notum & manifestum est, quam horribilia scelera peccataque flagitiosa sub populo isto commissa fuerint diu ante, quam in exilium abrepti fuerunt. Esaias principes eius prius annis vel centum principes Sodomiticos, & populum ipsum, populum Gomorrhæum vocauerat. Quod quamuis ita sit, ex eo nihilominus tempore non destiterunt per indurationem eorum diabolicam nec non execrabilem, Deum ad iustam seueramque vindictam & pœnam contra superque se incitandi & inflammandi. Eo tamen non attento, Deus postea, quam pœna exilii annorum septuaginta decursorum transiuisset, Hierosolymam de manu eius pro peccatis eius omnibus duplicia suscepisse

Iesa. 1. 10.

Iesa. 40. 2.

pisse dicere non recusauit: *Consolamini*, inquiens, ô Prophetæ, *consolamini populum meum, dixit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalaim, & clamate ad eam, quod completum est tempus eius, quod remissa est iniquitas eius, quod suscepit de manu Iehoua duplicia, pro omnibus peccatis suis.*

## EPISTOLA LVDOVICI Carreti Iudæi ad religionem Christianam conuersi, per illum ipsum Liber visorum diuinorum inscripta. Hac cùm liberos satu proprio editos, tum reliquos Iudæos Israele prognatos, vt & ipsi veritatem complectantur, hortatur. Hæc iam secundo ex Hebræa in linguam Latinam maiori rerum quam verborum Hebræorum ratione habita Hermãni Germbergii studio conuersa est; iis, quæ declarationis & interpretationis gratia sæpius accesserunt, in vncos inclusis.

LVDOVICI Carreti tum, quando munere sacerdotali in Israele adhuc fungeretur, Theodori nomine vocati, verba, cum ad filios proprio eius satu editos, tum ad omnẽ Israelitarum cœtum, postea quàm Dominus per signa & visa vim diuinam in eo (nempe Carreto) sic exeruit, vt oculis mentis eius illustratis verum intelligẽdo perspiceret, per eundem missa. Ablatum fuit misericordia dominica velum ab oculis eius, & conuersus est ad dominum ex corde toto, ex animo toto, & è viribus eius totis, vt crederet in eum, & in Iesum filium & vnctum eius: cæteris interim Iudæis, perinde vt temporibus

bus etiã priſcis retrorſum declinauerunt, in tenebrarum obſcuritate relictis. Ceruicẽ enim ipſorum indurauerunt, admonitionem admittere noluerunt, legi diuinæ obtemperationẽ præſtare abnuerunt. Conuenite ote & auditote, qui Theodoro natieſtis; atrẽditote Ludouicum patrem veſtrum. Auditote, & viuificabitur ſpiritus veſter, & in adipe deliciabitur anima veſtra. Eloquar virtutes Domini, cuius fides ingens eſt. Nec ad vos tãtum modo facturus ſum verba hæc; ſed & ad filios Iſraele natos tam remotiſſimos quam proximos, Miſericordias Domini commemorabo; Res arcanas aperturus. Narrabo viſa diuina, vt cognoſcant & intelligant, & in ſenſibus imis ipſorum recondant; hęc manu Dei perpetrata, non meo conficta eſſe commento. Verum prius quam ad dicendum aggrediar, peruerſitatẽ & calumniam labiorum amoliri à me conabor. Scio enim in Iſraelitis homines peruerſos eſſe, radicem fel & abſinthium producentem: q̃ è tenebris lucem, è luce viciſſim tenebras efficiẽtes homines condẽnent innocẽtes. Iſti verba hæc falſa & fallacia eſſe dictitabunt: quippe quæ ipſe mea ipſius ſponte cõmentus ſim; & id ipſum quidem longè aliâ, quam veritatis patefaciendæ, cauſſa. Nũc ergo nati chariſſimi, meam & illorũ cauſſam cognoſcitote & diiudicatote. Agite igitur diſceptatione, per quã veritas

declaretur, inter nos certemus. Scitis vos ipsi, quam vehementer, quam sincere vos amârim. Quo tempore mea ipse voluntate, non suasu cuiusquam, impulsus sum, vt ad Iesum Domini vnctum conuerterer, Genuæ domi meæ, tranquillus, quietus, gratus denique ciuibus vrbis omnibus, & rebus quibuslibet abundans agebam. Vxor mea sic, vt vitis vberrima, in lateribus domus meæ, nati mei perinde vt oliuarum stolones circũ mensam meã stare solebãt. Quin & equum, seruum, ancillam itẽ habens, rei nullius indigebam. Porrò, cum annos circiter quinquaginta natus essem, fortiter p populo nostro aduersus Christianos quotidie disceptãdo digladiabar. Cæterũ, quoduis cum electione & voluntate agens libera, finis alicuius ergo agit sine dubio. Est aũt finis boni illius, quod mortales omnes natura duce expetere solent, inuestigatio. Verum cõtrouersia & dissensio inter eos è iudiciorũ varietate pmanat. Sunt n. qui bonum delectabile expetant; sunt & qui bonũ vtile, sunt denique nonnulli pii nec non integri viri, qui bonũ illud absolutũ & summum, q amor Dei & animi felicitas est, adament. Nunc ergo, quid horum ad hanc animi mei mutationẽ me impulit? Non equidem boni voluptuosi istius, non commodi vllius amor & cupido. Scitis enim vos ipsi, quot ærumnas, quot molestias perpessus sim, ex

quo

quo militiæ Christianæ nomẽ dare cœpi: scitis quot labores exantlârim, peregrinationibus ꝑpetuis, defatigatione corporis, iactura forunarũ grauatus: & id vestra solorum qdẽ omniũ, non mea ipsius, causſa; cũ vos amans sub clementiæ diuinæ alas adducere studerem. Quod si bona mundi inania cõcupiuissem, talia [qualia me perpessum fuisse commemoraui] mihi nunq̃ cõtigissent. Poteram scilicet mecum habitare vt prius, & voluptatibꝰ perfrui mũdanis. Hinc ergo manifestum fit, bonum summum hîc mihi necessario fuisse propositũ: quã animi mei cogitationẽ facta quoq; ipsa confirmant. A Domino, qui Dominus vnus cordium scrutator est humanorũ, factũ est hoc totum. Celebrabo Dominum è toto corde: ꝑdicabo nomen Iesu nati & vncti eius, q̃ mirificè mecũ se gessit. Ipse. n. hæc omnia & ter & quater mihi, partim cogitationibus tacitis ostẽdit, partim visis nocturnis & somniis aures meas vellicans vt animam meam è foũea, è puteo ꝑfundo, è luto cœnoso criperet, intelligenda dedit. Quocirca librũ hũc VISA DIVINA inscripsi. Benedictus sit Dominus, qui misericordia sua me nõ destituit. Cum sospes agerem domi meæ in valle Florentiæ, & vrbs ea obsidione pressa expugnaretur, per quietẽ somnium vidi tale. In valle spacioſissima quadam, quam senes quidã diadematib. redimiti, & splendore radiantes diuino cingerent

vndique, me esse, mihi videbar. Ibidem porro domus nulla, tentorium nullum; planicies verò magna, quam lux quędam, qualis cælo sereno conspici consueuit, ex alto collustrarer, erat. Splēdor autem comitabatur eos tātus, quantum iubar dierum septem esse possit. Sol tamen & luna ibidem nō apparebant. Verba deinde circum illos scripta erant hæc: *Sol tibi non lucebit amplius diurno, nec luna splendore suo collustrabit te;* [tempore nocturno,] *sed Dominus erit tibi lux æterna, & Deus tuus decor erit tuus.* Ego verò stupens & attonitus tacebam; vt & quid, & quamobrem id sese mihi sic offerret, cognoscerem. Oculis deinde sursum sublatis viros conspicio duos, qui per vallem istam mediam deambulantes, obuios mihi se dant. Hos ego festinans, cursu consecutus sum. Me eos assecuto, alter eorum allocutus alterum; Expone isti, inquit, somnium. Qui ad me verba hūc fecit in modum: Cras domum meam verbum dominicum tibi narratutus venito. Cum posterperct? somniū esse cognouissem, mœrore affectus fui, quod mihi visus illi? magni recordato interpretatio nulla proposita fuisset. Ea tēpestate duci cuidam Hispano medebar. Cū igitur illum mane inuiserē, in tres quinquagenarios, familiares illius, incidi. Isti mihi, vndenam venirent, quō irent, quid agere instituissent, interroganti, ad domum viden-

Esaiæ 60. 19.

dentis, qui astrologus esset, de Chiara, & cuius verba per id temporis fierent tanti, quanti verba Dei ipsiusmet oraculo consulti, pergere se subiecerunt. Cū præterea de conditione deq; forma videntis illius eos scisciterer, tuncilli, Veni quoque tu iturus nobiscum, & illi neminem in toto terrarum orbe parem esse deprehendes, responderunt. Profectus ergo cum viris illis ad domum videntis, simul ac eum cōspexi, exhorrui. Forma enim eius similis erat formæ illius, quem per quietem conspicatus eram. Tum vates ille me compellans; Adesdū, dicebat, huc ad me. Id quod cum feciſſem, ille tacitus os meum cœpit intueri. Me igitur; ecquid rei nouæ quam miraretur, ipsi accidisset, ex eo percontato; etiam, inquit ille. Lætum enim faustūque nuncium tibi dies hodiernus hic affert. Etenim propediem in virum alium, quam nūces, euades; populi nobiscum futurus eiusdem. Dominus enim illuminabit super te faciem suam; vt ad Iesum vnctum eius conuersus, voci illius morē gerere ne recuses. Ego vero moxira accēsus, mendacium, inquam, loqueris, nunquam futurum, summaq; cum indignatione ab eo discessi. Postea verò quam a ipso me subduxi, cor meum me perculit. Recordabar enim spectri & formæ viri illius, qui verbum diuinum se mihi explicaturum pollicitus erat. Pronus igitur ad Dominū,

preces profudi has: *Obsecro te Domine, ne me derelinquas, neq; à me discedas; sed potius opem ferre mihi festines; mihi, qui procellarũ fluctib. propemodũ adobruar. Tu enim qui hominũ corda cognita habes & perspecta, me cõsternatũ animo valde perturbato esse vides. Si à te id profectũ est, præbe famulo tuo cor, vt intelligat; oculos, vt videat; aures, vt audiat. Quod si res inanis est, in tentationem ne inducas me, quæso. Aperi oculos meos, vt videã, & cor meũ flecte ad testificationes tuas, qui te fretus sim.* Rebus his ita transactis, ad testamẽti noui lectionem animum meum appuli, vt euangelium Iesu Christi & legem eiusdẽ scrutatus ea perspicerem. Epistolas etiã Pauli, & scripta reliquorũ perlustraui. Vbi perlustraui, recta & cõsentanea omnia, eadẽq; tricis plane nullis, ambagibꝰ nullis inuoluta; sed monitis potius & præceptis saluberrimis, quæ super mandatis duobus, quib. lex Mosaica cõsummatur; vno quidẽ *Diliges Dominũ Deũ tuũ*: altero verò, *Diliges alterũ tuũ perinde atq; teipsum*; fundantur, referta esse deprehendi.

Negari tamẽ nequit, ritus Christianorum, Doctorũ itẽ, & ecclesiæ constitutiones, vt videre est, tã multis in rebus à lege Mosaica discrepare, vt eã in vniuersũ abnegare videantur. Ea de causa operam sedulo dedi, vt quomodo id factũ, aut qdnã esset, intelligerẽ: q; Iesum se legẽ non abrogatũ, sed candẽ impletum confirmatũque

quę veniſſe dixiſſe ſciré. Cum igitur è cõ-
trouerſiis & diſputationib. veritas eluce-
ſcat, in quotnã reb⁹, vt videbatur, leges hæ-
duæ, quę re vera lex vna tantũmodo ſunt,
differrent, inueſtigare decreui. Et ſanè
diſſenſio nulla, controuerſia nulla, niſi ex
idiotarũ & doctorũ Thalmudicorũ, quo-
rum oculos, ne cernant; corda, ne intelli-
gant, Deus obſtruxit, opinione, ſupabat.
Id aũt ſeſe ſic habere, in libro, quem Deo,
eodẽ clemẽter annuente *Errores Thalmu-
dicos* inſcriptur⁹ ſum, demõſtrabo. Quia
verò cauſſę diſſenſionũ quarũuis quatuor
eſſe ſolẽt; hebetudo, cõſiderãtis; altitudo,
rei conſideratæ; cupiditas victoriæ; amor
vſus & cõuerſationis: iccirco Deũ obſecra-
ui, vt me, quo impedimẽta illa duo priora
à me, q posteriora totidẽ ope illi⁹ diuina
à me ipſe amoliturus eſſẽ, auferrentur, il-
luminare dignaretur. id q & vos faciẽtes,
Deũ, vt veſtri miſertus, ſpiritum gratiæ &
clemẽtiæ ſuper vos effundat, ſupplices ro-
gitatote. Deus. n. miſericors & clemẽs Do-
minus, patientiſſimus itẽ & beneficẽtiſſi-
mus eſt. Sed vt ad rẽ ipſã accedã, hominũ
leges illas duas colẽtiũ cõtrouerſias in ca-
pitib. numero ſex verſari intelligo. Primũ,
eſt negotiũ trinitatis. Vt. n. Deum vnũ, ita
trinum adorant Chriſtiani. Id aũt Iudæi
faciunt nequaquã: *Iehouah Deus noſter Ie-* Deut. 6.
*houah vnus eſt*, ſe ſcriptũ inuenire dictitã-
tes. Secundum, eſt ſup incarnatione ver-

bi diuini, id quod diuinitas est Christi. Hanc, Christianis eam firmiter credentibus, pernegant Iudęi; *Ego Dominus nō mutor*, literis sacris proditum esse dicentes. Malach. 3.6.

Tertium, est de aductus Christi modo. Putant Iudæi Christum & viri & fœminæ filium futurum; cum copiis magnis & manu validissima venturum; exules reducturum; gentes omnes, regna omnia ope diuina deuastaturū; inditionem ipsorum eos reducturum esse; quod, *Gladius Domini sanguinis plenus est*: & mox; *Gens & regnum quæ tibi non seruient, peribunt*, scriptum legatur: Christus autem, in quem credunt Christiani, fuerit, vt perhibeant ipsi, filius virginis per Spiritum sanctum obumbratæ, pauper, asino vectus, qui in facinorosis numeratus, peccata ferens multorum, eadem, in corpore suo luerit ipsorum loco.

Quartum, est in præceptorum obseruatione. Aiunt Iudęi legem Dei integram esse, & ne post aduentum quidem Christi seruatoris ipsummet abolendā: Christiani verò negant cęremoniis aut præceptis vllis, nisi Dei & proximi amorem inculcantibus, post aduentum Christi opus fuisse.

Quintum, est de animæ salute. Iudæi putant hominem per opera sua bona saluarum iri, & Deum pro factorū & studiorum meritis gratiam cuiuis vni relaturum.

turum esse. Christiani, Quid est homo, vt iustificetur in quiũt. Scriptum enim esse, *Cum seruo tuo in iudicium ne intres, quaso, quod eorum qui viuunt coram te nemo iustificari possit.* Neminem itaq; saluari aiunt, inquam, nisi per Iesum Christum, qui animam suam morti obtulerit, & cuius flagellatione curati sint homines omnes, qui legem Dei seruantes & à malo recedentes, opera bona, per virtutẽ passionis illius & gratiam diuinam bonitatemque eiusdem meritoria exequantur, & non rebellent: quod rebellio peccatum sit, incantationis instar habens, & iniquitatis, & theraphim transgressio. Iob. 15. 14. Psal. 143 2. & Psal. 130. 3. 1. Reg. vel 1 Sam. 15. 23.

Sextum, est de aduentus Messię tempore. Christiani & dicunt & credunt Iesum illum Nazarenum, esse Christum, qui anno ab orbe condito ter millesimo septingentesimo sexagesimo venerit in hunc mundum: Iudæi Christum venisse negant, cum vaticinia super eius aduẽtu, quale est de exulum reductione, de templi reædificatione, de Sodomę Samariæq; in statum pristinum restitutione, nondum impleta sint. Quin & terram gloriæ dominicæ cognitione impletum iri, aliaque permulta prius euentura esse contendunt. Controuersiæ sunt inter eos præter enumeratas has & aliæ, ab his tamen ortæ. Præcipuæ verò sunt hæ, quæ iam iam cõmemoratæ sunt. Ego autem ad disquirendum, scrutã-

dum & disceptandū sup controuersiis sex hisce singulis sic accinctus sum, vt si in ipsarū aliqua cōsentiētes doctorum legis vtriusq; sentētias inuenero, de ea disserere nolim. Id. n. non decet quenq; nisi eū, q̄ leges repudiet ambas. Verū si Deo annis vitę meæ decutis cōplures adiicere dignabitur, librū, cui titulus, Petra cōtrouersiarū, per me dabitur; conscribā, in quo omniū sibi contradicentium cœtū, philosophum scilicet, Iudæū, Christianū & Ismaelitā, p-ducā; & eos, vt inter sese disceptent, committam; vt quisquis iusta & vera in mediū attulerit, is palmā obtineat. In præsentia verò nulla re opus est alia, nisi vt legum duarū, vtrarumq;, sic vt dictū est, in lege Mosaica fundatarū, professores inter sese disceptēt. Cum itaq; caput cōtrouersiarū talismodi sex primū examino, cur Iudæus cū Christiano contēdat, equidē caussā eū habere nullā dephēdo. cum Iudæi veteres, sapiētes Cabalistæ, apud eosdem veritatis doctores appellati, fateantur idē q̄ Christiani. Dixit enim magister noster Hainus Caonius tres luces esse; lucē scilicet antiq̄, lucē puram, lucē purificatā; omnes tamen Deum vnum esse. Nullo enim modo istic pluralitatē vel Deorum multitudinē esse: q̄ [luces] & in vertice siphrarum deprehēdatur. Quin & Rabbinus Moses filius Nahmanis in expositione capitis Chitissa cōfirmat illud ipsum. Ge quetilia item & cæ-

ceri

teri Cabalistæ de notis numerorum dece-
tractantes, tres, inquiunt, summæ sunt, ab
vllo nunquam visæ. Dissensio tamen ibi
nulla, defectus nullus est; absit. Id. n. si quis
ita sese habere crederet, eum, ob id mortē
promeritum, hominem nunquam natum
fuisse præstaret. Vides ergo cōtrouersiam
inter eos nō esse, nisi in nominibus solis;
Christianis patrē, filium & spiritum san-
ctum luces aut summas illas appellanti-
bus. Hac igitur in re dissensionis est ni-
hil. Etenim Cabalistæ quoq; ipsi nume-
rum primum, qui æternitas est, patrē pri-
mordio principioue carere dicunt, vt in
Hazzoharis libro videre est. Porro pater
& filius sine dubio correlatiua sunt. Nume-
rus aūt secundus apud Cabalistas sapiētia
illa, per quam mūdus creatus est, appella-
tur. Scribitur enim, Iehouah in sapientia Proverb.
terram fundauit. Vocatur & principium, 3.19.
quando dicitur, *In principio creauit Deus*. Gen. 1. 1.
Ideo vertit Ionathan, *In sapientia creauit*
*Dominus*. Ea per Christianos Verbum
Domini, vocatur; id quod idem quoq; est.
Scribitur. n. cælos verbo Domini factos
esse. Numerus tertius, Cabalistis intelligē-
tia, Christianis Sp. est S. Is. n. scientiam In-
telligentiā se cognoscere cupientib. imp-
titur: prout scriptum, *Et factum est, vt, si-*
*mul ac spiritus quieuisset, prophetarint*. Vno
tamen ore testantur & prædicant o-
mnes, Dominū vnum esse, & nomē eius.

vnum. id quod innuit vox *agla* Cabalistis nota. Aleph enim & lamed constituunt *el* Hebræum, quod Latinis est *Deus*. Gimel autem tria, aleph vnum est, quasi diceret; Deum esse trinum & vnum. Hoc scilicet est, quod scribitur, *elohim creauit*. Non enim audiēdi sunt, qui aiunt *elohim*, illūd numeri singularis esse, forma tamen plurali; quale sit & *thamim*. Inuenimus n. scriptum, *Deus ab austro veniet*, numero singulari; & ecōtra, *Cui dii sunt proximi*, & *Quoniam dii sancti est*: vbi voces *Proximi*, & *Sancti*, dubio procul plurales sunt. Verbis aūt non opus est pluribus. Et in libro, quē Deo propitio edituri sumus, & cui titulus *Perfectio fidei Israelis* erit, liber legis Mosaicæ nec non Euangelicæ perfectē consummabitur. eruntq, libri isti duo re ipsa liber vnus. In eo loci omnes, aut illorum plurimi pfecto, de negotio hoc loquētes a nobis explicabuntur. De controuersia tertia, diuinitatem Christi, & eiusdem cum numero secundo vnitionē spectāte, disceptare non est opus. Doctores enim Iudæorum iam olim versum illum, *Extolletur & euehetur, & eminebit multum*, mystice sic interpretati sunt, vt *Extolletur* supra Abrahamū: *Euehetur* plus quam Moses: *Eminebit* supra angelos ministerii, significare dixerint. Assumēdū igitur, & cū Deo extra cōtrouersiā vniēdū crediderūt. medium n. apud eos inter Deū & angelos

Habac. 1. Deut. 4. 7. Esa. 24.

pre-

præter hominē nullum reperimus. Hinc est quod dixit Ieremias, *Et erit fortis eius ex eo, & dux eius è medio eius prodibit, & offeram eum, & ad me accedet... Quis enim est, qui consuum ita dirigat, vt appropinquet mihi? ait Dominus.* vbi duorum obseruandorum prius quidem est, quod *Fortis eius* dicendo, diuinitatem eius ostendere voluerit; quomodo dicitur & illud, *Fortis in sublimi Dominus*: posterius verò est, quod, *Quis est, qui consuum ita dirigat, vt appropinquet mihi?* dicendo, appropinquationem & vnitionem tam admirabilem, vt narrata non credatur, significare videatur. Et enim si vnitionem talem indicare noluisset, quænam, amabo te, magnitudo eius esset? quot enim reges ex Israele prodierunt? quot vates? quot sacerdotes oblati sunt! Scriptum enim est, Et *Moses accessit*: & mox, *Et sacerdotes, qui offeruntur Domino*. Quin & Gequetilia in loci eius expositione, Et factum est, ait, vt, cùm consensuisset Isaacus, Israelitæ sub iudicii seueritate fuerint vsque ad Messiæ aduētum, qui vnitus est cum numero secundo, nempe sapientia: vt scriptum est, *Et spiritus Domini requiescit super eo, spiritus sapientiæ*: &, *Descendere faciet ab æterno* (id quod totum misericordiæ eius asscribendum est) *spiritum gratiæ & clementiæ*. Viden'. Sententia igitur Cabalistarum hac in re cum sententia Christianorum

Ierem. 30. 21.

Exod. 20. 21.

consentiens est. Disputationes tamen de rebus hisce subtiles & speciales ad Theologos remittimus: quòd, vt supra meminimus, breuitati studeamus. Controuersia igitur tertia inspecta ius à Christianorum partibus stare perspexi. Scriptum enim est, *Ecce, rex tuus veniet tibi iustus & saluator, egenus, & equitans super asino.* Zach.9.9 &, *Non in exercitu, neque in viribus, sed in spiritu.* Zach.4.6. Ita de populorum congregatione dicitur, *Et ipsi congregatio populorum.* Gen.49.10. Item, *Et dabo te lucem gentibus.* Esaiæ 49.6. Quod verò exules reducturus non sit, ostendit per id quod, *Et Israel non congregabitur*; affirmat. Ieremi.23.6. Quod verò scriptum est, *Et in diebus eius saluabitur Iuda, & Israel tutus habitabit*, id significat, quod temporibus postremis, quando Israëlæ prognati conuertentur, & Dominum Deum ipsorum & filium Dauidis regem ipsorum ab ipsis repudiatum quærent, Dominus super eos spiritum suum effusurus sit, vt scriptum est: *Et super domum Dauidicam, & super incolas Hierosolymitanos spiritum gratiæ & misericordiæ effundam; quo facto, aspiciet ad me* (diligenter illud *ad me*, mihi perpende) *quem confixerunt, & conuersi credent in eum, & ad dominum & ad bonum eius confluent.* Zach.12.10. Est autem bonum illud Domini, Christus; id ipsum scriptura verbis his; *Etiam Iehouah dabit bonum, & terra nostra efferet fructum eius*, restante. Hoc est, quod dicitur, *Veritas è terra pullulabit, &* Psal.85.13. Esa.45.7.

è cælo iustitia prospiciet. & quod scriptũ est; *Rorent cæli ex alto, & stillet æther iustitiam: hians terra producat salutem*, &c. Ipse est iustus ille seculorum, prædictus à Daniele, & quem Ieremias iustitiæ nostræ Deum vocauit. Hinc dicitur etiam *Dominus esse proximus omnib. inuocantibus eum sed inuocantib. eũ verè*. Porrò negotiũ mortis eius, & peccatorum humanorum per eandem expiatio, capite illo, cuius eũ Christianis planè faciẽtis initium est hoc, *Ecce seruus meus intelliget*, tractatur. Ionathan enim Vziele natus caput illud de Christo loqui iam olim cõfessus est. quin & Thalmudici in expositione super midras (vt præsens vobis in libro Ialcut ostendi) de cruciatib. Christi, & peccatorum ab hominib. quibusuis, tam iis qui ante aduentũ eius ab ipsis expectatum vita defuncti, quã iis qui post aduẽtum illum eiusdẽ mortui fuere, cõmissorum, per fidẽ in eum remissione caput id loqui nõ inficiantur. Quod autẽ filius virginis futurus esset, id Esaias ostẽdit, cùm virginẽ vterũ gestare inquit. *Almah* n. non, nisi de virgine dici testatur illud: *Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, & virgines innumeræ*. Istic enim partes cõtradictionis omnes ponũtur. Quinetiã *mem* clausum, in *ad imperium proferendum* ideo in media dictione positum est. Id enim aliàs vsitatum non est. Est & alia præter hanc eo in loco significatio, tẽpus

Psal. 145. 18.

Esaiæ 42. 1.

Es 7. 14.

Cant 6. 7

videlicet aduentus Christi, si ab eo die [quo hæc prædicta sunt ab Esaia] exorsus, ad sequentes pergendo rationem inibis. Iam enim scis *mem* istud clausum numerum sexcentorum notare, vt in Rabbini Beniaminis super Grammaticam Rabbini Mosis expositione patet. Idem testatur quoque Dauid, cum *Eia Domine, quoniam ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ sum:* non autem simpliciter, *filius tuus*, vt scriptum est; *Secundum familiam patrum eorum*, dixit. Loquitur nempe de Christo, in quo semen paternum non est. ideo dixit, *Preciosa est in oculis Dei mors sanctorum eius.* Et eum quidem sine patre terreno natum esse, versus ille: *Et generationem eius quis enarrabit?* & hic: *Et exitus eius ab æterno est, à diebus, inquam, seculi,* testatur. Cum deinde caput quartũ, quod de præceptorum post aduentum Christi abrogatione est, inspicerem, Christianos verum loqui deprehendebam. Pendent enim [præcepta illa] ab egressu ex Ægypto, & à commemoratione egressus eiusdem. Cum verò Christus iam venerit, non dicetur amplius, *Viuit Dominus, qui Israele natos è terra duxit Ægyptia.* Vt verorem totam perspicias, præcepta præter Dei proximiq; charitatem in partes tres distingui memento. Partis primæ præcepta ad dierum festorum profestorumq; distinctionem pertinent. Secundæ ad

Psal. 116. 16.
Psal. 86. 4. 16.
Sap. 9. 5.
Num. 1. 2. 18. 20. 22. 24. 26. 28. 30. 32. &c.
Psal. 116. 15.
Esa. 53. 8.
Mich. 5. 2.

cibos.

cibos mundos & immundos. Tertiæ ad oblationum ritus. Dies sanè festi omnes ad exitum Israelis ex Ægypto pertinent. Hinc scriptum est; *Quoniam in fortitudine manus eduxit vos Iehouah ex Ægypto.* & *Quoniam in tabernaculis habitare iussi Israele natos, cùm eos ex Ægyptia terra eduxi.* Exod. 13. 3. Leuit. 23. 43. Testimonia alia recensitis similia reperiuntur complura. Abolita ergo eius [ex Ægypto exitus] memoria, aboliti quoq; sunt isti [dies festi.] Super parte secunda reperimus Doctores Israeliticos in psalmorum midras; *Deus soluit vinctos*, ne legas *vinctos*, sed *vetita*, affirmare quoniam post aduentum Christi cibi vetiti permitti debuerunt. De tertia denique parte sapientes Israelitici cum Cabalistæ, tum Gequetilia in libro suo, cui *porta lucis* titulum fecit, affirmauerũt, quod oblationes post aduẽtum Messiæ fũerint tollendæ. Hac autem in re difficultates duæ sunt, ad præceptum circumcisionis & sabbati pertinentes; ideo quod circumcisionis præceptum illo ex Ægypto exitu annis multis antiquius: & præceptum sabbati creationis operum commemoratio fuit: vt scriptum est: *Quoniam diebus sex fecit Iehouah cælum & terram*, &c. Ad circumcisionem verò quod attinet, dicere possumus, datam eam esse Abrahamo pro signo vsque aduentum Messiæ è semine ipsius prodituri, cum de eo, *Et in semine* Psal. 146. 7. Exod. 20. 11. Gen. 22. 18.

*suo cunctis terræ gentibus benedicetur*, dictum sit. [Semen autem illud promissum fuit Isaacus.] Ideo dictum est; *In Isaac nominabitur tibi semen*: quasi semen & benedictum & benedicens, assereret. Id enim nisi sic esset, de ancillæ gnato promissio illa accipi quoque potuisset: quòd is semen Abrahami non minus, quàm Isaacus esset. Ideo per aduentum Christi tam circumcisiõ quàm præputium res inanes redditæ fuerunt. Quin Christiani quoque multi & Indi & Æthiopes in Iohannis presbyteri regno medio iamdudũ sunt, quorum bona pars ex Israelis semine sunt orti: cùm Salomon rex reginæ Sabææ amore & abipso discedentis rogatu, hominum millia duodecim; millenos nimirum singulos è tribubus singulis istuc ablegarit, qui creuerint & propagati sint ibidem sic, vt numerum arenæ maris exæquẽt: singulis, vt in regum Indorum annalibus perscriptum legitur, signa ipsorum militaria secutis. Ob conuersionem porrò Eunuchi, opera Philippi factam, hi omnes ad Iesum Domini vnctum ex toto ipsorum corde conuersi sunt, psalmographo hãc de re hunc in modum; *Reges Sabæi & Æthiopici munera offerent*; &, *Æthiops manibus eius Deo plaudet*, olim vaticinato. Iidem præterea circumciduntur, non necessariò quidem, sed amore Iesu, qui & ipse circumcisus fuerit. In ecclesia

Psal 72. 10.

autem

autem Romana id omnino vetitum nec non interdictum est omnibus iis, quotquot è Iudæorum semine sunt orti; idque ea de caussa, ne ipsorum in circumcisione spem ponentium fide, in salute Iesu (penes quem vnum & sapientia & expiatio summa est) posita quidem, sed per circumcisionem tamen acceptam diminuta, ipsi de viuentium terra se perditum eant. Quid autem de sabbati negotio, quòd de eo in creationis opere dictum sit, *Et sanctificauit ipsum*, respondebimus? Ecce, attonitus & animi dubius super hac re fui diebus aliquammultis, idcoq; cor meum ad Deum cælestem, vt ab his me eriperet ambagibus, eleuaui. Accidit autem, vt die quadam ab ægrorum visitatione mihi redeunti puer quidam (dictu sanè mirum) obuiam factus, pater mi, pater mi, dixerit. Me verò, en adsũ, fili mi, respõdẽte, dixit ille; cur decẽ p̃cepta bis in lege, & id quidẽ cũ discrimine aliquo scripta reperio? Et me, Quodnam inter ea discrimẽ igitur est, fili mi, subiiciẽte, In vno quidẽ, ait ille, loco scriptũ est, Recordare diei sabbatini: & paulo post: Quoniã spatio dierũ sex fecit Domin⁹ & cælũ & terrã: in altero verò, Serua diẽ sabbati; & mox, Et recordare te seruum in Ægypto fuisse, scriptum est. Tũc oculis meis mihi apertis: *Ex ore infantium [ô Deus] & lactentium fundâsti robur*, exclamans dixi. Audito- Psal. 8.

te, quæso filii me nati mihi charissimi negotium hoc magnum. Ostendit nobis Moses magister noster, in sabbato considerandæ esse duo; Commemorationem nimirum & obseruationem. Commemoratio ad opera creationis refertur; obseruatio ad exitum ex Ægypto. Quod cum ita sit, in aduentu Christi abroganda erat obseruatio, commemoratio non item. id quod siquidem ita non est, cur Moses verbum diuinum mutasset? Iccirco, inquiunt, *Recordare & obserua* eodem in loco dicuntur, vt omnia Dei viuentis verba esse perspiciamus: in quibus dissensio prorsus est nulla, mutatio item nulla est apud ipsum, sed apud nos pro temporum ipsorum varietate. Neque enim illud, quod multis in locis scriptum reperiatur, cæremonias esse æternas, aliaq; id genus nobis dubitationem iniicere sinemus. Æternitatem enim in lege pro breui etiam tempore accipi reperimus; verbi gratia: Et *seruiet ei in æternum*, id est, ad annum vsque iubilæum. Quanto itaque magis aduentus Christi, mundum renouantis [cæremoniarum æternitatem sustulit, siquidem annus id fecit iubilæus?]

Ierem. 31. Et in Ieremiæ quidem vaticinio nominatur *fœdus nouum*. Quinetiam sapientes Israelitici de cæremoniarum abrogatione vaticinati fuere iam olim: millibus annorum duobus, inanitatem; millib. duobus,

bus, legem: millibus duobus Messiam fore dicere soliti. quasi, quod in aduentu Christi præcepta legalia obseruare amplius opus non esset futurum, affirmare voluissent. In controuersia porrò quinta considerandæ veniunt duo: vnũ est, Christi ad peccata filiorum humanorum expianda mors & cruciatus; id quod superius in controuersia tertia ex Esaiæ, Danidis, doctorum Thalmudicorum, mortem piorum expiare affirmantium, & id in primis quidem de Messiæ tormentis asserentium, & ita negotium hoc, (cum confessio litigantis pro testibus centenis haberi soleat) quam maximè comprobatium sententia declaratum est; alterum est, de libero hominis arbitrio: cùm vno quidem in loco, *Conuertimini ad me*, ait, Zach. 1. 3. *Dominus exercituum, & conuertar ad vos*: in altero verò, *Conuerte nos Iehouah ad te, &* Thren. 5. *conuertemur*, scriptum inueniatur. Hîc 21. autem hac de re disputandum non est. Breuiter interim dico, homini arbitrium sine dubio esse datum, cùm scriptum sit: *Ecce proposui tibi*, &c. Et sanè creator, cu- Deut. 30. ius opera perfecta sunt, non condemna- 15. ret sceleratum, si quidem is sceleratus esse coactus fuisset. Verum tamen est, quòd cum figmẽtum cordis humani ab inedunte ætate malum sit, adminiculi indigeat. Hinc scilicet est, quod aiunt si fiat vt fordescat, permittitur ei; sin vt mundus sit,

Psal. 119. 37. adiuuatur. Ea de causa psalmodus orabat, vt Dominus oculos ipsius auerteret, ne vanitatem viderent: & vt cor eius ad Psal. 51. 12 testimonia eius flecteret, *Cor mundum*, ait alibi, *crees in me, quæso, mi Deus*. Sunt id genus alia complura. de quibus satis. Quod si tamen aliquis sit, qui quæstionis huius profunditatē penetrare aueat, ille Theologos ipsi omnia singulatim explicaturos in cōsilium adhibeat. Nunc ergo non superat quicquā inter sectas illas vtrasque, nisi controuersia sexta, qua ad Messiæ aduentum pertinente quæritur primò, vtrū Messias ille venerit, nec ne: secūdò, quòd si venerit, quisnam sit, vtrumne Iesus ille Nazarenus, vt aiunt Christiani, an potius Hiskias Iudeæ rex, vt *Hillel* asseruit, vel *Bar* ille *Cozebh* vel *Cuzibah*, vt opinatus est Aquiba; vel potius alius quilibet ignotus. quæres cum periculosa sit valdè, consideratione magna hîc opus est. Etenim si Iesus fuit Christ⁹; vt per illum Christiani saluabuntur: ita Iudæi in foueā perditionis per eundē præcipitabuntur. Quod si verò Christus nondum venit, re modo contrario sese habitura, Iudæisq; propter Christum venturū, & quē adhuc dieb. singulis, vt supra quoq; meminim⁹, expectāt, salutē cōsecutis, Christiani pibunt. Quod cum ita sit, ego quidē diligenter operā dedi, vt rationes sectæ & huius & illius perspicerē & diiudicarem. id quod cùm facerem,

tem, verba Christianorum vaticiniis vatum de Messia loquentib. & p omnia cum natiuitate Iesu, gestis ab eo reb. & omnib. quæcunq; ipsi in vita cõtigerunt, & in libris Christianorum perscripta sunt, conuenientibus, consentanea esse deprehendi. quãtumuis libri Christianorum nulli post mortem Iesu apud Iudæos auctoritatis tantæ sint, vt per eos, ab ipsis pro nothis & cõmentitiis habitos, ad credẽdum veritati possint adduci. Quinetiã quamuis aliquid super Iesu tã verè perscriptum illis adferri possit, vt ob id articulis superioribus illis quinq; cõtrouersis nolint velint ãssentiantur: sextum tamẽ animo negant præfractissimo. Rationes interim istorum cõtra Christianos pinde vt stipula & gluma vi turbinis disiiciũtur. idq; ideo, quòd exulum reductionẽ, quã isti præstolãtes in aduẽtu Messiæ futurã esse negantur, è verbis Esaiæ, Israelem congregatum nõ iri vaticinãtis, vanã esse superi9 declaratũ est. De ædificatione quoq; tẽpli Malachias iã olim testatus, ea nihil opus fore amplius effatus est verbis his: *Et in omni loco adolebitur & offeretur nomini meo.* Cum tamen & egomet ipse adeo intricato dubioq, essem animo super negotio hoc tã perplexo, vt noctes aliquot agerẽ, prsus in sõnes; Dominũ vt animum meũ ex hisce tricis expediret sine intermissione vlla rogitabã. Itaq; de nocte quadã quiescens,

Esaiæ 49.21.

Malach. 1.11.

visus mihi sum in valle quadam, & ea quidem permagna versari; vbi viri, feminæ, pueri, vt littoris marini arena est, innumeri oculis in cælum sublatis intuentes adessent: in quibus & ego cum oculos itidem meos cælum versus eleuauissem, circulum magnum, in quo medio puer clauem super humero gestans esset, animaduerti. Circa circulum illum scriptum erat, *Et dabo clauem domus Dauidicæ super humerum eius, vt eo aperiente, nemo clausurus; eo contra claudente, nemo aperturus sit.* Et ecce tibi, dum aspexi, circulos quatuor alios, in quorum medio viri multi bellicosi, gladiis accincti singuli, arcum & hastam, clypeum & cetram gestantes essent, in quatuor mundi plagis conspexi. Et vidi (mirum sanè dictu) quod circuli quatuor isti, cum circulo medio, quasi manu cum eodem conserturi, fragorem quendam magnum excitando coirent. Quam primum verò propius ad eũ accessissent, non aliter atque stipula per ventum, vel quisquiliæ per turbinem distici, & vt cera vi ignis liquefacta, perire sunt visi: nullo nisi circulo illo medio tantum relicto. Nos autem, quotquot aderamus, visum illud intuiti, proni omnes in faciem prolapsi; *Et extolletur Dominus solus in die illa*, diximus. Porro cum experrectus essem, interpretationem somnii, & literarum clauis significationem diligenter indaga-

Esaiæ 22. 22.

re cœ-

re cœpi. Cum verò considerarem, nihil intelligebam, nisi quod istic sub fine literarum in stipite clauis illius exaratarum nomen IESV, verum illum Messiam esse demonstrans, animaduertebam. Atqui cum rei fundamentum profunditatemque interpretari non possem, animoque meo timere cœpissem, ita cum eodem ipso cogitaui: Spiritus malus mihi fortassis illusit, & satanas dexteram meam obseruauit, vt è viuentium terra me extirparet. Magno itaque timore & consternatione correptus, precibus ardentissimis, inedia, fletu largo per spatium temporis dierum septem, Deum obsecraui, eundemque quotidie precationibus sollicitans creberrimis, Psalmos: *Vsquequo, Domine, obliuiscere mei in æternum? &, Miserere mei, Deus mi, secundum clementiam tuam*; recitare consueui. Factum est ergo septima pòst nocte, vt in atrio ædium magnarum prope puteos numero tres, quorum duo quidem magni, vnus vero paruus essent, per quietem mihi visus sim versari. Propter puteum paruum illum puer erat clauem manu tenens. In puteorum deinde duorum reliquorum vtroq; cadi erant cũ fune. In fenestrarum lateris vnius vna, mulier erat, hauriens aquam. In earundem lateris alterius altera senex aliquis prospectabat: qui eum è muliere, quidnam rei gereret, sciscita-

